Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

52
D

Bulengeri Institutionis

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
8
8 A
47

PETRI
BVLENGERI
TRECENSIS INSTITVtionum Chriſtianarum libri octo.

AD

Franciſcum Valeſium, ſecundum huius nominis Galliarum regem auguſtiſsimum.

EDITIO PRIMA.



LVTETIAE PARISIORVM,

Apud Sebaſtianum Nivellium, ſub Ciconiis: & Gulielmum Desboys, ſub Sole aureo, via Iacobæa.

1561.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

EXTRAICT DV PRIVILEGE.

IL eſt defendu à tous Imprimeurs & Libraires, de non imprimer ne faire imprimer ny expoſer en vente ce preſent liure, intitulé: Petri Bulengeri Trecenſis, inſtitutionum Chriſtianarum libri octo. Ad Franciſcum Valeſium ſecundum huius nominis Galliarum regem auguſtiſſimum. Iuſques au bout & terme de ſix ans venants, enſuyuants, & conſecutifs, commençãts du iour & datte de ce preſent liure acheué d'imprimer. Sinon par le congé & permiſſion de Sebaſtian Niuelle, Imprimeur & Libraire de Paris. Et ce, ſur peine de confiſcation deſdicts liures, & d'amende arbitraire, ainſi que tout eſt plus amplement contenu au priuilege ſur ce donné & octroyé à Paris, le xv. iour de Feburier. 1559.

Ainſi ſigné, Par le conſeil,
De Courlay.

Extinčto fertur Patroclo cæſus Achilles,
Hector & exuuias diripuiſſe ducis.
Viuus at ille tamen geminato robore, in hoſtem
Acrior inſurgit, mactat & enſe virum.
Lætus adoreâ repetit tentoria victor,
Terrori eſt hoſti quàm fuit antè magis.
Sic dum relligio verax oppreſſa iacere
Crèditur, ac tymbo funere merſa tegi:
Altius extemplo tenebris caput exerit altis,
Et faciem cunctis detegit alma ſuam.
Pulchrè hoc Bulengere doces inſignibus octo
Libris, queis mittis ſub fera monſtra iugum.
Cum prauo ſiquidem collatis dogmate ſignis
Cominus, efficis vt nox tenebroſa ruat.
Vera ſimul pietas ſplendentia proferat ora,
Atque ſua illuſtret lampade corda hominum.
Hoſtes iſtud h[illegible]*: ringitur æger*
Caluinus [illegible]*neua furit.*
Sed tu macte [illegible]*eſpice nixus,*
Vmbone [illegible] *vbique graui.*

Cal. Med.

Y
VIII
52

D. OPT. MAX. SACR.

Tuũ, ô Deus, qui hoc inueſtigandæ perſcrutãdęq́; veritatis
Animo meo deſideriũ inſtillas, ſanctiſſimũ numẽ atteſtor,
Altiſsimóſq; cœlos, verẽ dętuę maieſtatis indices, mediuinis
Modò ſcriptis fretum, nihil nec credere, nec
Eſſe ſcripturũ, quod vllo modo cum ſacroſanctarum
Legum tuarum præſcriptis (quorum quidem eſt
Certiſsima veritas) pugnet. Tu ergo vnica mea
Spes, ita mihi fac aſpires, vt nuſquam labar, errem,
Decipiar. Suſcipe pro ſolita tua bonitate
Hæc mea vota, eiúſque preces, qui tuam
Fidem, auxiliúmque pius implorat, vt quicquid faciam
Scribámve, id ad tui nominis cedat gloriam, &
Fidelium vtilitatem. Hos autem ego libros ſumma
Cum animi deiectione, ſacris eccleſiæ fidelis pedibus
Oblatum poſteritati dico, conſecro, & appendo.

In quo ſiquid fortè factum dictúmve ſit
contra ſanctorum patrum ſcita,
infectum indictúmve
eſto.

INVICTISSIMO POTENTISSImóque monarchæ, Franciſco ſecundo, Galliarum regi Chriſtianiſsimo, Petrus Bulengerus Trecenſis S. P. D.

CONSVETVDO omni digna laude, Franciſce Valeſi rex auguſtiſſime, iam olim inualuit, ab omnibus vſque adhuc gentibus retenta, vt ſi quando vir rege prognatus imperij clauum tenere, & gubernacula reipublicæ tractare cœperit, ſui eum ciues quibuſcunque donis & muneribus poſſint, honorent ac venerentur: idq; potiſſimùm cùm in aliquam ſuæ ditionis vrbem ſolenni pompa & publico gaudio excipitur: quò ſcilicet & ſuum erga principem ſtudium, & obſequendi alacritatem teſtificentur ac declarent. Hanc mihi conſuetudinem ſequuto, hoc tempore, quo tu paternæ ac auitæ virtutis, pietatis, & religionis generoſiſſimus hæres Gallicani regni diadema cepiſti, de inſtitutione Chriſtiana libros, quos anno ſuperiore à me Gallico ſermone emiſſos Latinæ conſuetudini paucis hiſce menſibus tradidi, maieſtati tuæ offerre viſum eſt, vt & animus in te meus ſic innoteſcat, & deſiderium veræ ſynceræq; religionis, quo totus æſtuo, palàm ſit & ante oculos omnium. Cui enim meas haſce lucubrationes decentius, quàm ſummo principi meo poſſim nuncupare, è cuius beneficentia & liberalitate omnia pendent eruditorum ſtudia? Cui pulchrius liber conueniat orthodoxam fidei Chriſtianæ confeſſionem complectens, quàm eius ipſius acerrimo propugnatori, & peſtilentiſſimarum hæreſeon ſeueriſſimo vindici ac oppreſſori? Aut cui aptius congruat grauis & accurata Chriſtianæ pietatis pertractatio, quàm catholicæ veritatis religioſiſſimo cultori, eidémque ſacroſanctarum eccleſiæ traditionum aſſertori conſtantiſſimo? Qui edictis minacibus & acerbis promulgatis Galliam, ſemper alioqui gemina pietate ab hærebus abhorrentem, in Apoſtolica & catholica fide continet, atque

exitialem Lutheranorum hæreſim, errores damnatiſſimos, dogmata contumaciæ, rebellionis ac ſeditionis fœcundiſſima nec publicè, nec priuatim intra latiſſimos imperij ſui fines euulgari, aut doceri vllo modo patitur: quin potius de fidei catholicæ deſertoribus, perfidis Apoſtatis, ſchiſmaticis & hæreticis omne genus ſupplicium perquàm atrox ſumit, vt qui veſanæ & impiæ perſuaſioni pertinaciter inhærentes, ſe contra manifeſtam veritatem obdurent, non tam de ſecta quam prauè amplexantur, fouent, exoſculantur bene meriti, quàm de ſe malè. Qui cùm habeant iter rectum, deuios ſequuntur anfractus: planum deſerunt, vt per præcipitium labantur: lucem relinquunt, vt in tenebris cæci ac debiles iaceant: qui errare malunt, eámque ſententiam, quam adamant, pugnaciſſimè defendere, quàm ſine pertinacia quod conſtantiſſimè ac veriſſimè dicitur, exquirere. Atque vtinam imperitæ multitudini & ætati teneræ in aureo calice, hoc eſt, ſub diuini verbi nomine, falſarum ac exitialium opinionum abominationem minimè propinarent. Sic enim haud videremus plurimos ab ipſis penè incunabulis hoc perniciali veneno miſerè infectos. Qui non ſecus ac cum lacte nutricis errorem ſuxerint, vt primùm ex pueris exceſſerunt, ita deſipiunt, delirant, dementes ſunt, vt arroganter & ſuperbè ſe doctiores omnibus illis priſcis & orthodoxis patribus exiſtiment, quorum ſalutarem doctrinam ineluctabili quadam ſententiæ obſtinatione repudiant, ſalutis ſuæ proram (quod aiũt) & puppim in eiuſmodi ſtatuentes execratione. Nulla certè vnquam validiore machina Satanas ad præcipitãdos in perẽnes tenebras rudes & ignaros incubuit. Hæc illa eſt Helena, pro qua inflexibili peruicacia, amenti cæcitate, miſerabili inſcitia homines deplorati contra veritatem digladiantur. Et verè Helena, cum qua ſpiritali ſcortatione, quæ omnium eſt maximè execrabilis, ſe contaminant & polluũt: cum neque verbis Chriſti catholico ſenſu acceptis & explanatis, neque ſacrarum ſynodorum placitis fidem habeant: ſed contentione maxima reiiciant quod eccleſia Dei tot ſeculis in vero numinis cultu, & ſacramentorum adminiſtratione tenuit ac obſeruauit. Ex hac colluuione tãquam ex equo Troiano noſtra memoria miſeri illi licentioſique homunciones emerſerunt, qui literas ſacras aſpernantur, diuinam prouidentiam tollunt & abrogant, præmiaq; & pœnas in altera vita propoſitas rident, ludificãtur, cachinnant, vt liberè magis fœdis ſeſe dedant libidinibus, & voluptatum quaſi miniſtros præbeant. Vſque adeò fœliciter mendacium inoleſcit, vbi vel leuiſſimè radices egerit. Id quod ideò fieri putandum eſt: vel quia diabolus omnium author malorum bonum ſemen iam primum herbeſcens ſemper euellere conetur: vel

quia

quia cæleſtis agricola, qui hominum animos ſtudioſè colit, virtutibus ac fidei modo quodam dare ſoleat incrementum per ea quæ ipſis aduerſantur, vitia inquam & infidelitatem. Quemadmodum enim Lacedæmonij poſtquam magna edita ſtrage aliquot oppida expugnauerant, non prorſus ea euertenda aut æquanda ſolo cenſebant, quò ſemper eſſent aliqui, aduerſus quos vires & bellicam virtutem exercere, ſuóſque ad laborem aſſuefacere poſſent: Sic Dominus variis nos malis exerceri permittit fidem noſtram cõſtantiámque periclitaturus, Quomodo enim quis ſtrenuus ac fortis dicetur, niſi magnis neceſſitudinibus & periculis circumuentus virtutis ſpecimen dederit? Aut quomodo quis caſtus, ſobrius, aut temperans habebitur, niſi prius obſcœnas abdominis voluptates, quibus frui potuiſſet, planè reiecerit? Ita profectò veritas, ſi cum mendacio comparatur, tanquam in excelſo & illuſtri loco ſita magis eluceſcit. Cùm enim mendacium vndique veritatem oppugnat, & acerbitatis ſuæ virus in eam euomit, tum illa vehementius maculas abſtergere, & ſordes eluere quibus inquinata videtur, membráque omnia è præſenti periculo eripere contendit. Ea ratione magis fraudes & offuciæ mendacij deteguntur, & veritas ipſa luculentam faciem exerit, in apertúmque profert, vt quid vtrobique oriatur facilè appareat. Patitur ergo Deus opt. max. vt impetum in nos & venenatis ſcriptis, & ſceleſtis ac nefariis concionibus veritatis hoſtes faciant, quò diuina ſcripta & ſanctorum patrum volumina perſcrutemur, quibus armati & purius viuamus, & ſceleratos ipſorum conatus ac impiam retundamus audaciam. Hic enim verus eſt clypeus quo intentatos ictus poſſimus eludere, vera fidei confeſſio quæ diuinorum ſcriptorum firmitate nixa & explanatione patrũ nihil extimeſcit. Hanc ipſam, Frãciſce rex potentiſſime & illuſtriſſime, hoc opere comprehenſam nominis tui auſpicio in lucem & publicum exire voluimus, fore ſperantes, vt quemadmodum cœpiſti, profligaris lucifugorũ tenebrionúmque copiis, rẽp. Chriſtianã afflictam & oppreſſam miſeris temporibus ac perditis moribus, in veterem libertatem ac dignitatem ad plenum tandẽ aliquãdo vindices. Inſtitutiones igitur noſtras, ea qua ſoles humanitate, vt ſuſcipias, t uæq; authoritatis fretas numine gratiores ad cæterorum manus venire facile patiaris, à te etiam atque etiam vehementer petimus & contendimus, non eius quidem qui illas texuit intuitu (qui nihil maius amplitudini tuæ poteſt offerre, quàm promptam morigerandi voluntatem) ſed ob varias quæſtiones & controuerſias, quæ Chriſtianè catholicéque in iis explicatæ reperientur. Quod tamen non eò dictum exiſtimari velim, quòd cupiam M. T. legendis noſtris detineri.

Non enim talia ſunt, vt in arce poni poſsint, quaſi illa Minerua Phidiæ, ſed tantùm vt inſigne meum in regem Chriſtianiſsimum ſtudium eluceat. Deus tibi det fœlicitatem, virtutem, diuturnitatem, vt eadem iuſtitia, qua adoleſcens exorſus es, gubernaculum reipublicæ etiam ſenex teneas, tuíſque liberis, vt ipſe à patre accepiſti, tutelam Gallicani regni tradas. Iuliodum, decimo quinto Calendas Ianuarij, 1559.

AD LECTOREM.

Anne tuam, lector, mentem nox obruit atra
Erroris, aut inſaniæ?
Dogmate iam multos à recto deuius annos
Abſiſtis, & placet nefas?
Occæcatus aues turpi ſordeſcere cœno,
Tuæ ſalutis negligens?
Huc geminas iam flecte acies, hunc aſpice librum,
Soluaris vt vecordia.
Quicquid enim patrum concors ſententia credit,
Et ſacra tradit pagina,
Hic facili breuitate docens, delira recludit
Commenta cœtus impij.
Tantùm ne pigeat longas euoluere chartas,
Et vera quæ leges ſequi.
Implorata fides ſuperûm te diriget vſque:
Obſcura cedent nubila:
Lúxque tuæ affulgens actûtum maxima menti
Te ducet in rectam viam.
Quæ diuina igitur bonitas tibi commoda promit,
Hæc mente læta ſuſcipe.

R. Brialdi Iuliodunenſis.

AD ORTHODOXVM PIVMQVE LECTOREM PETRI BVLENGERI *Trecenſis in Chriſtianas inſtitutiones Præfatio.*

INTER innumeras, quibus iuſto Dei iudicio premitur eccleſia Chriſtiana calamitates, haud ea profectò leuis aut vulgaris cenſenda eſt, qua permultis in locis maximam populi partem ita variis opinionibus exagitatam perturbatamq́ue videmus, vt quò ſe vertat, planè ignoret, aliis Chriſtum hîc, aliis illic, pleriſque in priuatis ædibus, non paucioribus in deſerto vaſtaq́ue ſolitudine eſſe dicentibus. Quod tantò periculoſius eſt, quantò leuius quis viuo Dei verbo, quod ſolum lucem iis adfert qui in tenebris gradiuntur, armatus eſt. Quamobrem mirum videri non debet, ſi multi in fide catholica & Apoſtolica parum ſtabiles quotidiè pereant, cùm accuratè nunquã nouerint, quæ doctrinæ ſalutis ſumma ſit. Qua vna ratione facilius ab impoſtoribus & ſatanæ miniſtris in fraudem illiciuntur, qui quidem ſe tranſfigurantes in angelos lucis, falſò contendunt veram Chriſti eccleſiam à ſe ſtare, omneſq́ue cœtus, qui ſuæ impietati ac fallaci doctrinæ recuſant aures accommodare, ad Antichriſti ſpectare eccleſiã. Quod dum attentius mecum expenderem, operæprecium me facturum putaui, ſi docerem, prius quàm ad rem ipſam aggredior, quænam ſit veræ germanæq́ue eccleſiæ ſolida & expreſſa effigies: vbi quærenda: atque eos omneis, qui doctrinam ſpargunt ſuperioribus non modò ſeculis, ſed in omni memoria inauditam, quod ad ſacramenta attinet, & ipſorum miniſterium, eccleſiæ Dei membra eſſe nõ poſſe, vtcunque iactent Chriſtianum ſe habere nomen, apud ſe ſolos ſynceram ac intaminatam Chriſti Ieſu eſſe fidem, ſacramenta, puram doctrinam Euangelij, Prophetarum, & Apoſtolorum. Primum omnium ſatis conſtat Apoſtolos Domini iuſſu Hieroſolymis incepiſſe propalam annunciare bonam Dei volũtatem, qua quidem ei, cùm periiſſemus, placuit nos per filium redimere, gratis per fidem iuſtifica-

re,ac ſimul in corda noſtrá ſpiritum ſanctum infundere, vt certiores faceret nos, quòd filij Dei ſumus, & in nobis Dei voluntatem operaretur,hoc eſt,fructus ſpiritus: indéque hoc Euágelium ſalutis omnibus gentibus prædicaſſe. Omnes igitur cœtus hominum,qui per vniuerſum terrarum orbem Chriſti fidem profitentur, magno conſenſu ſeruant in legitima epiſcoporũ ſucceſsione, cum recto ſacramentorum vſu ſanam ſalutiferamque Apoſtolorum doctrinam, ac traditiones quas ab ipſis veluti per manus accepimus, aut à conciliis generalibus, quorum in eccleſia maximè ſalutaris eſt (ait Auguſtinus) authoritas: atque ante omnia ſolliciti ſunt ſeruare ſpiritus vnitatem in vinculo pacis, idem ſentientes & loquentes: illi ipſi proculdubio veram Dei eccleſiam conſtituunt, cuius, vti corporis, Chriſtus caput eſt, eam aſsiduè ſanctificans donec ad plenam perfectionem peruenerit. Atque illud eſt quod vetuſtiſsimus ille pontifex Irenæus docet, quum ait: Vera eccleſiæ agnitio eſt Apoſtolorum doctrina, & antiquus eccleſiæ ſtatus, in vniuerſo mundo, & charactere corporis Chriſti, ſecundum ſucceſsiones epiſcoporum, quibus illi eam, quæ in vnoquoque loco eſt, eccleſiam tradiderunt, quæ peruenit vſque ad nos cuſtodita. Ac paulò poſt: Præcipuum dilectionis munus eccleſia habet, quod eſt precioſius quàm agnitio, glorioſius quàm prophetia, omnibus autem chariſmatibus ſupereminens. Atque alibi, vbi ſe audiuiſſe refert presbyterum, qui audierat ab iis, qui Apoſtolos viderant, ait: Vbi igitur chariſmata Domini ſunt poſita, ibi diſcere oportet veritatem, apud quos eſt ea quæ eſt ab Apoſtolis, eccleſiæ ſucceſſio. Quòd hinc cõfirmat, quia poſuit Deus primò in eccleſia Apoſtolos, &c. Eandẽ ſententiã alio quoque loco aduerſus hæreticos grauiſſimè ac luculẽtiſſimè defendit, aſſerens authoritatem & traditionem eccleſiæ, quæ ab Apoſtolis per ſucceſſionem presbyterorum cuſtoditur, perueniens vſque ad nos, & eiuſdem comprobans vnitatem: Pleniſſima, inquit, eſt hæc oſtenſio, vnam & eandem viuificatricem fidem eſſe, quæ in eccleſia ab Apoſtolis vſque nunc ſit conſeruata, & tradita in veritate. Ac ne quis putet ſolius fidei ſucceſſionem ſufficere, his tantùm presbyteris

Ad inquiſit. Ianuarij lib. 1. cap. 1.

Lib. 4. aduerſ. hæreſ. cap. 63.

Ibidem, ca. 45.

Lib. aduerſ. hæreſ. cap. 1.2.3.4. & 5.

Lib. 4. cap. 43.

presbyteris obediendum cenſet,qui ſucceſſionẽ habent ab Apoſtolis,qui cum epiſcopatus ſucceſſione,chariſma veritatis certum, ſecundum placitum patris acceperunt: reliquos qui abſiſtunt à principali ſucceſſione, & quocunque loco colliguntur,ſuſpectos habendos, vel quaſi hæreticos & malæ ſententiæ,vel quaſi ſcindentes & elatos,& ſibi placentes,aut rurſus vt hypocritas,qui quæſtus gratia & vanæ gloriæ hoc operantur, qui omnes à veritate deciderunt. Reliqui ſancti patres vno ore omnes huic eruditiſſimo pontifici aſſentiuntur. In primis autem Tertullianus, vbi docet epiſcopum principalem in vnaquaque eccleſia, habuiſſe authorem, vel Apoſtolum, à quo ius & poteſtatem ſacerdotij acceperit. Itidem Cyprianus eos docet eſſe ſchiſmaticos,qui ſe præpoſitos cõſtituũt ſine vlla ordinationis lege,qui,nemine epiſcopatum dante, epiſcopi ſibi nomen aſſumũt.Cui beatus Hieronymus accedit. Sine chriſmate, inquit,& epiſcopi iuſſione,neque presbyter, neq; diaconus ius habent baptizãdi. Et Lactantius Firmianus: Sola (ait) catholica eccleſia eſt, quæ verum cultum retinet. Hic eſt fons veritatis,hoc eſt domicilium fidei,hoc templum Dei: quò ſi quis non intrauerit, vel à quo ſi quis exiuerit, à ſpe vitæ ac ſalutis æternæ alienus eſt. Neminem ſibi oportet pertinaci cõcertatione blandiri. Agitur enim de vita,& ſalute.Cui niſi cautè & diligẽter cõſulatur,amiſſa & extincta erit.Sed tamen quia ſinguli quique cœtus hæreticorum,ſe potiſsimũm Chriſtianos,& ſuam eſſe catholicam eccleſiam putant:ſciendum eſt illam eſſe veram,in qua eſt confeſsio, & pœnitentia,quæ peccata & vulnera,quibus ſubiecta eſt imbecillitas carnis, ſalubriter curat. Denique (vt cæteros prætermittam, qui hanc ipſam doctrinam proprio ſanguine obſignarunt) diuus Auguſtinus clara voce pronunciat, eos extra eccleſiam eſſe, qui relicto epiſcopo Dei ſuccedanea ordinatione præſidente, aut ſibimetipſis aut ſemetipſos conſtituunt præpoſitos, primates, & epiſcopos. Vnde facilè perſpici poteſt Chriſtianę doctrinæ puritatem expendendam eſſe, non ex præſentis huius aut illius particularis eccleſiæ traditione, huius aut illius doctoris & interpretis explanatione:ſed ſecundum traditionem,quæ communi patrum conſenſu atque ſententia ab

Lib. de præſcript. hæretic.

In epiſt. ad Antonianum.

Aduerſus luciferianos

Lib. 4. diui. inſt. vlt. ca.

Apoſtolorum temporibus ad nos vſque deriuatã eſt. Nec enim quia diuus Cyprianus, Hieronymus, & Auguſtinus ita docuerunt: ſed quia eccleſia Chriſti (quæ ab Hieroſolymis incipiens creſcere, atque inde per Apoſtolorum prædicationem in omneis gentes propagari ſecundum ſucceſſionis ſeriem ad noſtra vſque tempora durat) ex ſcripturis ſic credidit, tenuit, docuit, & prædicauit, idem credendum ad docendum eſt. Si de aliqua ergo quæſtione dubitatio oriatur, ad antiquiſsimas oportet eccleſias recurrere, in quibus Apoſtoli verſati ſunt, & ab iis de propoſita controuerſia ſumere quod certum eſt & liquidum. Quid autem, ſi ne Apoſtoli quidem ſcripturas reliquiſſent nobis? Nónne oportebat ordinem ſequi traditionis, quem iis tradiderunt quibus committebant eccleſias? Cui & Barbari aſſenſerunt, ſine atramento ſcriptam habentes per ſpiritum in cordibus ſuis ſalutem, & veterum traditionem diligenter cuſtodientes? Quæ cauſa quamobrem Paulus Apoſtolus dicebat: Siquis euangelizauerit vobis præter id quod accepiſtis nimirum traditione, nõ ſcriptura, anathema ſit. In re certè quidem dubia eccleſiæ catholicæ authoritas ad fidem & certitudinem valet, quę ab ipſis fundatiſſimis Apoſtolorũ ſedibus, vſque ad hodiernum diem ſuccedentium ſibimet & epiſcoporum ſerie, & tot populorum conſenſione confirmatur. Quemadmodum autem hæc eccleſia nullam aliam quàm ſpõſi vocem audit: ſic eam rectè ſolet intelligere & interpretari, ſpiritu ſancto (qui æternũ illam regit) ei mentem aperiente, vt ſcripturas intelligat, adeò vt idem qui author eſt ſcripturæ ſpiritus, eius etiam ſit interpres. Quare non eſt requirenda ſumma authoritas interpretãdi ſcripturas, cui non liceat contradicere apud vllum hominem priuatum, ſed ad totam eccleſiam, & ad cõmunem conſenſum omnium piorum confugiendum eſt, quæ vniuerſalis eſt teſtificatio ſpiritus ſancti, & firmamentum veritatis. Quamuis autem eccleſia multitudine piorum non æquè ſemper floreat, nec ſit in ea ſemper eadem verbi perſpicuitas: non propterea tamen ambigendum eſt, quin in ea conſeruetur illa vera eccleſia, quæ ſola habet vnctionem ſpiritus nos de omnibus edocentem. Conſeruatur autem dum retinetur doctrinæ vnitas in iis ſaltem

Irenæus lib. 3. cap. 4.

Gal. 1.

Auguſt. li. 11. contr. fauſt. Manich. cap. 2.

quæ

quæ ad pietatem & ſalutem neceſſaria ſunt. Fuerunt enim, ſunt, & erunt ſemper in hac magna domo, qui hanc doctrinam in fide, ſpe, & charitate cõſiſtentem illabefactam tueantur. Vnde ſeſe prodit impudens hæreticorum vanitas, qui deblaterant & perfricta fronte dicunt, Deum opt. max. ad tempus permiſiſſe, vt hominibus oculi cæcultarent, nec niſi per obſcuram veluti nubem res intuerentur, dum rurſus de-integro diuinæ ipſius bonitatis lux mortalibus affulgeret, quæ abſtruſiſſima quæque omni ſummota caligine in apricum proferret. Haudquaquam profectò veriſimile eſt populum Chriſtianum vnquam antehac ita cæcutiſſe, aut data opera ita ſe falli & decipi ſiuiſſe, vt fidei veritatem non vſquequaque conſeruarit. Quanquam autem plurimi abuſus pleriſque in locis inoleuerunt, ac ad temporis ſpatium regnarunt: ſemper tamen grauiſſima generalium atque particularium ſynodorum ſententia repreſſi ſunt & damnati. Nunquam enim paſſus eſt Deus homines à ſatana tenebrarum principe ita faſcinari, omnîque exui ſenſu, vt ſcientes prudentéſque aciem mentis ſibi ipſi perſtringerẽt, ne quod ſaluti ſuæ officiebat, poſſent videre. Quinimò verus ſol iuſtitiæ & veritatis Chriſtus Ieſus beneficentiæ ſuæ ſplendorem omnibus hominibus prælucere ſemper voluit, vbi vbi terrarum Euangelij tuba perſonuit. Eant igitur hæretici, & quàm maximo volent honore ſuos proſequantur errores, mendacia, blaſphemias, non ſecus ac ſi vera eſſent oracula, & è cœlo demiſſæ prophetiæ. Semper vtique nos perſuaſum habebimus ſatanam eiuſmodi cudiſſe in profundiſſimis inferorum tenebris, in fœtidiſſimúmque ipſorum os immiſiſſe, vt tandem ea euomant, ac totum, ſi fieri poſsit, Chriſtianiſmum inficiant. Doctrinæ interea filij Dei inſiſtemus, ac eccleſiæ Chriſtianæ traditionibus, quam ſemper, & per ſcripturas, & abſque ſcripturis docuit Deus. Quamobrem admonebat Theſſalonicenſes Apoſtolus, vt ſtarent, traditionéſque tenerent, quas didiciſſent ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam ſuam. In quem locum B. Ioannes Chryſoſtomus, Oecumenius, ac Theophylactus Apoſtolos aiunt leges ac edicta ſanxiſſe & ſcriptis & viua voce: quæ omnia eadẽ fide & authoritate digna ſint, Quod idem cõfirmat S. Dionyſius Areo- *2. Theſſ. 2.*

pagita,cap.1.eius libri,quē de eccleſiaſtica hierarchia conſcripſit dum ait Apoſtolos conſtitutiones ſuas partim ſcripto,partim abſque ſcripto tradidiſſe. Quare quicquid vel ſola voce ſtatuerunt,fideliter obſeruari cuſtodiríque debere. Idem ſcribit Epiphanius Conſtantiæ Cypri epiſcopus aduerſus eos qui ſe Apoſtolicos vocarunt. Oportet autem (ait)& traditione vti. Non enim omnia à diuina ſcriptura accipi poſſunt.Quapropter aliqua ſacris ſcripturis, aliqua traditione ſancti Apoſtoli nobis commendauerunt:quemadmodum dicit ſanctus Apoſtolus,Sicut tradidi vobis. Et alibi: Sic doceo,& ſic tradidi in eccleſiis. Quæ autem ſint traditiones & ſanctiones Apoſtolicæ literis non commendatæ, intelligi poteſt vel ex eo libro,quem Philo Iudæus viuente etiam B.Petro Apoſtolo in lucem edidit, inſcriptum de vita contemplatiua, in quo quidem de hominibus Apoſtolicis loquitur, docens quemadmodum ſacerdotes & miniſtri ſuum faciant officium, vtque ſit ſedes epiſcopalis aliis omnibus ſuperior. Id ipſum perſpicere licebit & ex ſcriptis ſanctorum epiſcoporum qui in primitiua eccleſia floruerunt:euiuſmodi ſunt S. Dionyſius Areopagita, S.Clemens,S. Ignatius,& alij Apoſtolorum diſcipuli. Adhæc ex eorum ſcriptis, qui illorum temporibus proximi fuerūt:inter quos occurrit Tertullianus qui in libro quem inſcripſit de corona militis,ceremonias recenſens eccleſiæ ait:Aquā adituri ibidē(loquitur de baptiſmo) ſed aliquāto prius in eccleſia ſub Antiſtitis manu conteſtamur nos renunciare diabolo, & pompæ, & angelis eius: dehinc ter mergitamur amplius non aliquid reſpondentes,quàm Dominus in Euangelio determinauit: inde ſuſcepti lactis & mellis concordiam prægustamus. Ex quo die lauacro quotidiano per totam hebdomadam abſtinemus. Euchariſtiæ ſacramentum & in tempore victus, & omnibus mandatum à Domino, etiam antelucanis cœtibus, nec de aliorum manu quàm præſidentium ſumimus. Oblationes pro defunctis in natalitiis annua die facimus. Die Dominico ieiunium nefas ducimus, vel geniculis adorare. Eadem immunitate à die Paſchæ in Pentecoſtem vſque gaudemus. Calicis aut panis etiam noſtri, aliquid decuti in terram

Lib.2.cōtr. hereſ.tom.1

in terram anxiè patimur, Ad omnem progreſſum atque promotum, ad omnem aditum & exitum, ad veſtitum & calceatum, ad lauacra, ad menſas, ad lumina, ad cubilia, ad ſedilia, quæcunque nos conuerſatio exercet, frontem crucis ſignaculo terimus. Harum & aliarum eiuſmodi diſciplinarum ſi legem expoſtules ſcripturarum, nulla legis tibi traditio prætendetur: Auctrix conſuetudo, confirmatrix fuit & fidei obſeruatrix. Quid nunc hæretici noſtri dicent, qui omnia reiiciunt quæ eccleſia obſeruat, quæ cõcilia ſtatuerunt, quę patres explicarunt, niſi clariſsima alterutrius teſtamenti ſcriptura afferatur? Ne quis autem ignoret quid Tertullianus intelligat per oblationes pro defunctis, id Epiphanius, in eo libro, quem tertium ſcripſit contra hæreſes, declarat. Eccleſia (inquit) pro defunctis orans, hoc facit & obſeruat, quia id à patribus traditum accepit. Cui autem licebit patris aut matris leges inſtitutáque, quemadmodum ea quæ à Salomone dicta ſunt indicant, conuellere? Audi fili præcepta patris tui, & ne repellas leges matris tuæ. Quibus verbis oſtendit & ſcripto & ſine ſcripto quædam patrem, id eſt, Deum, vnigenitum, & ſpiritum ſanctum tradidiſſe. Mater autem noſtra eccleſia ſemper habuit inſtituta, quæ conuelli tollíque non poſſint. Hæc Epiphanius. Ad Tertullianum reuertamur. Libro vndecimo quem ad vxorem ſcripſit, de matrimonio loquens, ait: Vnde ſufficiam ad enarrandam fœlicitatem eius matrimonij, quod eccleſia conciliat, & confirmat oblatio, & obſignatum angeli renunciant: pater ratum habet? Atque alibi, in libro de velandis virginibus, ſic ait: Non permittitur mulieri in eccleſia loqui, ſed nec docere, nec tingere, nec offerre, nec aliud quicquam obire virilis muneris. Ac alio quodam in libro, quem de cultu fœminarum ſcripſit: Vobis autem (inquit) nulla procedendi cauſa non tetrica. Aut imbecillis aliquis ex fratribus viſitandus, aut ſacrificium offertur, aut verbum Dei adminiſtratur. Et alio in loco, ad quendam, nomine Scapulam, qui tunc erat Africæ præſes: Sacrificamus, ait, pro ſalute imperatoris, ſed Deo noſtro & ipſius, quomodo præcepit Deus, pura

prece. Quibus ſanè locis Tertullianus non ſolùm loquitur de ſacrificio actionis gratiarum & precationis, ſed etiam de ſacrificio corporis & ſanguinis Chriſti ſub panis & vini ſpecie, quod quidē eccleſia Deo patri offert, iuxta Chriſti mandatum, in mortis & perpeſſionis eius memoriam, vt ſuo loco fuſius dicturi ſumus. Alioqui norunt omnes æquè mulieribus licere Deo gratias pro immenſis beneficiis agere, eundémque piè & ex animo rogare, ac viris: at non ipſis conceſſum eſt ſacrificium offerre quod in memoriam reducit & repræſentat mortem & paſsionē Domini, quod à ſolo ſacerdote in perſona eccleſiæ, tanquam publico eius miniſtro offertur. Idem ſcribit & Cyprianus (qui Tertullianum diligenter perlegit) mentionem faciens Celerini cuiuſdam, cuius tota ferè domus pro Chriſti fide fortiter confitenda ſæuiſsimis cruciatibus deleta fuerat. Iampridem, inquit, Celerinus martyrio coronatus eſt: patruus itē eius Laurentius, atque auunculus itidem Ignatius, militiam olim colentes, veri tamen & ſpirituales Dei milites, quum pertinaci Chriſti confeſsione diabolum pręcipitem dantes à Domino immarceſsibiles coronas memorabili paſſione ſint conſequuti. Pro his ſacrificia ſemper offerimus, vt meminiſtis, quoties anniuerſaria commemoratione paſsiones ac natalitia martyrum celebramus. Hic Cyprianus ſacrificij nomine oblationem intelligit corporis & ſanguinis Chriſti in ſacroſancta miſſa, coniunctam cum agnitione ac laudatione bonitatis Dei, & gratiarum actione. An manifeſtius clariúſve teſtimonium poſtulemus traditionum ac conſtitutionum antiquarum? Concludamus ergo, in ſolo eorum cœtu qui doctrinam habent bene cōſentientem atque cōcordem ſanctorum patrum omnium, qui ſecundum ſucceſsionem ſuorum temporum magno conſenſu teſtimonium perhibent verbis Chriſti & eccleſiæ primitiuæ conſuetudini, veram germanámque eccleſiā eſſe quærendam. Quæ inuiſibilis quidem eſt ſecundum eam partē quæ ſpiritu Dei vegetata in vitam æternā prædeſtinata eſt. Viſibilis autem ſecundum externam profeſſionem eiuſdem fidei, & cōmunionem ſacramētorū, iuxta doctrinam catholicam, orthodoxam, & Apoſtolicā, multos dū hîc viuitur habens malos & hypocritas admixtos bonis

Lib. 4. epi. 5

etiam

etiam tanquam membra. Etſi enim ſcelerati non ſunt viua eccleſiæ electorum Dei membra, quæ ciuitas eſt ſancta, è cœlo deſcendens, cōſtructa viuis ex lapidibus, populúſque Dei ſanctus emūdatus ab omni iniquitate, & acceptabilis Deo, ſectator bonorum operum: Chriſtus tamen docuit nos, vt ne alibi hanc ſanctorum eccleſiam quæreremus, quàm in illa congregatione magna, in qua eſt hæc veræ fidei, religionis, & ſacramentorum profeſſio & adminiſtratio: in qua tametſi videamus zizania, non tamen debet perturbari aut fides aut charitas noſtra: neque de eccleſia recedere debemus, ob id quòd zizania in eccleſia eſſe cernimus: quin potius vbi videmus eccleſiam opprimi per impios, fidem noſtram debemus confirmare, ſcientes eccleſiam eſſe permanſuram, & nauiculam iactandam quidem ſed non ſubmergendam. Multo minus verò ita nos mali eorum qui in eccleſia Dei prȩſident mores (qui delitiis magna ex parte, & bonis huius mundi irretiti in vtramuis aurem dormiunt, nullámque aut admodum certè exiguam commiſſi ſibi gregis curam agunt) debent permouere, vt hæſitemus vbinam vera ſit eccleſia, modò tamen per legitimam ordinationem ius & poteſtatem miniſterij acceperint, & in communione permaneant. Licèt enim eiuſmodi eccleſiæ miniſtri eccleſiaſticæ dignitatis munia atque functiones in infamē quæſtum commutantes ac tenebrarum negotium (vt diuus Bernardus loquitur) non animarum quærentes ſalutem, ſed diuitiarum voluptatem, ob flagitioſum vitæ genus & inſtitutum, ſpiritu careāt quo ipſi ſancti ſint & iuſti: quandiu tamen eccleſiæ mēbra ſunt & ab ea tolerantur, ſpiritū ſanctū, qui Chriſti & eccleſiæ miniſteriis, quæ per eos obeuntur, aſſiſtit, habent, per quem in eccleſia peccàta remittunt, ac ſacramenta efficaciter impertiuntur: cùm ex dignitate miniſtrorum illa minimè pendeant, ſed ex mandato & inſtitutione Dei. Itaque quamuis indignè tractantibus obſint, per eos tamen dignè ſumentibus proſunt. Eam igitur veram dicimus eccleſiam, quæ antiquæ fidei antiquis ſcripturis ac traditionibus veteris eccleſiæ Apoſtolicæ innititur, cui per fidei ſpiritum copulatur. Dicam id ipſum apertius. Si, inſpicientes veteris eccleſiæ traditionē & antiquiſsimorum patrū volumina, planè videa-

Apoc. 21.

Tit. 2.

Auguſt. contr. Creſcentiū grāmaticum cap. 31.

In pſal. 90 *verſ.* 6.

mus veteris eccleſiæ doctrinam prorſus cum doctrina eccleſiæ præſentis conuenire, & in eis quæ fidei ſunt, faciem & ſtatum eccleſiæ præſentis eſſe antiquo ſtatui conſentaneum, & eccleſiam Chriſtianam in præſenti credere & conſeruare, quemadmodum credidit & obſeruauit eccleſia quæ fuit, quum diuus Bernardus ageret in terris: & eccleſiam eam, quæ ætate Bernardi fuit, in iiſdem fidei capitibus ita credere & docere, quemadmodū tota eccleſia Chriſtiana, quæ Bernardum ſexcentis & multò pluribus annis anteceſſit, quæ baptizabat infantes, de peccatis coram ſacerdote confitebatur, vt abſolutionis beneficium auferret, pro defunctis orabat, ieiunia tum quadrageſimæ, tum reliquorum temporum commendabat, vota obſeruabat, ſanctorum interceſsiones non reſpuebat, diuinam & ſpiritualem Chriſti carnem ſub ſpecie panis & vini verè adeſſe elementis ipſis in eius corpus & precioſum ſanguinem tranſſubſtantiatis, atque adeò contineri ſacramento credebat: Euchariſtiam quoque in ſacroſancta miſſa extremum eſſe eccleſiæ ſacrificium: multáque alia, quæ nunc ab hæreticis vocantur in contentionem, tradebat: Si nunc videamus, inquam, in legitima epiſcoporum ſucceſſione doctrinam conſentientem antiquiſsimæ traditioni eccleſiæ, haud poſſumus dubitare vbinam veram Chriſti eccleſiam quærere nos oporteat: à qua quiſquis ſeparatus fuerit, quantumlibet ſe laudabiliter viuere exiſtimet, hoc ſolo ſcelere, quòd à Chriſti vnitate ſeiunctus eſt, non habebit vitam æternam, ſed ira Dei manet ſuper eum. Quiſquis autem in hac eccleſia bene vixerit, nihil ei præiudicant aliena peccata, quia communio malorum non maculat aliquem communione ſacramentorum, ſed conſenſus factorum. Id quod beatus Auguſtinus apertiſsimè docet, his verbis. Fides (inquit) noſtra, hoc eſt, fides catholica, iuſtos ab iniuſtis diſcernit, non operum lege, ſed lege fidei. Iuſtus enim fide viuit. Qua diſcretione fit, vt quamuis quis ſine homicidio vitā agat, ſine furto, ſine falſo teſtimonio, ſine alieni appetentia: debitum parentibus honorē deferat: adeo caſtus ſit & continens, vt omnium fœminarum conſortium fugiat, & à coitu, etiam in matrimonio, abſtineat: erga egētes beneficentiſsimus, iniuriarum patientiſsimus,

Lib. 3. cōtra duas epiſt. Pelag. ca. 5.

tiſsimus, non modò alienum non appetat, ſed nec repetat quidem quod ſibi ademptum eſt: venditis ſuis facultatibus, & in vſum pauperum diſtributis proprium nihil poſſideat: Niſi tamen catholicam in Deum fidem rectam habeat, cùm exceſſerit è vita, his etiam laudatis moribus præditus, condemnetur. Alius autem quiſpiam, bonis item moribus ornatus, recta fide, quæ per charitatem operatur, non ita tamen vt cum ſuperiore illo conferri poſſe videatur, vt qui incontinentiæ ſuæ matrimonij honeſtate medeatur, debitam beneuolentiam & reddens & exigens, neque id ſolùm vt liberis det operam, ſed vt aliquid etiam tribuat voluptati, ſolius coniugis tamen contentus amplexibus (quod diuus Paulus permittit, ſecundum indulgentiam, iis qui matrimonij iugo colla ſubdiderunt) non æquo animo ferat iniurias, imò aliquando vindictæ cupiditate tranſuerſus rapiatur (dum modò poſſit dicere, Sicut & nos remittimus debitoribus noſtris, rogatúſque det veniam) bona propria poſsideat, aliquid inde pauperibus erogans, at non vt reſpondere poſsit illlus prioris eleemoſynis: non aliena quidem ſuffuretur, ſed ſua repetat, ſi non ciuili, at eccleſiaſtico certè iudicio: haud dubiè hic, qui multo inferior videtur moribus ac ille alter, propter rectam fidem, qua in Deum fertur, qua viuit, & in omnibus ſe delictis accuſat, Deum in vniuerſis actionibus laudatis celebrans & prædicans, ſibi probrum & dedecus, Deo gloriam tribuens, accepta ab eo peccatorum remiſsione, & benefactorum amore, cùm ex hac luce migrabit, infernis cruciatibus liberabitur, regnaturus in eorum cœtu & concilio, qui cum Chriſto beati ęterno ęuo perfruũtur. Hactenus ſatis docuiſſe puto quænam vera ſit Chriſti eccleſia, ac vbi quærenda. Nunc ſupereſt vt, quod vltimo loco propoſui, patefaciam, nimirùm eos, qui doctrinam antehac inauditam ſpargunt in vulgus & diſsipant, quod ad ſacramenta attinet ac ipſorum miniſterium, non poſſe eccleſiæ Dei membra eſſe, etiam ſi doceant quatuor Euãgelia, ſcripturas ſeruent Apoſtolorum, fidémque & charitatem cum reliquis eccleſiis. Quod quidem haud intellectu erit difficile, ſi animaduertamus, eos omneis, qui ſua ſponte ex eccleſia egrediuntur, ac ipſius vnitatem nouis dogmatibus ſcindunt, Antichriſtos

eſſe:cùm Ieſum, Chriſtum eſſe inficientur. Si enim Chriſtus eccleſiæ ſuæ ſanctum ſpiritum promiſit, qui æternùm omnem veritatẽ ipſam docturus eſſet, neque fidem ſuam liberauit, vanus & mẽdax eſt. Si mendax, haud vtique Chriſtus eſt, qui ſolus via, veritas, & vita eſt. At promiſſis ille nõ ſtetiſſet, ſi eccleſiam ſuam adhuc immerſam reliquiſſet in tantos támque pernitioſos errores, quàm nugantur iſti mentiendi artifices & architecti, híſque tãdem nouiſſimis diebus veritatem hactenus obſcuram ac nulli cognitam reuelaſſet atq; detexiſſet. Quod cùm fieri nullo modo poſſit, neceſſariò fatendum eſt, eos, qui diſſerunt, dum de cultu diuino agitur, de ſacramentorum doctrina ac de miſſæ ſacrificio, aliter atque eccleſia Dei in hunc vſque diẽ docuit, verè Antichriſtos eſſe, qui verã germanámque eccleſiã contemnunt, miſerè dilacerant ac perſequuntur, rudi ac ignaræ multitudini pro virili ſuadere conantes ex verbis Euſebij perperam intellectis, in primitiua eccleſia ſtatim à morte Apoſtolorũ ac diſcipulorum Domini, Euangelicam doctrinam vitiatam corruptamq; fuiſſe, ac eos, qui vicarij muneri illorum ſucceſſerũt, non rectè Deum cognouiſſe. Quã blaſphemiam, vinculis, flagris, equuleis, ſectionibus, incendiis vindicandã puniendámque vt perſuadeant, peruertunt & detorquent diuina ſcripta: quæ quidem ſi ſeruarent, Chriſti eccleſiam agnoſcerent, quæ ab Hieroſolymis (vti iam diximus) creſcere incipiens, atque inde per Apoſtolorum prædicationem in omnes gentes diffundi, iugi ſucceſſionis ſerie ad hæc vſque tẽpora incolumis & integra manſit. Cùm autem illi ex nobis exierint, haudquaquam noſtri

Auguſt. in epiſt. Ioan. tract. 3. gregis fuiſſe putandi ſunt. Si enim in numerũ noſtrũ fuiſſent aſcripti, permanſiſſent vtique nobiſcum, Quòd ſi dicãt nos à ſe abſceſsiſſe, veritas eos redarguet. Habemus enim teſtamentũ hæreditatis domini Dei. Id recitamus, atq; ibi

Pſal. 2. ſcriptum reperimus: Dabo tibi gentes hæreditatẽ tuam, & poſſeſsionẽ tuam terminos terræ. Si igitur ex nobis exierunt, non autem nos ab illis, Antichriſti ſunt. Si Antichri-

1. Ioan. 2. ſti, vani ſunt & mendaces. Si mendaces, negant Ieſum, eſſe Chriſtum. Quare membra eccleſiæ Chriſti eſſe nequeunt.

Cap. 7. Diuus certè Ioannes Chryſoſtomus in opere imperfecto ſuper Matthæum, declarans veſtimenta ouium in quibus pſeudo-

pſeudoprophetæ ad nos veniunt, eſſe ſanctæ religionis ſpeciem, eleemoſynam fictam, aliáque id genus pietatis opera quibus lupi iſti rapaces induuntur: ait nihil eſſe quod tam perdat Chriſtianos, quàm quòd pſeudochriſtiani ſunt, quos etſi cognoſcere primo obtutu difficile ſit, quia ſimilitudinem habeant myſteriorum eccleſiaſticorum ac imitentur, Chriſtum confiteantur, altare habeant offerant panis & vini ſacrificium, baptizent, & ſanctorum ſcripturas legant, totúmque ſacerdotij habeāt ordinem: quia tamen Chriſtum non confitentur vti iuſſit, noſtrę negligentiæ imputandum dicit, ſi ab iis ſeducamur. Iam verò cum pſeudodidaſcali iſti altaria Domini ſubuerterint, nullo modo offerant ſacrificium panis & vini, imò obſtinatis animis reiiciant, exhorreant, & abominentur totum ſacerdotij ordinem, doceant quod reliquum eſt è pane & vino conſecrato, peracta diſtributione, iam non eſſe ſacramentum, at comedi ac bibi poſſe non aliter ac alium panem & vinum: ſimiliter quod è cœleſti pane in terram decidit, non eſſe ſacramentum: non eſſe orandum pro defunctis fidelibus: ieiuniorum diebus quibuſlibet cibis Chriſtianum veſci poſſe ſine delectu, etiam carnibus: non eſſe de peccatis cōfitendum coram ſacerdotibus, quibus tamen Chriſtus poteſtatem fecit remittendorum aut retinendorum peccatorum: ſacerdotes, monachos, ac Deo dicatas virgines (Nonnas Hieronymus, Sanctimoniales Auguſtinus appellat) nihil obſtante voto, ſiue expreſſum, ſiue implicitum id fuerit, matrimonio poſſe coniungi: in eccleſia Dei duo tantùm eſſe ſacramenta, ſexcentóſque eiuſmodi errores & execrandas impietates differant: Nónne, ſi ab iis à recta ſynceráque fide abducamur, vecordiæ noſtræ aſcribendum erit? Cùm Apoſtolus Epheſios alloquens dicat: Hoc ego noui quòd ingreſſuri ſint poſt diſceſſum meum lupi graues in vos, non parcentes gregi. Et ex vobis ipſis exorientur viri, loquentes peruerſa, vt abducant diſcipulos poſt ſe? A fructibus eorum (ait Chriſtus) cognoſcetis eos. Fructus enim hominis eſt fidei confeſsio, & opera conuerſationis eius. An non autem audaciæ eſt effrenatiſsimæ, eiuſmodi blaſphemias tanquam veritatem Chriſtianæ plebi obtrudere? An non

Act. 20.

Mat. 7.

apertè Deum irridẽt, & faciem eius impiè conſpuunt, cùm eos nihil pudet diuina ſcripta peruertere, eáque docere quæ eccleſia catholica adhuc ignorauit, aut ſemper abhorruit & deteſtata eſt? Quòd ſi ea perſuadere volunt, quę omni poſito pudore in medium adferunt, claro manifeſtóque Dei verbo probent oportet. Quod nunquam poterunt. Nam in tota ſcriptura nulla ſyllaba eſt, quæ eò ſpectet. Cùm igitur eccleſia catholica aliter ſemper docuerit ac ipſi profitentur, quomodo membra eius eſſe poterunt? Quòd ſi, qua impudentia ſunt, aſſeuerare volũt, cœtus ſuos orthodoxos eſſe & catholicos, ſéque veram Chriſti eccleſiam conſtituere, atque ita veram fidei lucem ſibi affulgere (quod minimè mirabor, cùm, Auguſtino teſte, idem olim ſibi arrogarint Nouatiani, Donatiſtæ, & Pelagiani) fatendum eſt omnino aut à Chriſto eccleſiam non cœpiſſe, aut aliquo pòſt tempore eſſe deſiiſſe. Compertiſsimum enim eſt, prius quàm efferata iſta monſtra venenum effudiſſent, huiuſmodi veſanias nunquam fuiſſe. Sed à Chriſti tempore eccleſia in Apoſtolis, & Apoſtolorum diſcipulis fuit, neque vnquam poſteà deſiit. Nam aliter mentiretur ſcriptura per prophetas clamans: Et regni eius non erit finis. Mentiretur Gabriel Archangelus idipſum beatæ Mariæ dicens. Mentiretur & ipſa veritas, quæ ait: Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi. Sed fieri non poteſt, vt mentiatur veritas, vel in propriis verbis, vel in tantis teſtibus ſuis. Nunquam igitur poſt Chriſtum eccleſia Chriſti eſſe deſiit. Non ſunt igitur Eccleſia Chriſti. Aut certè ſi ſe à Chriſto cœpiſſe & hucuſque perſeueraſſe, impudentiſsimè mentiuntur: oſtendant, iuxta Danielis vaticinium, quatuor præcipua regna mũdi ſe contriuiſſe, oſtendant ſe orbem terrarum impleuiſſe, oſtendant ſuum regnum alteri populo non ceſsiſſe. Quod eos non poſſe, omnibus abundè ſatis perſpicuũ eſt, cùm noſter populus orthodoxus & catholicus omnia mundi regna poſſederit, ſectas hæreſéſque omnes authoritate & ratione ꝓculcet ac confringat. Quapropter eccleſia noſtra à Chriſto fundata, non ab apoſtatis ſceleratiſsimis Luthero, Zuinglio, Oecolampadio, & eorum ſimilibus, incepit, non in Saxonibus, Vuitembergæ, Baſileæ, Tiguri, aut

Guymund⁹ lib.3. de ſac. circ. fin.

in alia orbis regione vel vrbe,ſed Hieroſolymis,ſicut prę-
cepit Chriſtus,& prophetæ prædixerunt. Quare æternùm
valebit. Hæreticorum verò ac pſeudoprophetarum im-
probitas & veſania, æterno ſuffuſa pudore conticeſcet, li-
cèt Dei permiſſu ad tempus caput exerat. Vos certè gra- *Auguſt.*
uem Deo iniuriam facitis, qui aliter de Chriſto creditis *lib. de ciuit.*
quàm mundus credidit, quem crediturum eſſe Deus præ- *Dei vlt. ca.*
dixit, laudauit, promiſit, oſtendit. Quòd ſi fidem mundi *25.*
Deus laudauit, veſtra vtique figmenta reprobauit. Non
enim eſt,niſi vna fides laudabilis apud Deum.Quòd ſi rem
credibilem mundus credidit, vos qui credere renuitis, vi-
dete quàm ſitis ſtolidi. Sin autem res incredibilis eſt,vnde
toto terrarũ orbe iam credita eſt? Verum quidem eſt,nec
vllo modo negãdũ,Satanam ſuis vafris & callidis cõmẽtis
iampridẽ conatũ eſſe tenebras offundere ſacramẽtorũ do-
ctrinę, Euchariſtię potiſſimũ,ea vt deprauaret,corrũperet,
obſcuraret: veluti cùm per miniſtros ſuos in vulgus ſpar-
ſit falſam iſtam,ſceleratam,& impiam opinionem, ſubſtã-
tias panis & vini in ſacramẽto corporis & ſanguinis Chri-
ſti integras permanere, fideles tantùm in ſigno participa-
re corpus & ſanguinem Domini, licèt per fidem ipſa veri-
tate fruantur: carnem & ſanguinem Chriſti ſub panis
& vini ſpeciebus non adeſſe inuiſibiliter,nec ſacramento
contineri: eccleſiam,quæ multis ſeculis laicis & presbyte-
ris non ſacrificantibus ſolam panis ſpeciem porrexit, con-
tra Chriſti inſtitutionem feciſſe:quaſi verò Chriſtus diui-
datur, ſanguiſque eius à carne ſeparari nunc queat, aut
plus contineatur ſub duabus ſpeciebus quàm ſub vna:vir-
tuſque ſacroſanctæ euchariſtiæ pendeat è ſpeciebus, nec à
viuificatrice carne & ſanguine Chriſti proueniat.Sed hor-
rendæ abominationis caput fuit, quum ſatellites ſuos im-
pulit,vt paſſim docerent, ſcriberent, & peruulgarent, Eu-
chariſtiam in miſſa non eſſe ſacramentum (quod antè nũ-
quam auditum fuerat in eccleſia Dei) ipſámque miſſam
non eſſe ſacrificium.Cętera cõmemorare pudet quæ inſa-
ni planéque furioſi homunciones hîc impiis & flagitioſis
faucibus eructant:ac re vera ea tacere præſtat,quàm refer-
re: cùm ſanctus ſpiritus, qui minimè diuiſus eſt, eodem
ſemper modo in eccleſia docuerit,miſſam ſacrificium eſſe,

à Chriſto eccleſiæ commendatum in ipſius memoriam, idipſum repręſentans quod ſemel in cruce oblatum eſt, verúmque ſacrificium, incruētum, ſpirituale, Euchariſticum, laudis, gratiarum actionis, & obedientiæ Deo peculiariter debitæ: breuiter, omnium ſacrorum ſanctiſsimam actionem, & publicum in eccleſia miniſterium, quo quidem Chriſti beneficium maximè illuſtratur, in quo per fidem ac pium mentis affectum nobis applicamus peccatorum remiſſionem, quam nobis in crucè Chriſtus promeruit. Ecquis autem error peſtilentior, ecqua execrabilior impietas, quàm pertinaciſsimè inficiari quod omnes filij Dei magno conſenſu & crediderũt & confeſsi ſunt, ex quo eccleſia Dei, Chriſtiana dici cœpit? Eóſne Chriſtianos iudicabimus, qui nouam conantur religionem inuehere, ceremonias & traditiones Apoſtolorum & ſacrorum conciliorum abolere, Deíq; transferre eccleſiam? qui in hoc tantùm aduigilant vt totum terrarum orbem hoc exitiali, ſi poſsint, veneno inficiant? qui ſuſque déque ferunt, quo pacto omnia habeant: an cœlum terræ permiſceatur, paruipendunt: id vnum dant operam, vt Satanæ patri obſecũdantes, quàm diligentiſsimè Antichriſti tyrannidi viam ſternant? vix animo agitãtes offucias, arteis, impoſturas quibus illi vtuntur: noctem affirmantes lucem, mortem ſalutem, ſpei prætextu in deſperationem pertrahentes, fidei nomine perfidiam confirmantes, atque adeò Chriſti appellatione Antichriſtum: ita vt inuectis eiuſmodi mendaciis, quæ veritatis ſpeciem quandam habeant, veritatem ipſam opprimant? Vix credi poſsit quantum hiſce rationibus calamitatis & incommodi toti Chriſtianiſmo quotidiè importent. Sed verè iſtud poſſum confirmare nullam peſtem aut morbi ſpeciem in terris graſſari, qua æquè inficiantur corpora, ac animi exitioſa hac hæreſi contaminentur. Peſtis corpora modò ſubruit: at hæc abominatio in perenne demergit animas exitium. Si in vna vrbe peſtis ſæuiat, aliam non infeſtabit. Si regionem vnam peruagetur, aliam non inuadet. Sed execranda hæc hæreſis non vnum & item alterum Galliæ oppidum, ſed propemodum omnia peruaſit: nec Gallicanum duntaxat imperium, verùm etiam Germaniam, Angliam, Italiam, multáſque alias

que alias Chriſtiani orbis regiones adorta eſt. Tantis tamen malis miſeri homines non contenti, conantur in dies maiorem toti orbi cladem inferre, vt ſingulis diebus execrabiles in lucem libros edant, vti paucis hiſce annis, quendam ex Italico in Gallicum ſermonem conuerſum, in quo quidem author, vt eſt credibile, ſceleris atrocisſimi ſibi conſcius, nomen ſuum inſcribendum non putauit. Huius certè fanaticum cerebrum ac venenatam linguam ſi per anatomen diligenter excutias, omnes immundos ſpiritus comperies in perditisſimum nebulonem, omnia blaſphemiarum, conuiciorum, atque mendaciorum genera certatim contuliſſe, quæ poſsint vnquam ſcelerate effundi in ſacroſanctam miſſam, canonem eius celeberrimum, ſanctóſque & orthodoxos patres, qui ſingulari ſemper honore illam proſequuti ſunt. Author autem flagitioſisſimi illius libelli ſatis oſtendit, quid de ſe ſentiendum ſit, dum alicubi affirmat minimè ſe ambigere, quin verè fideles & orthodoxi (quos improbo ore dicere audet veritatis Dei ignaros) valde mirentur ſcurrilem & ſcenicam ipſius dicacitatem, atque adeò infortunatisſimum dicant & impuriſsimum, qui tam putidè ac rabioſè loquatur de miſſæ ſacrificio: quod non immeritò poteſt cum lapide conferri, quem coticulam appellant. Vt enim eo ipſo auri vel argenti ſit experimentum: ita miſſa vel ſola patefacere potis eſt, quis orthodoxus ſit vel hæreticus. Cæterùm non eſt mihi cõſilium in peſtilentisſimum illum nebulonem aut eius ſimiles inuehi, cùm ſuo iudicio ſatis iam ipſi condemnati ſint. Illis per me licet, pro ſceleſto more ſuos inferciant, & oppleãt libellos diris ſcommatibus & maledictis omne genus. Hoc tantùm dicam, non eos modò dignos eſſe, qui flagitioſi ac infœlices dicantur, vt re vera ſunt, ſed omnium Antichriſti emiſſariorum maximè deteſtandi, etſi omnes in eodem edocti ludo ad malitiam videntur, beſtiæ characterem geſtantes in frontibus ſuis. Impudentisſimum enim eſſe aduerſus eccleſiam Dei, ea maxima inter illos ad gloriam & opes via eſt. Interim rudes & imperitos admonebo, quos veritatis amor atque ſalutis ſuæ cura tenet, ſi in eiuſmodi fortè libros inciderint (his enim loca omnia iam ſcatent, vt vel

inuitis obtrudantur) tanquam præſentiſsimam peſtem fugiant talem execrationem, quæ ita lethalis & mortifera eſt, vt inter Antichriſti myſteria non poſtremum ſibi locum vendicet, cuius regnum in magni loquentia & blaſphemiis aduerſus Deum ſitum erit. Ecquis verò iam dubitet quin ad hoc regnum omnes hæreſes & ſectæ, quæ ſub Chriſti & eccleſiæ nomine tanquam ſub larua quadam ſeſe occulunt, ſint referendæ? Fieri enim nequit, vt tyrannis excitetur, in animas hominum, contra ſpirituale Chriſti regnum, truculentior, quàm quæ animas à Deo abalienat, deiicit, ac præcipites agit in denſiſsimas Orci tenebras. Hoc fortè beatus Paulus innuit, dum Antichriſtum ait (hoc eſt, omnem falſum & mēdacem ſermonem, qui multorum animas Deo deſolatas reddit) efferri aduerſus omnem qui dicitur Deus, aut qui colitur, adeò vt in templo Dei ſedeat, oſtentans ſe ipſum eſſe Deum. Nónne autem videre nunc licet in compluribus non ſolùm oppidis, ſed etiam regionibus, quemadmodum infamis & execranda Lutheranorum doctrina, & indocta ſacramentariorum arrogantia, eccleſiæ cathedram obſederit, adeò vt pro vero Dei cultu in eccleſia ſedeat, & tanquam veritatis verbum admittatur, extollens ſe ſupra omnem ſcriptorum diuinorum authoritatem, quam confictis & elaboratis explanationibus demoliri ac ſubuertere conatur? An non ea verò eſt abominatio, quę noſtra hac tempeſtate iniquis diſceſsionibus ſcindit populum fidelem, eiúſque defectionis cauſa eſt, quam in multis conſpicimus, qui ex veræ eccleſiæ gremio egredientes, ſponte ſua catholicam fidem deſerūt? An non ille rex eſt impudens facie, intelligens propoſitiones & ænigmata, qui ſupra quàm cuiquam credibile eſt omnia vaſtabit? qui interficiet robuſtos & populum ſanctorum (nimirū quod ad animam attinet) ſecundū ſuam voluntatem? in cuius manu dirigetur dolus, & cōtra principem principum conſurget? Qui tamen fruſtra reſiſtet: nam ſine manu conteretur, cúmque Dominus ſpiritu oris ſui conficiet, & aduentus ſui claritate abolebit. Quod quidem præſtat quotidiè, dum ſeductos in rectam viam reducit, veritatem eos edocens, ita vt ad eccleſiæ catholicæ

Daniel. 7. Apoc. 13.

2. Theſſ. 2. Chryſo. in 24. cap. Matth. homil. 49. Origenes in Matth. homil. 29.

Daniel. 8.

vnitatem

vnitatem cupidiſsimè reuertantur, in qua quidem ſola verus ac ſanus diuini verbi ac ſacrarum ſcripturarum intellectus quærendus eſt. Porrò autem commonſtraturum me confido in ipſo orationis progreſſu, quàm ſacrilega ſint hæreticorum noſtrorum dogmata, quàm friuola argumenta, quàm frigidæ rationes, quibus ſacramenta eccleſiæ diruere ac proculcare contendunt, quibus (vt ait Auguſtinus) numero paucisſimis, obſeruatione facillimis, ſignificatione præſtantisſimis, ſocietatem noui populi Chriſtus colligauit. Ecquod verò grauius in toto terrarum orbe ſcelus reperiri poſſit, quàm eorum, qui ſacramentorum ſubuerſionem moliuntur? Nihil ergo mirum ſi magiſtratus eiuſmodi homines deprehenſos crepitantibus flammis aut vltore gladio perſequatur, quum in iis nulla ſpes vitæ melioris affulgeat, nec rationibus conuinci, nec ſcripturis velint corrigi, quia eas aut non recipiant, aut peruertant, nec perſuaſionibus flectãtur, quia ſubuerſi ſunt, mori potius optãtes quàm cõuerti. Atque vtinam illis in mentem veniret, (ſi tamen quid habẽt mentis) mortem peccatorum, quam Deus non vult, eſſe peſsimam. Neque enim eſt quod malè ſecura arrogãtia iactitent ſe pro Chriſto mori, cùm fieri nullo modo poſſit vt qui in eccleſia non ſunt, pro qua mortuus eſt Chriſtus, pro Chriſto moriãtur. Quare etiam ſi corpora ſua tradiderint vt ardeant & vltricibus flammis exurantur, hoc nihil eis proderit, ſed finis eorum interitus & incendium perenne. *Lib. 4. aduerſus hæreſes, cap. 43.* Quod diuus Irenæus teſtatur his verbis: Et hæretici quidẽ alienum ignem offerentes ad altare Dei, id eſt, alienas doctrinas, à cœleſti igne cõburentur, quemadmodum Nadab & Abiu: & qui exurgunt contra veritatem, & alios adhortantur aduerſus eccleſiam Dei, remanent apud inferos, voragine terræ abſorpti, quemadmodum qui circa Chore, Dathan, & Abiron. *Num. 16.* Qui autem ſcindũt & ſeparant vnitatẽ eccleſiæ, eandem quam Hieroboam pœnam percipiunt à Deo. *3. Reg. 14.* Diuus item Cyprianus in quadã epiſtola de Nouatianis loquens ſententiam noſtram confirmat. *Epiſt. 1. ad Cornelium.* Si quis (ait) eiuſmodi hominum comprehendatur, non eſt quòd ſibi tanquam in nominis confeſſione blandiatur, quum ſatis

cõſtet, quòd ſi illi morte mulctati extra eccleſiã ſint, ea non ſit ipſis corona fidei, ſed pœna potius perfidiæ: nec in domo Dei ſint inter vnanimes habitatores, quos furore diſcordiæ ac diſſenſionis videmus à pacifica & diuina domo receſſiſſe. In eadem ſententia eſt beatus Auguſtinus libro primo de ſermone Domini in monte. Ait enim: Multi hæretici nomine Chriſtiano animas decipientes multa patiuntur, ſed ideò excluduntur à cœleſti mercede: quia non eſt dictum tantùm, Beati qui perſecutionem patiuntur: ſed additum eſt, propter iuſtitiam. Vbi autem ſana fides nõ eſt, nõ poteſt eſſe iuſtitia: Quia iuſtus ex fide viuit. Vt interim

Auguſt. lib. 1. cont. epiſt. Parmeniani. cap. 7. taceam quòd hi minimè propter iuſtitiam patiuntur, qui Chriſti eccleſiam diuiſerunt. Vnde ipſemet alibi ait: Veri martyres illi ſunt, de quibus Dominus ait, Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiã. Nõ ergo qui propter Chriſtianæ vnitatis diuiſionem patiuntur, hi martyres veri

Idem lib. de correct. Donat. cap. 7. Epiſt. 61. ad dulcitiũ tribunum. ſunt. Hoc amplius idẽ in quadã epiſtola ſic ait: Iam neſcio quoties diſputando & ſcribendo monſtrauimus, non eos poſſe habere martyrum mortem, qui Chriſtianorum non habent vitam, cùm martyrem non faciat pœna, ſed cauſa. Ac rurſus alio quodam in loco: Audẽt etiam (inquit) ſacrilega ſchiſmata, vel hæreſes impiæ, ſi quando in flagello, vt

Lib. 3. cõtr. epiſt. Par. cap. 6. ſe corrigant admonentur, pœnas furoris ſui inter martyria deputare. Ac iterũ: Hæretici (ait) auertẽtes turbas à Chriſti vnitate, & ad ſuum nomen conuertere cupientes, interim temporalia ſupplicia ſchiſmatis ſui cõferre audent paſſio-

Tract. 27. in Matth. nibus martyrum. Cuius rationẽ videtur Origenes reddere, cùm ita ſcribit: Omnes ſpecies boni, quaſcunque habet Chriſtus in ſe in veritate ad ædificationem hominum, eas omnes habet in ſe diabolus in ſpecie ad ſeductionem ſanctorum. Id autẽ probat eo ipſo loco per caſtitatis & eleemoſynæ virtutes: ac ſubiicit: Eſt & patiẽtia Antichriſtus in eis qui vidẽtur quidem pati pro Chriſtianitate, & vſque ad effuſionem ſanguinis concertantes, videlicet ne videantur denegare Chriſtianitatem. Iniquitatem autẽ in excelſum, in ipſa etiam effuſione ſanguinis ſui loquuntur, & ponunt in cœlo os ſuum. Vnde etiã de hæreticis ſui tẽporis diuus

Serm. 66. in cantica. Bernardus hunc in modum ſcripſit: Mirabãtur aliqui, quòd non modò patienter, ſed & læti (vt videbatur) ducerentur

ad mor-

ad mortem:ſed qui minus aduertunt quanta ſit poteſtas diaboli,non modò in corpora hominum,ſed etiã in corda, quæ ſemel permiſſus poſſederit.Nónne plus eſt ſibimet ho minem iniicere manus,quàm id libenter ab alio ſuſtinere? Hoc autem in multis potuiſſe diabolum freque͂ter experti ſumus,qui ſeipſos aut ſubmerſerunt,aut ſuſpenderunt.Denique Iudas ſuſpendit ſeipſum, diabolo ſine dubio immittente.Ego tame͂ maius exiſtimo, magiſq́ue admiror,quòd potuit immiſiſſe in cor eius,vt traderet Dominum, quàm vt ſemetipſum ſuſpenderet.Nihil ergo ſimile habe͂t cõſtãtia martyrum,& pertinacia horum:quia mortis cõtemptũ in illis pietas,in iſtis cordis duritia operatur. Et ideò propheta martyris forſan voce dicebat, Coagulatum eſt ſicut lac cor eorum. Ego verò legem tuam meditatus ſum. Pro eo videlicet, quòd etſi pœna eadem videretur, longè diuerſa eſſet intentio:illo vtique obdurãte cor contra Dominum,iſto autem in lege Domini meditante.Ex his intelligi licet,quid de pſeudomartyribus noſtræ memoriæ ſentiendum ſit:de quorum etiam perenni ſupplicio,præſertim ſi in ſua perfidia obſtinatis animis moriantur, nihil eſt quod quiſquam dubitet:cùm Dominus ipſe eorum ſanguinem effundi iubeat, qui alios à veritate amplectenda deterrent. Si frater,inquit,tuus,& amicus, & vxor quæ eſt in ſinu tuo,deprauare te voluerint à veritate, ſit manus tua ſuper eos:& effunde ſanguinem eorum, & auferes malum de medio Iſrael.Eant nunc hæretici: excudant typis, quoties libitum fuerit,inſignem illum commentariolum pſeudomartyrum, quem mirificè ſuauiantur, in oculis ferunt, amplectuntur. Prædicent etiam quoad voluerint, crucem non paruam eſſe eccleſiæ veræ notam,non propterea nos credemus illos eſſe Chriſti martyres, quum magiſtratus (qui gladium tanquam Dei miniſter geſtat, vt in ſceleſtos animaduertat,& vltimo eos afficiat ſupplicio, qui animas interimunt veram diſſipantes eccleſiam)eos adſupplicium rapit,morteq́ue mulctat, ne plurimos in errorem & perfidiam illiciant,verbis non exiguam vim ad perſuadendum, parumq́ue cautos & in fide non ſatis ſtabiles(qui ipſis aures patefaciunt) permouendos, habentibus. Neque enim ex perpeſſione certa eſt eius, qui torquetur, iuſtitia: ſed ex

iuſtitia paſſio glorioſa eſt. Sed quis, iſtorum nebulonum, ſana modò ſit mente, non rideat amentiam, qui manum Domini fortem expectent, foreque ſperent indubiè, vt ſuo adſit tempore, & ſeſe armata exerat, tum ad ipſos ex afflictione eruendos, tum ad eos, qui nefariis ipſorum conatibus pro virili eunt obuiam, peſſundandos & proterendos? Iuſtus certè Dominus & miſericors, qui pauperes & innoxios ex periculis & calamitatibus primo quoque tempore nouit eripere: ſed idem impios, apoſtatas, & hæreticos, vitamque eorum perditam, & mores profligatos peſſimè odit ac deteſtatur. Sed de his hactenus. Ad inſtitutiones noſtras me refero, quas cùm vernaculo ſermone ſcriptas anno ſuperiore amicis quotidiano penè conuicio vt emitterem flagitantibus (nam ipſe nondum opinabar eas ſatis maturuiſſe) non tam edidiſſem quàm præcipitaſſem, ſtatim cupedinarij, lanij, coqui, fartores, aucupes, paraſiti, ſycophantæ, ganeones, & alij id genus homines, qui nihil aliud quàm patria bona abliguriunt, in cute plus æquo curanda dies totos tranſigentes, in mediis illas popinis in manus ſumunt, perlecto tantum indice me lacerant, deuouent, omniaque mala diris imprecationibus mihi optant, qui voluptariæ, molli, & delicatæ ipſorum vitæ tantoperè aduerſarer. Veritas enim acerba eſt, & inuiſa omnibus, qui virtutis expertes vitam ſuam mortiferis dedunt voluptatibus. Eò autem res tandem deuenit, vt niſi me ex eorum inſidiis pro immenſa bonitate Deus eripuiſſet, ſuauiſsimæ huius lucis vſura iampridem carerem. Cùm igitur viderem me hominum omni diritate atque immanitate teterrimorum præcipitibus ſententiis damnatum, Luſciniæ in morem (quę, vt eſt in fabulis, de ſuauitate concentus cum cuculo contendens, aſino, qui ad eam cognitionem viſus erat aptiſsimus, victoriam cuculo adiudicante, ad hominem repudiata appellauit) rebus rationibusque meis vtile duxi ad homines verè pios & doctos appellare. Eamque ob cauſam Latinas has inſtitutiones noſtras, in quibus & permultos inſignes locos in illis prioribus non tractatos addidimus, & omnia paſsim fuſius copioſiusque explicauimus, cauillis aduerſariorum ſemper occurrentes, in eruditorum manus venire voluimus, vela ventis permittentes,

tes,auramque ſoluentibus bonam precati. In his tamen ſi nonnulla ſubinde repetita videbuntur, admonitos volo lectores,id eò factum fuiſſe, vt ad plenum doceantur, qui rudes adhuc & imperiti ſunt rerum theologicarum, nec eum in diuinis ſcriptis profectum fecerunt, vt quid in ſingulis religionis Chriſtianæ capitibus firmiſsimè ſit tenendum,per ſeſe, ſuoque (quod aiunt) marte peruidere poſſint. Horum enim gratia argumentum iſtud familiariter nobis pertractare viſum eſt. Alioqui non ſum neſcius, nihil opus eſſe,vt noſtris legendis immorentur, qui in diuinarum rerum ſcientia prouecti impios hæreticorum errores compertos habent.

Cæterùm in operis progreſſu vnuſquiſque videre poterit Chriſtianæ & orthodoxæ fidei ſtabilitatē, & nullis diſcordiis labefactatam vnitatem: videbit etiam omnium ſeculorum & locorum conſenſum: quid olim, quid media ætate,& quid hac poſtrema crediderit & credat eccleſia Dei. Cognoſcet quàm congruant præſentia præteritis, nec aliter doceri modò quàm olim,nec nouas tradi inſtitutiones, ſed veteres retineri. Contrà autem in hæreticorum conuenticulis & cœtibus diuerſa omnia perſpicientur: qui ſi multos ſeducant à via veritatis,haud magnopere mirandum eſt,cùm id futurum & Dominus prædixerit, & Apoſtolus affirmet fore tempus, cùm ſanam doctrinam non ſuſtinebunt: ſed iuxta concupiſcentias ſuas coaceruabunt ſibi doctores,ij quibus pruriunt aures,& à veritate quidem aures auertent,ad fabulas verò conuertentur. Qua quidem calamitate Deum opt.max.oro atque obteſtor,candidi lectores,nos pro ſua bonitate liberet, vt in eccleſia Chriſti ad extremum vſque ſpiritum concordes & vnanimes in vera pietate vitam exigamus. Sed diutius vos remoror: vereor ne nimiùm longa de his impoſtoribus, Antichriſti emiſſariis & excurſoribus ſumpta oratio, tædium pariat. Miſſos hos faciamus. Satius multò fuerit Theophilum noſtrum diſſerentem audire, vt ex orthodoxis eius ſententiis & ſanis ſermonibus percipiatis,quid ad ſalutem æternamque vitam ſit neceſſarium.

2.Tim.4

Finis præfationis.

Portu ſoluere næ potes libelle,
Syncere tibi perſuaſionis
Doctrinæq; piæ, ſalubris, atque
Caſtæ conſcius, & facem fideli
Præferens populo, ſtygem tremendam
Qua vitare queat micante pernix.
Nunc ergo celer euola per orbis
Obſcurum chaos: oppida ac agellos
Luſtra ſedulus, & nitore puro
Fac iam diſcutias tenebricoſam
Noctem, quæ miſeros homunciones
Orco mactat auaro & inſuaui.
Acreis dæmonis impetus retunde, &
Aſtus monſtrificos tenebrionum:
Vt mendacia corruant repentè,
Ac affulgeat omnibus coruſca
Lux errantibus, & fuget tenebras.
Anne membra tibi rigent timore,
Et tremor gelidus per ima currit
Oſſa? Parce metu, nec intremiſce.
Complures lepidis iter capeſſent
Rectum colloquiis, bonóſque fructus
Mox edent, metanœa quos requirit,
Mutata in melius ſubinde vita.
Seuíne Herculis arma poſtulabis,
Aut Sanſonis in hac acerbiore
Pugna? totus es ipſe tectus armis,
Qui certam doceas viam ſalutis.
Clientela igitur fide & ſacrata
Regis Francigenûm potentis, vſque
Munitus, nihil extimeſce lucem:
Te committere publico valenter
Aude: Nam generoſus hoc iubet rex,
Mandat, præcipit, imperat ſeuerus.

N. Villemorij Pariſienſis.

PETRI BVLENGERII TRECENSIS INSTITVTIONUM Chriſtianarum liber, ſiue dialogus primus.

Interlocutores Dorothea & Theophilus.

DOROTHEA.

QVEMADMODVM qui aurigæ non ſatis periti dubiæ ſe parúmque tutæ aurigationi permiſit,in cõfragoſis lubricíſque locis tenacem in limũ incidit, vnde emergere non potis eſt, niſi quis amicè porrecta manu illum quoad eius fieri poteſt, inde conetur extrahere: impeditum autem ſe videns ineluctabili cœno, lachrymabundus acrem oculorum aciem quoquouerſus intendit, num quem fortè videat qui dexter ac volens ferat opem: ad extremum illac quidam iter faciens miſero dum auxiliari conatur,alterum è volutabro pedem educens, alterum illi eôdem altius immergit: ita miſerè conſtrictus illic perennè hæret, niſi quis eximia fragrans charitate, viarúmque lubrica & ſalebras omnes exploratas habens benignè ereptum quò tendebat,certa via deducat. Quemadmodum, inquam,his locorum aſperitatibus implicito meritò optimóque iure gaudendum eſt, eum ſibi obuium factum eſſe,à quo perbenignè omni leuatus moleſtia,quô capeſcebat,tutò & liberè peruenerit: Sic vtique mihi, ſuauiſsime frater,tuo aduentu lætandum eſt,

omnibúſque gaudiis exultandum. Ex quo enim tu à nobis abfuiſti, iam inde vſque à pueritia incredibili quodam æſtuaui deſiderio eius cognoſcēdæ viæ, quæ corporum vinculis tanquam carcere liberatos in eorum cœtum conciliúmque perducat, qui in cœlo beati ſempiterno æuo fruuntur. At necdū tamen voti facta ſum compos. Nam nonnullorū fidem ſequuta, mirum quantùm, alio aliam monſtrāte viam, fruſtrata fuerim. Hic enim ſimulatione virtutis, cùm vita dictis minimè reſponderet, animum meum rudem adhuc & imperitum, à via ſalutis, quam vnam veſtigo, ſeduxit: ille cùm in frequenti mulierum, inconſultarúmque puellarum corona, ab eccleſia priſtinæ reſtituta puritati ſe miſſum iactaret ac gloriaretur, quò deuios ac errantes in viam reduceret, eas teneræ menti meæ tenebras offudit, vt multò quàm antè magis errarim. Ita factum eſt, vt in imbecilla mente, cùm bonum à malo, hæreticum ab orthodoxo ſecernere non poſſet ac internoſcere, ſexcentæ dubitationes & ſcrupuli inſederint, atque adeo ipſa in quodam variarum opinionum quaſi luto hæſitauerim. Quare Deum opti. maxi. ſatis laudare non poſſum, qui placidis oculis afflictam reſpiciens, te mihi commodùm obtulerit, à quo ſplendidiſsima luce diuini vultus affulgente, ab omnibus errorum tenebris aſſeri vindicaríque poſsim. Vt enim vera fatear, quas ad me antehac literas dediſti, tam parum animo meo ſatis fecerunt, vt mirificè ſemper optarim ab ore tuo pendens audire ſumma rerum capita, quæ in ſalutis portum vitámque beatam mortales certò peruehunt.

THEOPHILVS.

Blaterones neſcio qui, dulciſsima ſoror, & in verba prouecti homines, qui paucis his annis, dum imperiū Gallicanum peruagantur, in hominum mentes irrepſerunt, ferentes nouas opiniones, euellentes inſitas, te, quantum ex verbis tuis intelligere eſt, ita conturbarunt iſtius ætatis tuæ imbecillitate freti, vt animum tuum incircunſpectum turbulentis ſeditioſíſque concionibus occæcantes, à recta ſemita propè auerterint, atque ita in eas ærumnas præcipitem dederint, in quas ipſi ſingulis diebus incidunt, vnde pedem abſque peculiari quodam numinis fauore nunquam

quam referre liceat. Cùm autem in præſentia te eo animo affectam videam,vt nihil æquè aueas ac eorum fraudes & fallacias penitus cognoſcere, Deum (cuius beneficio iſta omnia comperta perſpectáque habeo) tecum laude veho, quòd academia,in qua agebam,ad tempus relicta,domum noſtram inuiſerim, vbi cõmunicare tecum potero ea,quæ vera religio Chriſtianáque fides amplectitur.

DOROTHEA.

Quando ergo,mi frater,hoſce dies octo nobis totos dicaſti, intereáque loci neceſſariis negotiis curíſque vacui ſumus, à te etiam atque etiam vehementer peto, vt pomeridianis horis ea me dilucidè copioſéque doceas, quæ ſalutem noſtram ſpectant.Ego te ſuper ſingulis capitibus interrogabo, orationéque tua, ſi quando res poſtulare videbitur, interrupta, dubitationes, quæ poſtremæ animo meo infixę hæſerunt,in medium proferam.

THEOPHILVS.

Ego cùm videam,chariſsima ſoror,animi tui alacritatem,magis ac magis vt iſtud faciam adducor. Proinde ſic habeto,mihi nihil potius eſſe, quàm vt tuæ morem geram voluntati.Sed pauliſper è turba in amœnas hortorum ſolitudines ſecedamus.Ibi enim,aſpirante Deo,poſtulatis tuis cumulatè ſatisfaciam.

DOROTHEA.

Eamus ſanè. Iam ab omni hominum concurſu, familiæque ſtrepitu procul ſemoti ſumus. Reliquum eſt vt ſeramus ſermones. Audiui,mi frater,æternam vitam, in aſſequenda Dei per Chriſtum cognitione,cõſiſtere. At iſtud ita obſcurum & difficile animo meo videtur etiamnum imbecilli, vt ſatis intellectu conſequi non poſsim.Quamobrem inde, ſi placet,ducamus initium. Quid ad cognoſcendum Deum tutóque ad gratiæ ipſius thronum accedendum neceſſarium eſt?

THEOPHILVS.

Fides prorſus eſt neceſſaria.Qui enim ad Deum accedit, hunc credere oportet Deum eſſe, & eſſe remuneratorem quærentibus ſe. *Heb.* 11.

DOROTHEA.

Quid tandem appellas fidem?

THEOPHILVS.

Auguſt. in Euch. ad Laur. Fides, donum dei eſt humanæ menti diuini ſpiritus afflatu infuſum, quo citra vllam hæſitationem credimus eſſe veriſsimum quicquid nobis in ſacris bibliis traditur. Fides itaque eſt certa perſuaſio de verbo domini nobis diuinitus reuelato,& certa fiducia de diuinis promiſsis, cum perfecta obedientia, qua homo ſe totum diuinæ voluntati permittit.

DOROTHEA.

Perbellè iſtud mihi dictũ videtur.Sed quid potiſsimũm Chriſtiano homini credendum eſt?

THEOPHILVS.

Symbolum Apoſtolorum ſummam eorum omnium complectitur, quæ illi & credenda ſunt, & propalam confitenda.

DOROTHEA.

Cur eam confeſsionis formulam, Symbolum vocas Apoſtolorum?

THEOPHILVS.

Quoniam ſignum eſt, certiſsimáque nota, qua noſſe licet quiſnam germanam verámque fidem habeat: vt interim taceam, quòd eiuſmodi confeſſio, mera eſt ſanctiſsimorum Apoſtolorum doctrina,vel ab eorum ore excepta, vel ex eorum ſcriptis fideliter collecta.

DOROTHEA.

Recita.

THEOPHILVS.

Credo in Deum patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ.Et in Ieſum Chriſtum, filium eius vnicum, dominum noſtrum: qui conceptus eſt è ſpiritu ſancto, natus ex Maria virgine: Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus,mortuus & ſepultus: deſcendit ad inferos:tertia die reſurrexit ex mortuis:aſcendit in cœlum:ſedet ad dexteram Dei patris omnipotentis, inde venturus ad iudicandum viuos & mortuos. Credo in ſpiritum ſanctum: ſanctam eccleſiam catholicam, ſanctorum communionem, remiſsionem peccatorum, carnis reſurrectionem, vitam æternam, Amen.

DOROTHEA.

Vt facilius pulcherrimam hanc confeſsionem intelligere poſ-

re poſsim, in ſuas partes mihi diſtribue.

THEOPHILVS.

Duodecim præcipuos articulos complectitur, & in tria mẽbra diuidi poteſt: ſicut ſanctiſsimæ trinitatis tres ſunt perſonæ. Prima parte Deum patrem confitemur, qui condidit omnia. Deinde Ieſum Chriſtum, qui genus humanum redemit. Poſtremò ſpiritum ſanctum, qui eccleſiam ſanctificat, regit, tuetur, & viuificat. Attamen vt vna eſt trium perſonarum deitas, & æqualis poteſtas: ita omnes iſtæ actiones à tota ſimul trinitate inſeparabiliter perficiuntur, vt pater ingenitus per filium & ſpiritum ſanctum condiderit vniuerſa: filius vnigenitus cooperante patre & ſpiritu ſancto mundum redemerit: ſpiritus ſanctus, ex patre & filio procedens cum patre & filio eccleſiam viuificet, conſeruet & gubernet.

DOROTHEA.

Recita vnumquenque articulum ſuo loco & ordine.

THEOPHILVS.

Primus articulus hic eſt. Credo in deum patrem omnipotentem, creatorem cœli & terræ.

DOROTHEA.

Cùm Deum nominas, quid intelligis?

THEOPHILVS.

Deum ego ſentio & credo mentẽ eſſe quandam æternã, quæ nec initium habuerit, nec finem ſit habitura: qua nihil eſſe poteſt nec maius, nec ſapientius, nec melius. Quæ nutu ſuo omnipotenti cõdidit quicquid eſt rerũ viſibiliũ. Quę ſapientia mirabili moderatur ac gubernat vniuerſa, ſua bonitate paſcit ac ſeruat omnia, atque hominum genus collapſum gratuitò reſtituit. Deus ſpiritus ẽſt, ſimplex, non aſpectabilis, incorporeus, immenſus, & ineffabilis, infinitæ potentiæ, infinitæ ſapientiæ, bonitatis, iuſtitiæ, & miſericordiæ. Quæ quidem omnia in Deo ſunt, non vt accidentia, ſed re ipſa hæc omnia Deus eſt.

DOROTHEA.

Cur patrem vocas?

THEOPHILVS.

Patrem dico, vt perſonam à filio diſtinctam, quæ filium ſuæ diuinitatis cõſortem ante omne tempus genuit: manifeſtauit autẽ palámq; fecit mundo eundẽ opportuno

tempore. Dicitur etiam rectè pater, quòd creator ſit & parens rerum omnium, maximè verò hominum: peculiari tamen ratione dicitur pater credentium, quos adoptare dignatus eſt in filios.

DOROTHEA.

Quare omnipotentem nuncupas?

THEOPHILVS.

Solus certè Deus omnipotens eſt, qui omnia quæcunque voluit fecit in cœlo & in terra: neque impoſsibile eſt apud eum omne verbum. Et cùm omnipotentem dico, me totum illi ſummito, ad cuius maieſtatem nihil eſt hominum, aut angelorum ſublimitas. Deinde plena fiducia credo, quod ab illo factum tradunt ſacræ literæ, ſimulque futurum, quicquid ille promiſit, quando nutu quicquid vult poteſt, quantumuis homini videatur impoſsibile. Ita fit vt meis viribus diffiſus, totus ab illo pendeam, qui poteſt omnia. Cùm autem ſit omnipotens, immortalis eſt, verax, qui fallere aut mentiri non poteſt. Neque verò potentiam ipſum habere ſentio, quam non exerceat, ſed omnia ipſum habere ſub poteſtate & manu, arbitrio ſuo omnia conſtituere, & omnibus creaturis, prout viſum eſt, imperare, adeò vt nihil niſi per ipſum eiuſque decreto fiat.

DOROTHEA.

Quorſum addis, Creatorem cœli & terræ?

THEOPHILVS.

Quoniam per opera ſe nobis patefecit, in illis quoque nobis quærendus eſt. Neque enim eſſentiæ eius capax eſt mens noſtra. Condidit autem cœlum & terram, quæque ex iiſdem clauduntur viſibilia & inuiſibilia, eáque ex nihilo
Pſal. 33. per coæternum verbum ſuum. Verbo enim Domini, vt ait propheta, cœli firmati ſunt, & ſpiritu oris eius omnis vir-
Coll. 1. tus eorum. Et ſanctus Apoſtolus, Per ipſum condita ſunt vniuerſa, ſiue throni, ſiue dominationes, ſiue principatus, ſiue poteſtates, omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt. Eſt igitur mundus ipſe veluti ſpeculum quoddam, in quo Deum poſsimus inſpicere, quatenus eum cognoſcere noſtrâ refert.

DOROTHEA.

Cùm tueri conſeruareque in ſuo ſtatu creaturas multo

ſit præſtantius, quàm ſemel condidiſſe, an ſic opera ſua Deus ſemel creauit, vt illorum poſtea curam abiecerit?

THEOPHILVS.

Minimè vero id quidem: Parum enim eſſet omnia à Deo fuiſſe creata, niſi manum operi ſemper admotam haberet, & niſi ſe vbique præſentem omnium moderatorem oſtenderet. Itaque ſic habendum eſt, mundum, vt ſemel ab eo fuit conditus, ita nunc ab eo conſeruari: nec aliter & terram & alia omnia ſtare, niſi quatenus eius virtute & quaſi manu ſuſtinentur. Cùm ergo creatorem dico, gubernatorem etiam intelligo, qui prouidentia ſua mundum regat, & totum naturæ curſum atque ordinem ſapientia, bonitate, & potentia mirabili moderetur: qui pluuiæ ſimul ac ſiccitatis, grandinum, aliarúmque tempeſtatum ac ſerenitatis ſit author: qui benignitate ſua terram fœcundet, eámque rurſus, manum ſuam reducendo, ſterilem reddat: à quo ſanitas ſimul & morbi proueniant: cuius denique imperio ſubiaceant omnia, & nutui obſequantur. Neque enim per inde ſe habet, vt alij opifices, qui peracto opere diſcedunt, & domino ſuo opus abſolutum relinquunt. At præſens ſemper adeſt ſuis creaturis, eiúſque nutu portantur omnia: in eo enim viuimus, *Acto. 17.*
mouemur, & ſumus. Quamobrem ſyncero affectu totam fiduciam ac ſpem in vnum illum transferamus oportet, qui dat eſcam omni carni: qui prouidet omni creaturæ, & *Pſal.* 104.
in manu ſua omnia habet repoſita. Ideò de illius manu ſunt omnia ſuſcipienda, ſiue læta contingant, ſiue triſtia, ſiue mori detur, ſiue viuere.

DOROTHEA.

Quid ſentis de impiis & diabolis? an eos quoque illi ſubeſſe dicis?

THEOPHILVS.

Quanquam ſpiritu eos ſuo non gubernat, ſua tamen poteſtate, tanquam fræno eos coercet, ne mouere quidem ſe queant, niſi quoad illis permittit. Quinetiam voluntatis ſuæ facit miniſtros, vt inuiti ac præter ſuum conſilium exequi quod illi viſum fuerit cogantur.

DOROTHEA.

Quid ad nos ex eius rei cognitione vtilitatis redit?

THEOPHILVS.

Plurimum: malè enim ageretur nobiſcum, ſi diabolis & impiis hominibus præter dei voluntatem quicquam liceret. Adeóque tranquillis animis nũquam eſſemus, nos eorum libidini expoſitos eſſe cogitantes. Verùm tunc demum tutò conquieſcimus, vbi frænari eos Dei arbitrio, & tanquã in arcto cõtineri ſcimus, ne quid niſi eius permiſſu poſsint: quum pręſertim Deus ipſe nobis ſe tutorem fore ſalutíſque præſidem receperit.

DOROTHEA.

Sana quidem hactenus mihi oratio tua viſa eſt: veniamus ſodes ad ſecundam Symboli partem. Ac primùm recenſe, quid credas de Dei filio.

THEOPHILVS.

Credo in Ieſum Chriſtum filium eius vnicum, dominum noſtrum. Credo inquam, Dei filiũ verè Deum eſſe immortalem ęternum, verum etiam hominem. Et ob diuinam naturam, quam eandem habet cum patre, quicquid magnitudinis, ſapientię, & bonitatis attribuo patri, idem tribuo & filio. Et quicquid patri debeo, debeo & filio, qui nos à morte redemit, vitámque acquiſiuit.

DOROTHEA.

Cur Ieſum nuncupas?

THEOPHILVS.

Propterea quòd ſaluator noſter ſit, liberator & re-
Luc. 2. demptor. Et hoc illi nomen à Deo impoſitum eſt, & ab Angelo nominatum, priuſquam in vtero conciperetur: ne mundus in diligendo erraret, & alium fortaſſe ſaluatorem quæreret, cùm non ſit alius. Chriſtus Ieſus noſter eſt, qui nobis datus nobíſque natus ſit, vt peccata noſtra ipſe portaret: & nos cùm inimici eſſemus Deo, per mortem ſuam reconciliaret, nóſque bonorum ſuorum faceret participes.
Col. 1. Verè igitur Ieſus eſt, qui nos ſeruat ab omni malo: qui nos a miſerrima peccati ſeruitute liberat, & à poteſtate Satanæ in regnum ſuum transfert.

DOROTHEA.

Cur Chriſtus dicitur?

THEOPHILVS.

Chriſtus vnctum ſignificat, & officium noſtri Saluatoris exprimit: quem pater æternus vnxit, vt noſter rex eſſet,

noſter

noſter ſacerdos,noſtérque propheta: Nam & olim reges, pontifices,& prophetæ vngebantur.

DOROTHEA.

Sed quo olei genere vnctus fuit?

THEOPHILVS.

Non viſibili illo quidem: ſed oleo lætitiæ & ſpiritus ſancti. *Pſal.* 45. *& Eſa.* 61.

DOROTHEA.

Cùm Chriſtus rex noſter propheta & ſacerdos ſit,oſtende primùm quod eſt illius regnum.

THEOPHILVS.

Spirituale eſt,non ex hoc mundo. Regit enim nos per ſpiritum ſanctum, per gratiam ſuam,& per verbum veritatis, vt nos tandem ad regnum gloriæ, vitǽque immortalis deducat. *Ioan.* 18.

DOROTHEA.

Quale verò eſt eius ſacerdotium?

THEOPHILVS.

Chriſtus ſacerdos eſt in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech. Qui nos vnico atque admirabili ſacrificio in ara crucis oblato à tyrannide Satanæ liberauit, & condonatis peccatis omnibus veræ libertati reſtituit: aſſidétque dexter Deo patri, ſemper viuens, vt pro nobis interpellet. *Pſal.* 109. *Heb.* 5. *& 7. Rom.* 8. *Heb.* 7.

DOROTHEA.

Iam quo ſenſu Chriſtum prophetam nominas?

THEOPHILVS.

Propterea quòd à Deo miſſus ſit,vt paternam voluntatem nobis aperiat, ſalutis viam oſtendat nobis, ac finem omnibus prophetiis & oraculis imponat.Hic eſt propheta,quem audire debemus.

DOROTHEA.

Quem tandem fructum ex iis Chriſti nominibus percipimus? *Mat.* 3. 17.

THEOPHILVS.

Maximum vtique. Nam intelligimus nos in ipſius regnum tranſlatos, vt de manu inimicorum noſtrorum liberati, illi ſeruiamus in ſanctitate & iuſtitia omnibus diebus noſtris: vtq́ue ſua virtute verè vincamus diabolum, *Luc.* 1.

peccatum, carnem, & mundum. Simul Chriſti ſacerdotium docet nos Deo patri reconciliatos, & certum ad Deum acceſſum habere, & poſſe nos in Chriſto ſpirituales hoſtias offerre. Prophetia etiam eius nos vera patris cognitione illuminat, & in veritate erudit.

DOROTHEA.

1.Ioan.3. Cur filium Dei vnicum nuncupas, quum hac quoque appellatione nos omnes dignetur Deus?

THEOPHILVS.

Nos quidem natura filij ſumus iræ. Sed gratia per hunc
Eph. 2. vnicum filium adoptionem filiorũ recipimus, & ſpiritum
Gal. 4. adoptionis, in quo clamamus, Abba pater. Propterea &
Rom. 8. nos fratres vocare non erubeſcit, noſq; ſecũ cohæredes ha-
Heb.2. bere vult. Hunc autem Ieſum Chriſtum credo natura eſſe Dei filium ex ſubſtantia patris genitum, ideóque patri conſubſtantialem. Neque poteſt hæc generatio vllis verbis exprimi, aut mente concipi, aut ſimilitudine deſignari. Sola fides hoc myſterium comprehendit.

DOROTHEA.

Cur dominum appellas?

THEOPHILVS.

Hoc nomine Chriſti potentiam, virtutem, & dominationem, ſine vlla dubitatione profiteor. Hoc enim nomen iuxta vtramque naturam Chriſto maximè competit. Quoniam Deus eſt omnipotens, iure dominus nuncupatur: Et quia nos redemit per crucem, promeruit intrare in gloriam patris, omnibúſque ſibi ſubiectis, conſtitutus eſt ad dexteram patris in cœleſtibus ſuper omnem principatum & omne id quod nominatur, non ſolùm in hoc ſeculo, ſed
Epheſ. 1. etiam in futuro, vt ſanctus Apoſtolus luculenter docet ple-
Phil. 2. riſque in locis, & ferè per omnem epiſtolam ad Hebræos.
Col. 1. Ideóque ipſe dicebat, Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Noſter autem dicitur dominus, quia nobis
Mat. 28. datus & nobis natus: vt in eo fiduciam omnem collocemus, & ſpei ſacram (vt aiunt) anchoram figamus.

DOROTHEA.

Explica quid de hoc Dei filio vnico domino noſtro credas.

THEOPHILVS.

Perſuaſiſſimum habeo, eundem hominem factum, &

con-

conceptum è ſpiritu ſancto, natũ ex Maria virgine, quemadmodum multis antè ſeculis prophetæ vaticinati ſunt. Credo, inquam, hunc Dei filium vnigenitum, conceptum citra virilem operam opificio ſpiritus ſancti, qui ſuperuenit in virginem, & de illius ſubſtantia, mortale corpus formauit ex ſemine Dauidis, ſicut promiſerat.

DOROTHEA.

Anne erat neceſſe, vt carnem noſtram indueret?

THEOPHILVS.

Sanè quidem, vt verè mediator eſſet, & verus Emanuel, & nos in aſſumpta humanitate ſibi coniungeret, & Deo patri reconciliaret.

DOROTHEA.

Cur iſtud opera ſpiritus ſancti factum eſt?

THEOPHILVS.

Vt eſſet conceptio illius immaculata & ſancta: vtque conceptionem noſtram ſanctificaret, qui in peccatis concipimur. Sed ſanctificamur ab eo, qui nulla corruptione, aut labe peccati originalis contaminatus eſt. Voluit etiam ex incorrupta naſci virgine, quia talis deceret partus Deum.

DOROTHEA.

Ecquid fructus ex hoc conceptionis & natiuitatis myſterio percipimus?

THEOPHILVS.

Hinc colligimus præcipui in nos amoris argumentum. Quandoquidem pater æternus filium vnigenitum dedit, & pro nobis naſci voluit, vt nos per illum renaſcentes efficeremur filij Dei: & Dei filius mediatorem ſe præbuit Dei & hominum, & nobiſcum in terris verſari voluit, vt ſeruaret nos, erudiret, & patris ſui voluntatem aperiret. Hoc illud eſt myſterium multis figuris adumbratum, & prophetarum oraculis promiſſum, totque ſeculis expectatum.

DOROTHEA.

Perge ad reliqua.

THEOPHILVS.

Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & ſepultus.

DOROTHEA.

Quid pertulit Chriſtus?

THEOPHILVS.

Credo eundem verè comprehenſum à Iudæis, vinctum, colaphis & alapis cæſum, conſputum, irriſum, flagellatum, & ſpinis coronatum ſub Pontio Pilato, ac denique ſuffixum in crucem, atque inibi mortuum.

DOROTHEA.

Cur Chriſtus tot tantóſque perferre cruciatus voluit?

THEOPHILVS.

Luc. 24. Hæc oportuit Chriſtum pati, & ita intrare in gloriam
Phil. 2. ſuam. Hoc pacto, patri dicto audiens eſſe ad mortem vſque voluit: ſemetipſum victimam offerre noſtra cauſa, vt nos nocentes Deo reconciliaret: vt morbis noſtris mederetur, & nos in hæreditatem cœleſtẽ duceret. Et quem-
Heb. 2. admodum S. Paulus ait, pro nobis omnibus mortem guſtare voluit, vt per mortem deſtrueret eum, qui habebat mortis imperium, & liberaret eos, qui mortis timore per totam vitam obnoxij erant ſeruituti. Hac morte nos redemit ab omni maledicto, & teſtamentum, ſeu fœdus nobiſcum initum confirmauit.

DOROTHEA.

Nullâne alia ratione poterat genus humanum reparari?

THEOPHILVS.

Poterat quidem, ſi Dei potentiam abſolutam conſideremus: verùm oportuit impleri ſcripturam, & Chriſtum
Gal. 3. pro nobis maledictum fieri, vt nos æterna benedictione donaret. Itaque pœnas pecatis noſtris debitas pertulit, vt nos ab æterna damnatione eximeret.

DOROTHEA.

Cur in hoc articulo iudicis nomen, Pontij Pilati, exprimis?

THEOPHILVS.

Vt intelligamus Chriſtum eo tempore paſſum, quo gentiles Iudæam adminiſtrabant, quóque defecerant reges, duces, & ſceptrum à tribu Iuda, ſicut à Patriarcha Iacob prædictum fuerat. Necnon etiam vt ſciamus eum (quia ſicuti peccatores obnoxij eramus iudicio Dei)

ſiſti in cóſpectum terreni iudicis voluiſſe, quò vicem noſtram ſubiret: ac ſolemni ritu eiuſdem ſententia damnari, vt palàm fiat, ipſum iudicium, quod merebamur, tanquam vadem noſtrum ſubire, vt coram cœleſti tribunali Dei abſoluamur, & ab omni reatu liberemur. Quòd autem Pilatus inſontem eum pronũciat, nec pro maleficio damnat: hoc innocentiæ eius teſtimonium eò ſpectat, vt intelligant omnes, non ob propria ipſum malefacta plecti, ſed ob noſtra. Nam ſi peccator eſſet, non idoneus vas eſſet ad ſoluendam alieni peccati pœnam.

DOROTHEA.

Cur hoc mortis genus illi potiſsimùm placuit?

THEOPHILVS.

Quia iuxta mundum erat probroſiſsimum & execratione damnatum. Itaque vt implerentur ſcripturæ, quæ affirmabant morte eum turpiſsima condemnandum, hoc mortis genere è medio tolli voluit, vt noſtram in ſe maledictionem ſuſciperet, & nos ab omni maledicto liberaret. Si quidem eam recipiendo aboleuit, nec intereà deſiit eſſe benedictus, quò nos ſua benedictione perfunderet. Voluit etiam à terra exaltari, vt nos, vti prædixerat, ad ſe traheret. Expandit in cruce brachia, vt nos pro ſua ineffabili miſericordia amplecteretur. Porrexit in omnem mundi plagam membra, vt omneis orbis nationes inuitaret ad ſalutem. Hac morte retulit nobis ſerpentem æneum, quem Moſes in deſerto ſuſpenderat in ſtipite, vt quicunque defigerent in illum oculos, ſanarentur à vulnere ſerpentum. Ita exaltari Chriſtum oportuit, vt quiſquis in illum credit, non pereat, ſed habeat vitam æternam.

Sap. 2. *Ioan. 12.* *Num. 21.* *1. Ioan. 3.*

DOROTHEA.

Sed an hæc tam atrocia corpore tantùm paſſus eſt?

THEOPHILVS.

Quia innocentiſsimus dominus peccata & ſcelera vniuerſi generis humani pro ſuis agnoſcebat, corámque Dei tribunali vt pro peccatoribus ſatisfaceret ſe ſiſtebat, non ſolùm corpore luit cruciatus ac dolores acerbos, quos commeriti eramus: verùm etiam anima eius intolerandis angoribus conſtricta fuit, diuinæq; ſenſit vltionis ſeueritatem, non ſecus acſi à Deo derelictus & alienatus ipſe eſ-

ſet, nulla interim ope leuatus aut donatus ſalute, licèt
Pſal. 22. preces maximis clamoribus ad patrem effunderet, adeò
vt incredibilis magnitudo cruciatus has lamentabiles vo-
Matt. 27. ces expreſſerit: Deus meus, Deus meus, vt quid me de-
reliquiſti? Non propterea tamen Deus vnquam aduerſa-
rius, aut iratus fuit Chriſto ſuo ac dilecto filio, in quo a-
nimus eius acquieuit. Si enim patrem ſibi infenſum habe-
ret, aliis placare ſua interceſsione non poſſet. Sed diuinæ
ſeueritatis grauitatem ſuſtinuit, quatenus manu Dei per-
cuſſus & afflictus fuit propter ſcelera noſtra, omniáq; ira-
ti & punientis Dei ſigna eſt expertus, idque vt iræ ipſius in-
tercederet, & ſatisfaceret iuſto iudicio. Eam ob cauſam
cum inferorum copiis æternæque mortis horrore quaſi
conſertis manibus luctatus eſt, de illiſque & victoriam re-
tulit & egit triumphum, ne iam in morte ea formidemus,
quæ princeps noſter deglutiuit.

DOROTHEA.

Verùm cùm Deus ipſe ſit, & ſalus mundi, quî potuit e-
iuſmodi pauore corripi, acſi derelictus a Deo eſſet?

THEOPHILVS.

Eò redactus eſt neceſſitatis ſecundum naturæ humanæ
affectum: quod vt fieret, pauliſper interea deliteſcebat eius
diuinitas, nec vim ſuam exerebat: ſed iis pauoribus non
fuit oppreſſus, neque doloribus mortis detentus. Neque
enim eiuſmodi angoribus obſeſſus, ſperare in patrem
deſiit.

DOROTHEA.

Quare ſepultus eſt?

THEOPHILVS.

Mat. 27. Sepeliri voluit oblitus myrrha & vnguentis, incluſus
Marc. 15. nouo monumento è ſolido viuóque ſaxo exciſo, obſigna-
Luc. 23. to oſtio, adhibitis etiam cuſtodibus publicis, vt referũt E-
Ioan. 19. uangeliſtæ, quò magis conſtaret eum eſſe verè mortuum.
Nam ſi mors fuiſſet ambigua, fuiſſet & incerta reſurrectio
quam voluit eſſe certiſſimam. Oſtendit etiam velle ſe, vt
Rom. 5. cũ illo ſepeliamur, & deſtruamus corpus peccati, neque vl-
tra ſeruiamus peccato, ſed illi vſq; ad mortem reſiſtamus:
ſicut apertè docet Apoſtolus.

DOROTHEA.

Adhuc didici quem fructum ex Chriſti morte ac ſepul-
tura

tura percipiamus: nimirum paſsionem eius, ſacrificium eſſe quo peccata noſtra expiauit coram Deo, atque ita placata ira Dei, nos cum eo in gratiam reduxit. Ad hæc ſanguinem eius lauacrum eſſe, quo animæ noſtræ maculis omnibus purgentur. Hac etiam morte deletam eſſe peccatorum noſtrorum memoriam, ne vnquam in Dei conſpectum veniant: atque ita inductum abolitúmque fuiſſe chirographum quo rei tenebamur. Poſtremò, eius beneficio (ſi quidem vera ſimus membra Chriſti) veterẽ hominem noſtrum crucifixum eſſe, & abolitum corpus peccati, ne amplius regnent prauæ carnis concupiſcentiæ in nobis. Ex quibus efficitur aliud nunc nihil eſſe mortem fidelibus, quàm tranſitum in vitam meliorem: ideóque nõ amplius exhorrendam eſſe mortem, ac ſi res eſſet formidabilis, ſed intrepido animo ſequẽdum eſſe ducem noſtrũ Chriſtum, qui ſicut non periit in morte, ita perire nos non patietur. Nunc, amabo te, expedi, quem ſenſum habeat, quod de eius ad inferos deſcenſu adiectum eſt. THEOPHILVS.

Credo, idque animo, ſanctiſſimã Ieſu animã deſcendiſſe ad inferos, eo tẽpore quo corpus illud exanime ſepulchro claudebatur, vt impleretur prophetia pſalmi, Domine edu xiſti animam meam ab inferis. Neque enim ipſo paſſionis die in cœlo futurus erat homo Chriſtus Ieſus, ſed in inferno ſecundum animam, in ſepulchro autem ſecundum carnem. Et de carne quidem, quòd eo die ſepulchro ſit cõdita manifeſtiſſimũ eſt euangeliũ. Quòd verò illa anima in infernũ deſcẽderit. Apoſtolica doctrina profitetur. Quandoquidẽ beatus Petrus ad hãc rem teſtimoniũ è pſalmis adhibet, vbi de ipſo prędictũ eſſe demonſtrat: Non derelinques animã meã in inferno, nec ſines vt ſanctus tuus videat corruptionẽ. Hoc de corpore, illud de anima dictũ eſt, quia non eſt derelicta, vnde tam citò remeauit. Id quod ſanctiſſimi eiuſdẽ Apoſtoli verba apertè eo ipſo in loco indicant. Dauid (inquit) præſcius loquutus eſt de reſurrectione Chriſti, quòd non derelicta ſit in inferno anima eius, neq; caro eius viderit corruptionẽ, ſed Deus hũc ſuſcitauit, cuius nos omnes ſumus teſtes. Neq; verò ab eo diſſentit, quod idem Apoſtolus in epiſtolæ prioris cap. 3. ſcripſit in hũc modum: Mortificatus quid carne, viuificatus autem ſpiritu, in quo

Pſal. 30.
Auguſt. epiſt. 57.
Act. 2.
Pſal. 15.

& his,qui in carcere erant,veniens prædicauit, qui inobedientes quondam fuerant. Quæ ſanè verba Ieſum Chriſtum innuunt mortuum ſecundum carnem & imbecillitatem humani corporis quod aſſumpſerat, ſuſcitarátque diuina poteſtate & ſancti ſpiritus virtute, qui multis afflictionibus vinci poterat, ſtatim à morte ob immenſam clementiam & infinitam bonitatem, viſitare perſe ipſum dignatum eſſe ac ſua prædicatione conſolari eorum ſpiritus, qui ante id tempus vita defuncti erant, ſempérque ſuam ab illo ſalutem expectauerant: qui quidem carcere,nimirum ſinu Abrahæ, clauſi tenebantur, donec Chriſtus, primitiæ dormientium, ad vitam immortalem reuocatus, viam in cœlum patefaceret, reuerténſque ad patrem,ſuos ad cœleſtem gloriam deduceret.Spiritu ergo prædicauit ſpiritibus iuſtorum, qui aliquando increduli & inobedientes fuerant (vt homines omnes peccato ſumus obnoxij) at non permanſerant increduli,renũciauítque completam eſſe redemptionem, peccatáque litatione ſui corporis abolita eſſe. Ita fideles tunc planè & præſenti aſpectu perſpexerunt eius viſitationem. Contrà reprobi in ipſo vnicam eſſe ſalutem ſerò percipientes,à qua excluſi iam eſſent, nihil ſibi ſpei reliquum tunc planius cognouerunt.Huc quoque ſpectat quòd ſub perſona ſapientiæ Eccleſiaſtici cap.24.dictum legimus: Penetrabo inferiores partes terræ, & inſpiciam omneis dormientes, & illuminabo omnes ſperantes in domino. Atque hoc ſignificauit Apoſtolus,cùm ſcripſit in hæc verba:Quòd autem aſcendit,quid eſt,niſi quòd etiam deſcenderat prius in infimas partes terræ? Quaſi dicat:Nõ ob aliud ita magnificè ac glorioſè aſcendit,niſi quia prius vilis, & abiectus deſcendit, diri lentíque cruciatus mortem oppetiit,atque mortis ipſius tẽpore inferos ſubiit,eumque locum,in quo patres pij cuſtodiebantur in aduentum eius glorioſum.

DOROTHEA.

Curnam deſcendit?

THEOPHILVS.

Zacha. 9. Hic deſcenſus factus eſt hominum gratia,vt eos à perpetuis inferis liberaret, vtque in ſanguine teſtamenti vinctos delacu,in quo non erat aqua,educeret.Etſi enim non-

nulli per lacum aqua defectum intelligunt profundiſſimam miſeriæ voraginem, in qua peccatores omnes verſantur: per vinctos, populum extrema calamitatis anguſtia conſtrictum: nihil tamen prohibet, quo minus rectè accipiamus ſpiritus iuſtorum qui ante Chriſti aduentum in imis terræ partibus concludebantur, ac captiui detinebantur in inferorum carcere, eminus & quaſi ſub vmbroſis nubibus redemptionem ſuam conſpicantes, cuius expectatio carere non poterat anxia ſollicitudine. Eos itaque Chriſtus debellatis inferis, rapta veluti ex hoſte trophæa victoriæque inſignia & monimenta ſecum abduxit, quemadmodum grauiſſima quarti concilij Toletani ſententia definiuit. Deſcendit ad inferos, vt ſanctos, qui ibi tenebantur, erueret. *Cap. 1. de orat. & fid. confeſ.*

DOROTHEA.

Paſſúſne eſt aliquid apud inferos.

THEOPHILVS.

Non credo illic eum aliquid eſſe paſſum: deſcendit enim non vt cruciáretur, ſed vt frangeret regnum Satanæ, & mortem deſtrueret, noſque mortuos ad vitam reuocaret.

DOROTHEA.

Num ergo Chriſtus infernum prorſus deleuit?

THEOPHILVS.

Minimè, at momordit ſolùm, iuxta prophetæ teſtimonium: Ero mors tua ô mors! ero morſus tuus inferne. *Oſeæ 13.* Partem ergo inferni deſtruens Chriſtus, & partem relinquẽs: bonis, de liberatione ſpem: & malis, de pœna metum reliquit. Sic enim infirmauit Chriſtus imperium diaboli, ſic infernum deſtruxit, vt credentibus in Chriſtum, ea fide quæ per charitatem iuſtitiæ fructus profert, ac piè viuentibus, non ſit metuendum vllum ſupplicium. Rurſum de pœnis inferorum tantum reliquit, quod ad iuſtum ſceleratorum ſupplicium abundè ſufficiat.

DOROTHEA.

Ecquid de reſurrectione eius credis?

THEOPHILVS.

Credo quòd tertia die reſurrexit à mortuis, ſecundum ſcripturas: Nam ita prædictum erat per prophetas. Et

Ionæ 2. Ionas huiuſce reſurrectionis figura fuit, qui quidem fuit
Mat. 12. in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus. Hanc re-
Luc. 11. ſurrectionem Chriſtus ſæpe prædixit, Mat. 17. 20. 26.
Marc. 8. 14. Luc. 9. 18.

DOROTHEA.

Quibus de cauſis reuixit?

THEOPHILVS.

Tribus potiſſimùm. Primùm, vt nobis certam ſpem faceret reſurrectionis, atque animos noſtros hoc veluti futuræ immortalitatis pignore firmaret. Quemadmodũ enim ipſe iam reſurrexit a mortuis victo inferno, Satana, morte, & peccato: ita & nos, per Chriſtum victis illis hoſtibus
1. Cor. 15. reſurgemus. Deinde verò reſurrexit, vt ſciremus eum
1. Theſſ. 4. immortalem, qui ſe victorem peccati & mortis demonſtrauit, & ſua reſurrectione mortem deglutiuit abruptis diaboli vinculis, nuſquam amplius moriturus. Ideò præ-
Rom. 6. ſidia noſtræ ſalutis & incolumitatis in eum collocemus. Poſtremò reſurrexit ad iuſtificationem noſtram, vt per pœnitentiam peccatis mortui, ꝑ baptiſmum vnà cum illo
Rom. 4. ſepulti, eius virtute ſuſcitemur in nouitatem vitæ, & per gratiam illius renouemur, vt purè & inculpatè viuendo Dei voluntati obſequamur.

DOROTHEA.

Reliqua perſequere.

THEOPHILVS.

Aſcendit in cœlum, ſedet ad dexteram Dei patris omnipotentis.

DOROTHEA.

Quando, quomodóve aſcendit?

THEOPHILVS.

Aſcendit conſummato noſtræ redemptionis myſterio,
Act. 1. poſtquam omnia ille, quæ à patre iniuncta fuerant, quæq́;
Mar. 16. ad ſalutem noſtram pertinerent, abſoluiſſet, & confirmata
Luc. 14. planè fide reſurrectionis, poſt dies quadraginta à ſua reſur-
Col. 2. rectione ſublatus eſt in cœlum. Aſcendit autẽ non ſecundum diuinitatẽ (quæ etſi in humanitate Chriſti corporaliter habitabat, id eſt, naturaliter & ineffabili quodã modo,
Ioan. 3. nunquã tamen cœlũ reliquit, vt in ergaſtulũ corporis ſe abderet, iuxta id quod à Chriſto ipſo dictũ eſt: Nemo aſcẽdit in cœ-

in cœlum, niſi qui deſcendit è cœlo, filius hominis qui in cœlo eſt) ſed ſecundũ corpus, quod aſſumpſerat, quod mortuum fuit in cruce, quod reuixit in ſepulchro, quod viſum & contrectatum eſt diſcipulis: Hoc, inquam, corpus ſubuexit in cœlum in virtute, iubilatione, & gloria multa, vt regius propheta deſcripſit. *Pſal. 46. & 67.*

DOROTHEA.

Cur aſcendere voluit?

THEOPHILVS.

Vt de hoſtibus ſuis triumpharet: Nam illis proſtratis regnum immortale ingreſſus eſt ad Dei gloriã illuſtrandam noſtrãq; ſalutem procurandam. Sicut enim in terrã noſtra cauſa venerat: ita & in cœlũ aſcendit præcurſor pro nobis factus, vt nobis immortalitatis locum pararet, vt aditum illuc nobis patefaceret, & ianuam, quæ anteà propter peccatum clauſa erat, aperiret, & nos ad ſe inuitaret. Ideò attollamus omnes oculos in cœlum; ſcientes illic eſſe & regnare caput noſtrum: voluit enim aſcendere, vt in conſpectu Dei perpetuò cõpareret pro nobis interceſſor, mediator, patronus & aduocatus, oculos patris in ſuam iuſtitiam ita cõuertens, vt à peccatis noſtris auertat: eius animũ ita nobis reconcilians, vt viã & acceſsũ nobis ſternat ad eius thronum ſua interceſſione: ipſum gratia & clementia replens, qui alioqui miſeris peccatoribus plenus horroris futurus erat. *Rom. 7. Hebr. 7. Ioan. 2.*

DOROTHEA.

Quid intelligis per id, quod ſedet ad dexteram patris?

THEOPHILVS.

Seſſionem iſtam non, quẽadmodum Antropomorphitæ, humano ſenſu accipio, tanquã pater ad ſiniſtram, filius ad dexterã ſedeat: ſed per dexterã intelligenda eſt honoris æqualitas, regni cõſortiũ & poteſtas, qua Chriſtus Ieſus nũc immortalitate donatus, gloria coronatus & honore regnat cœleſtiq; tribunali præſidet, potẽtia, maieſtate, & gloria patri æqualis, cõſtitutus ſuper omnia opera Dei, cœli ac terræ dominus: adeò vt eius maieſtatẽ tum cœleſtes tũ terrenæ creaturæ ſuſpiciãt, manu eius regãtur, nutũ intueãtur, virtuti ſubiectæ ſint: ſicuti propheta Dauid pſalmo octauo aliiſq; cõpluribus manifeſtè prędixit: Sãctúſq; Apoſtolus explicat, cùm ita loquitur: Cõſtituit illũ pater ad dexterã ſuã ſupra omnẽ principatũ, & poteſtatẽ, & virtutẽ, & dominatio- *Epheſ. 1. Phil. 2. Col. 1.*

Antropomorphitæ, hæretici fuerunt, qui Deum corporeum eſſe, & humana forma, artubusq; humanis conſtare aſſeuerabant.

né,& omne nomen quod nominatur,non ſolùm in hoc ſe
Epheſ. 4. culo ſed in futuro. Et omnia ſubiecit ſub pedib⁹ eius. Et ipſum dedit caput eccleſiæ ſupra omnia, vt nomē adeptus ſit, quod eſt ſuper omne nomen. Cui omne genu flecti debet, cùm omnia cum patre habeat communia. Sedet autem vt rex, ſacerdos & pontifex, ſine ſollicitudine gubernans vniuerſa, ſtans paratus ad opitulandum omnibus fidem eius auxiliúmque implorantibus.

DOROTHEA.

Quid ex hac aſcenſione boni conſequimur?

THEOPHILVS.

Spes noſtra hoc myſterio maximè confirmatur, qui cum beato Stephano oculis fidei videamus tam potentem patronum, & Dominum in cœlis ſtare ad dexteram patris vt pro nobis interpellet, vt nos defendat aduerſus omneis hoſtium impetus, & liberet ab omni malo.

DOROTHEA.

Verùm an Chriſtus, in cœlum ſe recipiendo, ſic à nobis receſſit, vt iam nobiſcum eſſe deſierit?

THEOPHILVS.

Mat. 28. Minimè. Cum enim ſe recepturus eſſet in cœlum, pollicitus eſt ſe nobiſcum fore vſque ad conſummationem ſeculi.

DOROTHEA.

Quomodo nobiſcum habitat, qui viſibilem corporis pręſentiam in cœlum ſubuexit?

THEOPHILVS.

Nobiſcum permanet ſpiritu ſuo, ſua gratia, & fauore, quo nos amplectitur: miniſterio item verbi, euangeliſque pr̨edicatione: necnon ſacramentorum etiam
Hom. in Ioa. 50. virtute & efficacia: Quemadmodum diuus Auguſtinus his verbis declarat: Quum diceret Chriſtus, Me non ſemper habebitis vobiſcum: loquebatur de præſentia corporis. Nam ſecundum maieſtatem ſuam, ſecundum prouidentiam, ſecundum ineffabilem & inuiſibilem gratiam, impletur quod ab eo dictum eſt: Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſeculi. Secundum carnem verò quam verbum aſſumpſit, ſecundum id quod de virgine natus eſt, ſecundum id quòd à Iudæis comprehenſus

eſt,

eſt, quòd ligno confixus, quòd de cruce depoſitus, quòd linteis inuolutus, quòd in ſepulcro conditus, quòd in reſurrectione manifeſtatus, non ſemper habebitis me vobiſcum. Quare? Quoniam verſatus eſt ſecundum corporis præſentiam quadraginta diebus cum diſcipulis ſuis, & deducentibus eis, videndo, non ſequendo, aſcendit in cœlum & non eſt hîc. Ibi enim ſedet ad dexteram patris. Et tamen hîc eſt: quia non receſſit præſentia maieſtatis. Aliter, ſecundum præſentiam maieſtatis, ſemper habemus Chriſtum: ſecundum præſentiam carnis, rectè dictum eſt. Me autem non ſemper habebitis. Habuit enim Eccleſia ſecundum præſentiam carnis paucis diebus: modò fide tenet: oculis non videt. Hactenus Auguſtinus, ex cuius verbis liquidò conſtat, Chriſtum, licèt aſpectabili modo minimè nunc nobiſcum verſetur ſecundum humanitatem, hîc eſſe tamen non deſiiſſe, vel inuiſibili corporis preſentia, ſecundum ineffabilem gratiam, ſub qua mirifica iſta corporis & ſanguinis eius communio comprehenditur, vt ſuo loco fuſius docebimus.

DOROTHEA.

Perpetuóne manſurus eſt in cœlis?

THEOPHILVS.

Minimè. Nam credo illum inde corpore eodem rediturum, vt iudicet viuos & mortuos. Hic eſt aduentus gloriæ magni Dei: Et enim prius quidem aduenit iuxta vaticinia prophetarum humilis & abiectus, vt nos inſtitueret, ſeruaret, & liberaret. *Act. 1.* Iterum autem venturus eſt ſpecie quidem humana conſpicuus, ſicut aſcendere viſus eſt: *Matt. 24.* ac tum apparebit omnibus cum ineffabili regni ſui maieſtate, cum immortalitatis fulgore, cum immenſa diuinitatis potentia, cum Angelorũ ſatellitio: nec erit quiſquã aut viuorũ aut mortuorũ, qui iudiciũ eius effugiat: *1. Theſſ. 4.* ab extremis enim orbis angulis exaudietur tubæ clangor, *Rom. 4.* quo ad ipſius tribunal accerſentur omnes homines, ſiſtique cogentur cu- *2 Cor. 5.* iuſcunque nationis cuiuſcunque ſtatus, ſiue reges, ſiue plæbeij, ſiue Græci, ſiue Scythæ. Eos autem ſeparabit alios ab aliis, vti paſtor ſegregat oues ab hœdis: ac oues qui- *Mat. 25.* dem à dextris ſuis ſtatuet, hœdos verò a ſiniſtris.

DOROTHEA.

Quid intelligis per viuos & mortuos, quos iudicaturus eſt?

THEOPHILVS.

Perſuaſum habeo quòd iudicabit non ſolùm eos quos aduentus ille ſuperſtites ac viuos deprehendet, verũ etiam omneis quos ab initio mundi vſque ad illud tempus è viuorũ cõſortio mors ſuſtulerit: ac tunc ſubitò reuiuiſcent, & ſuo quiſque corpore conſpiciet iudicem.

DOROTHEA.

An non ij morientur, qui tunc in vita mortali ſupererũt.

THEOPHILVS.

Non vtique morientur naturali modo & ordine, etſi om
Heb. 9. nibus hominibus conſtitutum eſt ſemel mori: ſed repentè
1. Cor. 15. immutabuntur, adeò vt eorum vita mortalis vno momento intereat & abſorbeatur, in nouámque penitus naturam
1. Theſ. 4. transformetur, ſicut docet Apoſtolus. Eiuſmodi autem mutatio inſtar mortis erit: quoniam naturam eorum corruptibilem abolebit, vt incorruptionem induat. Ita non immeritò mors appellatur, ob magnam quam cum morte affinitatem habet.

DOROTHEA.

Dic, amabò, quando iſtud iudicium futurum eſt?

THEOPHILVS.

Diem aduentus ſui nobis ignotũ eſſe voluit Dominus,
Mat. 24. vt ſemper ſimus in officio, vt vigilemus & oremus, expe-
Marc. 13. ctantes beatã ſpem & Dominum noſtrum qui reuertatur
Luc. 12. 21. à nuptiis. Ideo monet, vt vigilemus & oremus: neſcimus
1. Theſ. 5. enim quando venturus ſit. Veniet autẽ tẽpore magnæ ſecuritatis, quando nihil minus futurum cogitabit mundus.
Gen. 19. Quemadmodum accidit in diebus Noë & Loth: cùm ede-
Mat. 24. rent, biberent, contraherent matrimonia, cúmque delitiis
Luce 17. affluerent, repentinus ſuper eos venit interitus.

DOROTHEA.

Quid in hoc iudicio faciet iudex noſter?

THEOPHILVS.

Rom. 2. 14 Pronunciabit ineuitabilem ſententiam, reddet vnicui-
2. Cor. 5. que ſecundũ opera ſua. Pios transferet in cõſortium regni cœleſtis, quod illis paratũ eſt ante mundi conſtitutionem, tutos reddet ab omni moleſtia: impios verò, qui diabolo

adhæ-

adhæſerũt, tradet æternis ſuppliciis, & igni inextinguibili. *Mat.* 13.25

DOROTHEA.

An aliquam inde percipiunt conſolationem fideles, quòd Chriſtus ſemel futurus ſit mundi iudex?

THEOPHILVS.

Percipiunt, & quidem ſingularẽ. Certò enim ſcimus non niſi in ſalutẽ noſtrã venturũ. Quare nec horrorẽ nobis incutere debet aut formidinem hoc iudicium, ſi in fide perſiſtamus, & malè actæ vitæ nos pœniteat: quando iudex, ad cuius tribunal ſtabimus, frater noſter eſt, patronus & eccleſiæ ſponſus, qui nos in fidem clientelámque ſuam ſuſcepit.

DOROTHEA.

Veniamus ad tertiam partẽ ſymboli. Dic quæ ſequũtur.

THEOPHILVS.

Credo in ſpiritũ ſanctum. Credo, inquã, ſpiritum ſanctũ verum Deum eſſe, vnũ cum patre & filio, illíſque coæqualem. Credo hoc ſpiritu afflatos fuiſſe eos, qui nobis veteris & noui teſtamenti libros tradiderunt. *2. Pet.* 1.

DOROTHEA.

Quod eſt officium ſpiritus?

THEOPHILVS.

Vocare nos ad ſalutẽ, illuminare mentes ad Dei notitiã, ſanctificare corda in recta fide, & virtute confirmare, nos certiores facere de ꝓmiſſis & beneficiis Chriſti oratéq; in nobis, & infirmitati noſtrę ſuccurrere, ſine cuius ope nemo venit ad ſalutem, vt ex præclara illa concione Chriſti poſt cœnam habita poſſumus colligere. *Ioan.* 14. 15. 16.

DOROTHEA.

Cur vocas ſpiritum, cur item ſanctum?

THEOPHILVS.

Spiritus appellatur, quòd quẽadmodum corpora noſtra viuunt habitu aëreóq; flatu: ita tacito ſancti ſpiritus afflatu animi noſtri viuificantur. Sãctus autẽ dicitur, quòd nos ſanctificat, facta carnis mortificat, & fructus ſpirituales gignit in nobis. Quẽadmodũ enim per filium Dei redẽpti & ſalui facti ſumus, ita per ſpiritũ huius redẽptionis ac ſalutis efficimur cõpotes: & ſicut purgationẽ habemus in Chriſti ſanguine: ſic per ſpiritũ aſpergũtur cõſcientiæ noſtrę, vt Chriſti virtutẽ ſentiamus. Hic nos regenerat, & facit, vt ſimus nouæ creaturę, & clamemus cum fiducia, Abba pater. *Rom.* 8. *Gal.* 5. *1. Pet.* 1.

Epheſ. 1. *Rom. 8.* Hoc ſpiritu aguntur filij Dei, & qui hunc non habet, Chriſti non eſt.

DOROTHEA.

Quid ſequitur?

THEOPHILVS.

Quod ſequitur, ad eccleſiam ſpectat & diuina in ipſam beneficia. Credo ſanctam Eccleſiam catholicam, quæ eſt corpus Chriſti, ſocietas fidelium, & congregatio omnium per orbem vniuerſum, qui conſentiunt in fide euangelica, qui colunt vnum Deum patrem, qui totam ſuam fiduciam collocant in eius filio, qui hoc ſancto ſpiritu aguntur, quíque ſacramentis iiſdem vtuntur, à cuius conſortio reſecantur infideles, & hæretici. Hæc eſt Chriſti ſponſa, quam qui non audierit, meritò habetur vt ethnicus, & publicanus, & vt ſchiſmaticus excommunicatur.

DOROTHEA.

Cur ſanctam vocas?

THEOPHILVS.

Non propter propriam ſanctitatem: ſed propter ſpiritum ſanctificantem, & propter ſuum ſponſum, qui ſua iuſtitia & ſanctitate induit ſponſam ſuam eccleſiam, quam redemit, vt ſit glorioſa, pura, & ſine vlla macula.

DOROTHEA.

Cur dicis catholicam?

THEOPHILVS.

Gen. 7. *Ioſue 2. 6.* *Pſal. 86.* *Mat. 16.* Quia vna eſt eccleſia per totum orbem diffuſa, extra quam non eſt ſalus: vt nobis arca Noë, & domus Raab præfigurârunt. Hæc eſt glorioſa ciuitas, ſupra petram Chriſtum ædificata, aduerſus quam ne portę quidem inferorum prȩualebunt.

DOROTHEA.

Quid per ſanctorum communionem intelligis?

THEOPHILVS.

Eccleſia ſpiritualis & inuiſibilis ſoli Deo cognita. Hoc dicto clarius exprimitur quid ſit eccleſia, & quē fructum referet qui eccleſiæ catholicæ eſt membrum. Sancti enim ſunt, qui in eccleſia vnum Deum, vnam fidē, & vnam ſpem in vinculo charitatis profitentur: eodem ſpiritu reguntur, iiſdémque ſacramentis participant. Credo fideles omnes Chriſti ſpiritu conglutinatos in ea ſocietate viuere, vt

re, vt ſit quædam bonorum omnium inter eos cõmunio, *Rom. 12.*
qualis eſt membrorum corporis inter ſe ſocietas. Qui ab *1. Cor. 12.*
hac communione ſegregati ſunt, velut palmites abſciſſi, *Ephe. 4.*
nullum fructum afferunt, niſi reconcilientur ſanctę con- *Ioan. 15.*
gregationi. Ideóq; iubet Chriſtus, vt alij pro aliis oremus *Mat. 5. 6.*
vt ſalui efficiamur. Et Apoſtolus hortatur, vt alter alterius *7.*
onera portemus, quò ſic legem Chriſti adimpleamus. *Luc. 11. 18.*

DOROTHEA. *Rom. 12.*

Sed quibus hęc eccleſia notis ac ſignis cognoſci *14. 15.*
poteſt?

THEOPHILVS.

Non immeritò ſanè hac de re percontaris, cùm prę-ſertim qui ab eccleſia vera deficiunt ſchiſmatici atque hæretici conſtituant ſuos cœtus, iiſque authoritatem & nomen eccleſiæ adiungere non dubitent, & alij eorum alio in loco Chriſtum eſſe dicant: à quibus vt caueamus nobis *Mat. 24.* Chriſtus ipſe monet. Sunt igitur ſigna eccleſiæ veræ, hoc eſt, magnæ illius domus, in qua non ſolùm ſunt vaſa aurea & argentea, ſed & linea & fictilia: & quædam in honorem, quædam in contumeliã: *Sana doctrina*, ſecundũ vniuerſalẽ Apoſtolicæ & catholicæ traditionis intellectum: *Rectus & vniformis vſus ſacramentorũ*, quibus ab ethnicorum & Iudeorum cœtibus eccleſia diſiungitur: quorum vtrique & ſana doctrina, & ſacramentis noui teſtamenti carent. Tertium ſignum eſt, vnitas quæ vinculo charitatis & pacis continetur, ac membra Eccleſiæ ita conglutinat, vt non ſolùm quod perpetuus ſanctorum conſenſus ab Apoſtolis vſque ad nos recepit & approbauit, idem ſentiant, ſed etiam idem loquantur, tum in dogmatibus ſcripturæ, tum in traditionibus, quas nullis ſcriptis in myſterio ab Apoſtolicis viris recepimus, ſicut admonet Apoſtolus: Obſecro autem vos fratres per nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt id ipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata, ſitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eadem ſententia. Quartum ſignum eccleſiæ veræ eſt, quòd ſit Catholica & vniuerſalis, hoc eſt per omnia loca & tempora diffuſa, & per Apoſtolos eorúmque ſucceſſores continuata vſque ad nos, ſucceſſione propagata vſque ad fines terræ, iuxta promiſſiones Dei: Poſtula à me, & dabo tibi

2. Tim. 2.
Eccleſia viſibilis, in qua mali & hypocritæ bonis permixti ſunt.
1. Cor. 1.
Pſal. 2.

gentes hæreditatẽ tuam,& poſſeſſionẽ tuam terminos ter
Mat. 8. ræ.Itẽ,Multi venient ab oriente & occidẽte,& recumbent
cum Abraham, Iſaac, & Iacob in regno cœlorum .Item,
Act. 1. Et eritis mihi teſtes Hieroſolymis,& in omni Iudæa,& Sa
*Ioan.*14. maria,& vſque ad vltimum terræ.Item,Et ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternum,ſpiritum veritatis,quem mundus non poteſt accipere. Hæc duo ſigna diſtinguũt eccleſiã chriſtianã à ſchiſmaticorum atque hæreticorum gregibus,qui vinculum pacis rumpunt:& à catholica vnione ſeipſos in ſuam ipſorum perniciem diuellunt , dum partem ſuam toti atque vniuerſæ eccleſiæ anteponunt . Sicubi porrò hæc quatuor ſigna non inueniantur, aut fortè ſint qui de iis aliter doceant: aduerſum eiuſmodi indubitanter pronunciandum , ipſos ad catholicam viſibilem eccleſiam non pertinere.

DOROTHEA.

Quæ tandem eſt eccleſiæ authoritas & poteſtas?

THEOPHILVS.

*Ioan.*10. Etſi ſcriptura(vt Chriſtus inquit)ſolui non poteſt,& idcirco immobilis,& omni humana authoritate maior eſt: tamen fuit penes eccleſiã authoritas diſcernẽdi ſcripturas veras ab adulterinis.Hinc eſt ille cãnon ſcripturarum, qui germanas à falſis,quę ſub nomine Apoſtolorũ atque diſcipulorũ Domini obtrudebantur,diſcreuit.Et vt eccleſia huius rei authoritatẽ poteſtatẽq́;ſemper habuit,ſic etiã interpretandi,atque adeò ex iiſdem ſcripturis eliciendi & explorãdi dogmata:quippe cũ huic ſpiritus ſanctus nõ deſit,qui ipſam in omnẽ ducat veritatem,quẽadmodũ Chriſtus ipſe promiſit.hinc illud Petri:Omnis prophetica ſcriptura non
2. *Pet.* 1. priuatæ eſt interpretationis.Nõ enim volũtate hominis allata eſt olim ꝓphetia:ſed à ſpiritu ſancto impulſi,loquuti ſunt ſancti Dei homines. Atque hæc interpretãdi poteſtas cũ primis neceſſaria eſt,in iis præſertim quæ difficilia ſunt intellectu:id quod res ipſa docet. Habet præterea eccleſia traditiones, à Chriſto & Apoſtolis per manus epiſcoporũ ad hæc vſque tẽpora delatas:quas qui conuellit,is negat eandẽ colũnã eſſe & firmamẽtũ veritatis.Huius generis ſũt baptiſmus paruulorũ,& alia. Cõſtat itẽ poteſtatẽ coercẽdi

atq; excõmunicandi eſſe penes eccleſiã,idq; inſtituto Chriſti de poteſtate ligandi.Huic conſentaneũ eſt illud Apoſtoli:Tollite malũ ex vobis.Habet itẽ poteſtatẽ iuris dicendi. Nã cui cõpetit ius coercẽdi, ei poteſtas iuris dicẽdi deeſſe nõ poteſt.Ac ſi quæſtiones dubiæ oriãtur in eccleſia,habet hæc quidẽ poteſtatẽ iudicãdi de iiſdẽ atq; decernẽdi,idque ꝑ ſynodũ. Et quod hæc in ſpiritu ſancto legitimè congregata decernit, ſpiritus ipſe ſanctus decernere videtur,iuxta illud cõcilij Hieroſolymitani: Viſum eſt ſpiritui ſãcto & nobis.Itaq; ſaluberrimã eſſe conciliorũ authoritatẽ dubitare nemo debet.Et quod ex eodẽ cõcilio Hieroſolymitano intelligitur,eſt etiã penes eccleſiã poteſtas conſtituendi canones:idque ad vtilitatem eccleſiæ, cuius poteſtas omnis eſt ad ædificationem,& non ad deſtructionem.

Mat. 16. *1. Cor. 5.* *Act. 15.*

DOROTHEA.

Iſtud iam ſatis intellexiſſe mihi videor.Sed quid de eccleſiæ miniſtris cenſes?

THEOPHILVS.

Habet eccleſia doctrinã diuinitus traditam,quæ populo explicãda eſt.Habet ſacramẽta & externa ſigna,quæ piè & ſalubriter ad vtilitatẽ chriſtianorũ tractãda ſunt atque explicãda.Quo minus miniſtri,qui muneribus ad has res neceſſariis funguntur, eidẽ eccleſiæ deeſſe vel poſſunt vel debent.Ac munera quidẽ hæc omnibus chriſtianis cõmunia nõ ſunt,verùm Deus ipſe initio dedit quoſdã quidẽ Apoſtolos,quoſdã ꝓphetas,alios verò euãgeliſtas,alios autẽ paſtores & doctores,ad conſummationẽ ſanctorum,in opus miniſterij,in ędificationẽ corporis Chriſti.Itaq; tẽpore Apoſtolorũ nõ omnibus data eſt poteſtas ad functionẽ munerũ eccleſiæ,ſed certis tãtùm,iiſq; ad eadẽ ipſa ſegregatis. Nã quũ Antiochiæ eſsẽt Barnabas,Lucius,Manahẽ,& Saulus,ſacrificãtibus illis Domino(vt Lucas memorię ꝓdidit) & ieiunantibus,dixit illis ſpiritus ſanctus: Segregate mihi Barnabã & Saulũ in opus ad quod accerſiui eos. Cauẽdum eſt igitur nobis,ne ſpirituale ſacerdotium,ꝙ omnibus chriſtianis,quos ſpiritus ſanctus vnxit,cõmune eſt,cũ hoc externo & miniſteriali, quod nõ eſt omniũ,ſed eorũ tãtũ, qui ad hoc vocati atq; ordinati ſũt, cõfundamus:quod ſine graui ac pernicioſa eccleſiarũ perturbatione atque calamitatę

Act. 13. *Act. 13.*

accidere non poteſt.

DOROTHEA.

Quid de ſummo pontifice & epiſcopis ſentis?

THEOPHILVS.

Vt eccleſia quæ eſt vnius capitis, hoc eſt, Chriſti vnum corpus, facilius in vnitate contineri poſſit, etſi multos habet epiſcopos, qui populum, quem Chriſtus precioſo ſanguine ſuo acquiſiuit, regant, idque iure diuino: vnum tamen in remedium ſchiſmatis, qui cæteris omnibus præſit cum plenitudine poteſtatis, ſummum pontificem habet, idque pro prærogatiua Petro conceſſa. Quod ipſum quàm vtile ſit ad auertenda ab eccleſia ſchiſmata, ſatis conſtat iis qui non ignorant à contemptu huius ſummi ſacerdotis plerumque ſchiſmata orta eſſe: vt res ipſa teſtatur, & Cyprianus his verbis ſcribit: Non aliunde hæreſes obortæ ſunt, aut nata ſchiſmata, quàm inde, quod ſacerdoti Dei non obtemperatur: nec vnus in eccleſia ad tempus ſacerdos, nec ad tempus iudex vice Chriſti cogitatur. Cui ſi ſecundum magiſteria diuina obtemperaret fraternitas vniuerſa, nemo aduerſus ſacerdotum collegium quicquam moueret: nemo poſt diuinum iudicium, poſt populi ſuffragium, poſt coepiſcoporum conſenſum, iudicem ſe non tam epiſcopi ſed Dei faceret: nemo diſſidio vnitatis Chriſti eccleſiam ſcinderet: nemo ſibi placens ac tumens ſeorſum foris nouam hæreſin conderet. Atque alibi in eandem ſententiam: Vnde (inquit) ſchiſmata & hæreſes oborta ſunt & oriuntur, niſi cùm epiſcopus qui vnus eſt, & eccleſiæ præeſt, ſuperba quorundam præſumptione contemnitur, & homo dignatione Dei honoratus, ab indignis hominibus iudicatur? Qui igitur cathedram Petri tenet ſummus pontifex, eo iure quo Petrus accepit à Chriſto dicente, Paſce oues meas, vniuerſam eccleſiam & gubernat & gubernare debet. Quemadmodum enim Theophylactus ait in hunc ipſum locum, cùm prandendi finem Chriſtus feciſſet, totius orbis ouium præfecturam Petro committit, non autem alij, ſed huic tradit primùm quidem, qui omnes præcellebat, & totius cœtus os erat. Hac tamen poteſtate ſua vti debet, non ad deſtructionem, ſed ad ædificationem. Hanc autem plenitudinem poteſtatis ſic

Cypr. lib. 1. epiſt. 3. ad Cornel. pap.

Lib. 4. epiſt. 3. ad Florentium Pupianum.

Ioan. 21.

tis ſic videtur Chriſtus Petro eiúſque ſucceſſoribus dediſſe, vt reliquis epiſcopis partem ſollicitudinis eius commiſſæ non abſtulerit, ſed ſuarum eccleſiarum & dioceſium veros iure diuino epiſcopos eſſe voluerit. Proinde vt mandatũ totius regendæ eccleſiæ Petrus à domino accepit, ita alios omnes præsbiteros ſiue epiſcopos hortatur, vt paſcãt eccleſiam ſibi commiſſam: Paſcite (inquit) ſeu regite quãtum in vobis eſt, gregem Chriſti, curam illius agentes non coactè, ſed volentes: non turpiter affectantes lucrum, ſed propenſo animo: neque ceu dominiũ exercentes aduerſus cleros, ſed ſic vt ſitis exemplaria gregis. Debent porrò chriſtiani homines & pontifici ſummo & ſingulis ſuis etiam epiſcopis parere, iuxta illud Apoſtoli: Obedite præpoſitis veſtris, qui vigilant pro animabus veſtris, tanquam rationem reddituri. *1. Pet. 5.* *Heb. 13.*

DOROTHEA.

Sed quî verum eſſe poteſt, vt vniuerſæ eccleſiæ cura vni Petro demandata ſit cum plenitudine poteſtatis, cùm Paulus dicat ſibi à Chriſto prædicandi euangelij munus commiſſum eſſe inter gentes, vt Petro delegatum erat inter Iudæos? Et Petrum, cùm cognouiſſet parem euangelij gratiam Paulo quoque collatam fuiſſe, fœdus ac ſocietatem cum ipſo iniiſſe, vt idem euangelium concordibus animis in ſua quiſque portione prædicarent, hic inter gentes, ille inter Iudæos? Nónne inde palàm eſt æquales & ſocios fuiſſe Apoſtolos? Quod ſi ita eſt, neuter profectò maiorem, quàm alter, poteſtatem habuit. *Gal. 2.*

THEOPHILVS.

Cùm Paulus ait ſibi concreditum fuiſſe euangelium præputij, quemadmodum Petro circunciſionis, & qui efficax fuit in Petro ad apoſtolatum circunciſionis, efficacem quoque in ſe fuiſſe erga gentes: non ita accipienda hæc eſt oratio, vt Petro detrahere velit Paulus docendi euangelij munus inter gentes, cùm gentibus etiam Petrus Chriſtum oblata opportunitate annuntiauerit, vt & ipſemet ſignificat, cùm ita loquitur: Vos ſcitis quòd à primis diebus Deus inter nos elegerit, vt per os meum audirent gentes verbum euangelij, crederentque. Sed noſſe oportet hunc Paulum ſpectare, quòd alij Apoſtoli principaliter in Iudæa *Act. 15.*

&Hieroſolymis mãſerint,donec Deo vocante aliò ſe còntulerunt. Pro tempore ergo ita habebat res,quòd ſtante
Act. 13. adhuc politia Iudaica,erant in Iudæa: imminente verò excidio Hieroſolymitano, diſperſi ſunt per totum orbem. Paulus autem ſingulari vocatione ſelectus in Apoſtolum gentium,& miſſus extra Iudęam,peragrauit regiones gentium.Cæterùm Iudæi tunc diffuſi per totum ferè orbem, paſſim habitabant in vrbibus,& locis gentilium. Itaque Paulus illuc veniens,ſolitus fuit ingredi ſynagogas Iudæorum,atq; illa occaſione primùm adferebat illis vt filiis regni hoc lætum nuntium, ꝓmiſſiones patribus factas, iam
*Act.*13. impletas per Chriſtum. Cùm hoc audire nollent,ibant ad gẽtes.Fuit igitur gẽtium Apoſtolus,vt Petrus Iudæorum, ſic tamen vt & ipſe inter gentes euangelium prædicauerit, eccleſias inſtituerit, & populos docuerit. Quòd autẽ Paulus affirmat ſibi Petrum ſocietatis dextrã dediſſe,vt cõmuniter in vinea domini laborarent,indicant hęc verba, Paulum ſe Petro æqualem & ſocium facere: Nam re vera Petrus & Paulus, vt reliqui etiam omnes, inter ſe Apoſtoli, honore Apoſtolatus pares fuerant, & in commiſſo euangelij docẽdi munere ſocij,cùm omnibus à Chriſto dictum
Mat. vlti. capite. ſit:Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo& in terra.Euntes ergo docete omnes gentes,baptizantes eos in nomine patris,& filij,& ſpiritusſancti,docentes eos ſeruare omnia quæcunque mandaui vobis. Et,Amen dico vobis,quæcunque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo:& quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo.Item, Accipite ſpiritum ſanctum: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis:& quorum retinueritis, retenta ſunt. Ex quibus verbis liquidò conſtat Apoſtolos cum eadem paríque poteſtate à Chriſto in orbem terrarum eſſe emiſſos.Non tamen inde efficias Petrum non antecelluiſſe cæteris,plenitudine adminiſtrationis,regiminis,ac poteſtatis,quam apud vnum eſſe oportet in eccleſia,vt eccleſiæ vnitas monſtretur ac conſeruetur. Vnde luculenter Ana-
Cap. In nouoteſtam. 91. diſt. cletus Romanus pontifex & martyr ſcripſit,cæteros Apoſtolos cum Petro pari conſortio honorem & poteſtatem accepiſſe,ſed tamen ſacerdotij principatum Petro tributum, vt ab vno poſt Chriſtum ſacerdotalis ordo pendere vide-

videretur. DOROTHEA.

At quî fieri poteſt vt par ſit ſingulis Apoſtolis poteſtas, & tamen Petrus principatum gerat?

THEOPHILVS.

Rem tibi hoc ſimili illuſtrabo. Paterfamiliâs pluribus ſeruis negotiandi prouinciã ex æquo partitur ac demandat:ne tamen negotiationis vnitas diſſipetur,vni ex iiſpoteſtatẽ facit, vt is non tantũ in ſuã partem,ſed & in aliorũ partes reſpiciat,& ſicubi aliquis ex cõſeruis in officio ceſſauerit, eum vt ad functionem ſuam reuocet, ac proſpiciat,ne communis negotiatio iacturam patiatur.

DOROTHEA.

Hoc igitur vis,ſingulos Apoſtolos,pro ſua quęque portione eccleſiã regere,iis tamen præfectum eſſe Petrum,qui licèt ipſe quoque ſuã portionem teneat,interim tamẽ vniuerſarum eccleſiarũ curã animo cõplectitur,& ſollicitudine per omnes eccleſias diſcurrit. THEOPHILVS.

Sanè quidem.Nam cùm poteſtatẽ ordinis æqualẽ poſſideãt omnes,& eadẽ integra ſinguli in plæbe ſibi cõmiſſa vtantur: Petrus tamen,ꝑpter vnitatẽ conſeruãdam,iuriſdictionis poteſtate reliquis preſtat, maiorémq; habet ligãdi ac ſoluendi poteſtatẽ, quàm cæteri. Ipſi enim pro tẽporum & rerum neceſſitate,in ædificationem eccleſiæ poteſtaſ eſt condendi leges ſeu canones,quibus cõtumaces ab externo eccleſiæ conſortio repellat,& viciſſim reſipiſcẽtes ſolus recipiat & recõciliet. Curã ergo ſuã ad omneis eccleſias extendẽs poteſtatẽ exercet in oẽs,nõ vt tyrãnide eccleſiã opprimat,aut collegas ſuos debita poteſtate ſibi in omnes cõceſſa,à ſingulis legitimã ſacerdotalis miniſterij functionẽ exigat,vt ſic diſciplina eccleſiæ cõſeruetur,& ſchiſmatum occaſiones deuitentur. DOROTHEA.

Atqui ſcriptura nuſquã huius in omnes eccleſias mãdatę Petro poteſtatis meminit. Quod fieri tamẽ oportuit,cùm res tanti ſit momenti, ſi hęc poteſtas à Chriſto ſit inſtituta. Quinimo nec Paulus, cùm viuam eccleſiæ imaginem depingit, Chriſtum docet vllum miniſteriale (vt ita loquar)caput ordinaſſe. Alios quidẽ (inquit)conſtituit Apoſtolos, alios verò Paſtores, alios euangeliſtas,alios doctores, &c. Cur non addit, vnum omnibus præfeciſſe,

qui vices ſuas gerat? Id enim maximè locus poſtulabat, nec vllo modo debuit omitti, ſi verum eſſet. Chriſtus, inquit, nobis adeſt. Quomodo? per miniſterium hominum, quos gubernandæ eccleſiæ præfecit. Cur non potius per caput miniſteriale, cui vices ſuas mandauit? Vnitatem nominat: ſed in Deo & in Chriſti fide hominibus nihil tribuit, niſi cōmune miniſterium, & vnicuique modum particularem. Cur in illa commendatione vnitatis, poſtquam dixerat vnum corpus, vnum ſpiritum, vnam ſpem vocationis, vnum Deum, vnam fidem, vnum baptiſma, nō etiam cōtinuò adiecit vnum ſummum pontificem, qui eccleſiam in vnitate contineat? Nihil enim aptius dici poterat, ſiquidem ita res haberet.

THEOPHILVS.

Quandoquidem negas huius tantæ poteſtatis ſcripturam meminiſſe, operæpretium me facturum arbitror, ſi eam ſcripturis veteris & noui teſtamenti quàm breuiſſimè comprobauero. Conſtat inter omnes vetus teſtamentum vmbram fuiſſe futurorum, quemadmodum ait Apoſtolus. At in illo fuit vnus ſacerdos aliorum princeps. Itaque in gratiæ lege ſummus etiam ſacerdos eſſe debet, qui Chriſti vices gerat, & aliorum ſit princeps. Quæ autem ratio exigebat inter Iudęos ſummū ſacerdotium, ſummum item iudicium, hæc fuit: quòd illi vndique ab idololatris ſepti erant. Quare ne religionum varietate diſtraherentur, cultus ſui ſedem Hieroſolymis in medio terræ ſinu Deus collocauit, quò melius in vnitate continerentur. Ob eandem ferè cauſam licèt nunc vera religio in totum orbem diffuſa ſit, tamen in ſchiſmatis remedium vtiliſſimum eſt vnum quempiam eſſe ſummum ſacerdotem, ad quem de omnibus controuerſiis referatur, cuiusque ſtetur iudicio, ne eccleſia, ſi quæſtionibus exortis pertinacius ſuam quiſque tueatur ſententiam, factionibus miſerè ſcindatur. Eiuſmodi verò authoritatem certo notóque omnibus loco eſſe oportet, vt omnes eam facilè conſulere, dum tempus aut res poſtulat, valeant. Alioqui non videretur Chriſtus ſuæ ſatis eccleſiæ proſpexiſſe. Iam verò, quis neſcit Chriſtum vni Petro (cuius ſucceſſorem Romanum epiſcopum omnes orthodoxi vnanimi ſententia faciunt) inter Apoſtolos principatum hunc detuliſſe, dum vnitatem & ſoliditatem

Heb. 10.

ditatem eccleſiæ ſuæ in vno Petro firmat & ſtabilit? Tu es, inquit, Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam. Hîc vtique τὸ Petrus, non cognomentum ſignificat, ſed idem prorſus quod ſaxum & petra. Non enim Chriſtus intellexit: Tu vocaris Petrus: Sed hoc voluit: Tu qui me arcano cœleſtis patris afflatu verè filium Dei eſſe pronunciaſti ex patris ſubſtantia genitum, fidei firmitate verum ſaxum & rupes veráque petra es conceſſa gratia & diuinæ inſpirationis priuilegio. Ideóque ſuper hanc petram, id eſt, ſuper te tam firmum & ſolidũ in nominis mei confeſſione, tanquam ſuper fundamentum quoddam miniſteriale, & ſecũdum me primarium, ædificabo eccleſiam meam, quam immobili tuæ profeſſionis ſaxo innixam, ita communiam, vt nullæ vires regni tartarei illam expugnare queant. Ita in Petro, qui certa & indubitata ſententia Chriſtum illum eſſe Meſſiam à prophetis promiſſum & vnicum Dei filium profitens, ſolidus lapis eſt, non huc aut illuc vacillans variis opinionibus vulgi, vnitatem & ſoliditatem eccleſiæ firmatam eſſe videmus. Quod idem intelligi poteſt dum Chriſtus paſcendi ouilis Chriſtiani curam ei præ cæteris committens, trina repetitione dicit: Paſce oues meas. Adhæc, dum vni Petro in ſignum ſingularis cuiuſdam authoritatis & poteſtatis claues regni cœlorum ſe traditurum pollicetur: Tibi, inquit, dabo claues regni cœlorum: Et, Quodcunque ligaueris ſuper terrã, erit ligatum & in cœlis: & quodcũque ſolueris ſuper terram, erit ſolutũ & in cœlis. Conuenit enim vt ille primus ſit authoritate, qui primus eſt fidei profeſſione & charitate. Rurſum dũ ei curã & ſollicitudinem confirmãdi fratres demandat: Ego pro te rogaui, Petre, vt non deficiat fides tua. Et tu aliquando conuerſus, confirma fratres tuos. Id enim ſingularis cuiuſdam curæ, & ſollicitudinis excellentiam inſinuat: & cum ſingulari authoritate coniunctum eſſe debet, defectus aliorum, admonitionibus, conſolationibus, exhortationibus, & doctrinis ſupplere & emendare. Hoc eſt enim confirmare fratres. Præterea cùm didrachma milites exigerent, Chriſtus Petro dedit negotium vt demitteret hamum in mare, primiq́ue piſcis, quem caperet, os aperiret, inuentúmque ſtatêrem pro ſe & ipſo

c

daret. Cur, obſecro, reliquos Apoſtolos à perſolutione excluſit, niſi vt Petrum ſibi in principatu ſucceſſurum indicaret? Hoc amplius cùm ipſe Chriſtus doceret, quo ordine fratrem peccantem admoneremus, Petrus acceſsit ad eum, rogauitque, quoties fratri peccanti ignoſceret: cúmque ad ſeptimum peccatum progreſſus, num illic conſiſteret rogaret, ei ille ita reſpōdit, vt ſeptuageſimo ſeptimo numero vniuerſū peccatorū numerū in danda venia cōplecteretur. Hæc apud Matth. decimooctauo capite his verbis enarrantur. Accedens Petrus ad Ieſum, dixit: Domine, quotiens peccabit in me frater meus, & dimittam ei? vſque ſepties? Dixit illi Ieſus: Non dico tibi vſque ſepties, ſed vſque ſeptuagies ſepties Cur hoc potiſsimùm Petro dixit, niſi vt tanquam ſucceſſorem erudiret? Hanc excellentem Petri

Gal. 1. authoritatem Paulus declarare videtur, dum ita ſcribit: Deinde poſt annos treis veni Hieroſolymam, vt viderem Petrum, & manſi apud eum diebus quindecim. Quæ ver-

Super Mat cap. 6. ba Chryſoſtomus explanans: Petrus, inquit, os erat & Apoſtolorum princeps. Propterea eum præter alios Paulus viſurus accedit. Cuius ſententiæ ſubſcribit Ambroſius, dum

Super epiſt. ad Gal. 1. ſic ait: Dignum fuit vt Paulus cuperet videre Petrum, quia primus erat inter Apoſtolos, cui delegauerat Seruator curam eccleſiarum. Pleraque autem Petrus ipſe geſsit, quæ principatum in eo fuiſſe declarant. Ipſe enim, cùm Mat-

Act. 1. thias in Iudæ demortui locum ſuffectus eſt, de ea re ad cæteros non ſecus retulit, ac conſules Romæ ad ſenatum

Act. 2. ſolebant. Die feſto Pentecoſtes cùm Iudæi malè de omnibus Chriſti diſcipulis, vt de ebriis exiſtimarent, quòd multis variíſque linguis vterentur: idem potiſsimùm reliquos defendit, ritu boni principis, qui ſe pro ſuis etiam

Act. 3. periculis & telis hoſtium obiicit. Idem cùm Iudæi eo ipſo die audita eius oratione ab omnibus quærerent, quid ſibi faciendum cenſerent ſalutis cauſa, vnus pro omnibus reſpondit: Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrûm in nomine Ieſu Chriſti, in remiſsionem peccatorum. Cùm idem ipſe & Ioannes in templum irent, non Ioannes Paralytico verba fecit, non eum curauit, ſed ipſe Petrus. Idem cùm Ioannes adeſſet, & populi, miraculi

raculi cauſa, ad eos concurſus fieret, omnes & docuit cuius id nomine feciſſent, & ad penitentiam hortatus eſt. Cumque huius miraculi rumor apud principes vrbis increbuiſſet,& poſtridie introductos illos in ſenatum ipſi interrogarent, cuius hoc nomine feciſſent, ipſe idem Petrus reſpondit. Supplicium etiam tam de Anania ſumptum, quàm de Sapphira eius vxore, tum cùm Petrus eos obiurgaret,eius principatum vel perſpicuè confirmat:non enim Petrus erat epiſcopus Hieroſolymitanus,ſed Iacobus.Longum eſſet de Tabitha,de Simone Mago,de Cornelio centurione dicere,ex quibus multíſque aliis idem docere poſſumus. Cui quidem rei minimè aduerſari putandum eſt, quod Petrus à Chriſto increpatus audiuerit: Abi poſt me, Satana: non ſapis ea quę ſunt Dei, ſed ea quæ ſunt hominum. Nondum enim acceperat claues, cùm confeſsioni ſuæ repugnare Chriſti necem exiſtimabat: nondum erat confirmatus: nondum venerat ſuper eum plenitudo ſpiritus. Ideóque nondum erat petra, cui ſuperſtructa eſt eccleſia: ſed poſt reſurrectionem ſuper illum eam Chriſtus fundauit, tanquam ſuper fundamentum miniſteriale & ſecundarium. Chriſtus enim principalis eſt petra, & natura ipſa fundamentum eccleſiæ verum primariumque. Quid, quòd non vult Chryſoſtomus Satanæ nomen ad Petrum pertinere, ſed ad diabolum ſuggeſtorem huius conſilij? vt interim taceam, quòd lapſus perſonæ non tollit poteſtatem. Rectè ergo Origenes, Petrus (inquit) adhuc plumbeus erat: & fieri potuit,vt reuelationem haberet à patre, qua profiteretur Chriſtum eſſe filium Dei viui:attamen lateret eum hoc magnum myſterium, quo Chriſtus voluit pro ſalute generis humani crucifigi & tertia die reſurgere. Multò minus autem animum tuum conturbare debet,quòd quidam aiunt Iacobum, non Petrum, in conuentu ac concilio Apoſtolorum, quod pro componenda lite exorta ſuper obſeruatione legis Moſaïcæ coactum fuerat, ſententiam pronunciauiſſe, & Petrum à Paulo reprehenſum, vt hæc eius verba teſtantur: Cùm autem veniſſet Cephias Antiochiam, in faciem ei reſtiti, quia reprehenſibilis erat: quódque iuſſus à collegis ire cum Ioanne

Acto. 5. *Matt. 16.* *Hom. 3. in Matth.*

in Samariam, non detrectauerit. Non enim, vt de hoc quod poſtremo loco poſitum eſt principio dicam, quòd eum mittũt Apoſtoli, eò declarant ſe minimè eum habere pro ſuperiori, licèt coacti cum ſenioribus eccleſiam referrent, quę adminiſtro capite ſuperior eſt. Nam cùm is Chriſti doctrinam ſequens animo tam ſummiſſo deiectóque eſſet, vt aliorum ſeruus & miniſter eſſe non recuſaret, ab iis mittitur qui ſuperiore capite, velut miniſtro, non domino, vtuntur. Quanquam hæc ratiocinandi forma non ſatis firma eſſe validáque videtur: hic eſt miſſus, ergo inferior eo qui miſit. Filius enim à patre miſſus eſt, non propterea tamen minor patre. Sic nec Herodes, qui tres Magos miſit vt puerum adorarent, magis authoritate fuit ſuperior. Sed vt hæc miſſa faciamus, ecquis ignorat ſolemne eſſe & in more poſitum, vt qui ſint in collegio & ſenatu potiores, legatione ſæpius fungantur, conſilio ſcilicet aut amore inferiorum? Sic legimus quòd cùm au-
Ioſue 22. diſſent filij Iſraël ædificaſſe filios Ruben & Gad, dimidium tribus Manaſſe, altare in terra Chanaan, ſuper Iordanis tumulos contra filios Iſraël, conuenerunt omnes in Silo, vt aſcenderent & dimicarent contra eos: & interim miſerunt ad illos in terram Galaad Phinees filium Eleazari ſacerdotis, qui eorum dux erat coram domino, &
1.*Paral*.9. decem principes cum eo ſingulos de ſingulis tribubus, vt eos ſuper hoc facto ſacrilego reprehenderẽt. Itaque quòd obſequitur Petrus, & legationem ſibi mandatam ſuſcipit, non eò inficiatur ſe iis à quibus mittitur adminiſtrationis poteſtate longè præſtare. Nec verò cuiquam mirum videri debet (cùm minus fideliter ageret Petrus, nec ſatis rectè aut conſtanter ad euangelicam veritatem ingrederetur, quæ iam ſic eluxerat, vt tempus eſſet libera fronte profiteri legis cæremonias antiquatas eſſe, nec quicquam cõferre ad ſalutem) eum à Paulo, qui Apoſtolatus honore Petro erat æqualis, & pluris habebat euangelicum negotium quàm illius dignitatem, correctum eſſe: quia cùm metus ac vacillatio, quam præ ſe ferebat, in grauem multorum perniciem vergeret, ſecus interpretantium quàm ille ſentiret: videlicet quaſi ſuperſtitione motus id faceret,

ret, non ſtudio conſulendi Iudæorum infirmitati, acri manifeſtáque obiurgatione obuiam Paulus ire debuit, ac omnium periculo mederi, vt coràm omnibus caſtigato capite, cæteri ad illius exemplum reſipiſcerent, vbi conſpexiſſent illum obtemperantem admonitioni Pauli. Vnde rectè Ambroſius, Reprehenſibilis (inquit) erat, euangelica veritate, cui hoc factum aduerſabatur. Alioqui quis eorum auderet Apoſtolo, cui claues regni cœlorum Dominus dedit, reſiſtere? Cæterùm quod attinet ad concilium Hieroſolymitanum, cùm Petrus eidem non ſolùm intereſſet, ſed & præeſſet, primus quidem, vt eius prima erat inter Apoſtolos authoritas, quid ſentiret explicauit: atque vt Paulus & Barnabas dicendi finem fecerunt, Iacobus ſententiam ſuam dicit, qui licèt epiſcopatum loci gereret, præſidentis tamen in morem de controuerſia non decernit: imo cùm placuiſſet eius ſententia, Apoſtoli & ſeniores omnes communi conſenſu ita ſtatuerunt: Viſum eſt ſpiritui ſancto & nobis, &c. Conſtat ergo ſcripturam docere Petrum principem Apoſtolorum fuiſſe, & dignitate reliquos anteccelluiſſe. Quid autem hoc mirabile videri debeat, cùm ita ferat natura, hocq́ue hominum ingenium poſtulet, vt in quouis cœtu etiam æquales ſint omnes poteſtate, vnus ſit tamen veluti moderator, in quem alij reſpiciant? Nulla eſt curia ſine conſule: nullus conſenſus iudicum ſine prætore ſeu quæſitore: collegium nullum ſine præfecto: nulla ſine magiſtro ſocietas. Quid ergo abſurdi, ſi fateamur Petrum Apoſtolorum principem? Cuius authoritatem cùm Chriſtus ipſe in euangelio abunde monſtrauerit, nihil neceſſe fuit Paulo illam in epiſtolis expreſſius attingere. Quare cùm in eccleſiæ miniſteriis & officiis deſcribendis alios eſſe Apoſtolos, alios prophetas, alios euangeliſtas, alios verò paſtores & doctores aſſeuerat, minimè hanc ſummi verticis excellentiorem dignitatem excluſiſſe videri debet, etſi non expreſsit. Quin potius cùm idem affirmet Deum ſic attemperaſſe corpus eccleſiæ, vt in eo non ſit diſsidium: neceſſe eſt vt ſub Chriſto, qui ſolus natura eccleſiæ caput eſt, & ſolus ſua authoritate ſuóque nomine regnat, alterum caput miniſteriale, quod *1. Cor. 12.*

eius vices gerat, in illa eſſe fateamur: alioqui ſchiſmatis ſemper impenderet periculum, niſi vno capite adminiſtro vnitas retineretur. Ne igitur exiſtima Paulum verticem, & adminiſtrum caput, è miniſtrorum numero, cùm aliquos percenſuiſſet, expunxiſſe. Nam euangelica illa verba, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram, &c. hanc Petri excellentiorem poteſtatem manifeſtè probant: fuítque peculiare reuelationis munus in confeſſione veræ fidei Petro præcipuè datum. Nec poſſunt Chriſti verba

Homel.in Ioa. 50. & Homel. 11. & 124. ad totum Apoſtolorum collegium accommodari. Quanquam autem Auguſtinus eccleſiam dicit per Petrum clauium poteſtatem accepiſſe, hoc tamen nihil Petri authoritatem imminuit, ſed magis confirmat, cùm hæc poteſtas vni Petro data in vniuerſum eccleſiæ corpus deriuata ſit.

DOROTHEA.

Audire velim, niſi moleſtum ſit, aliquot vetuſtiſsimorum eccleſiæ ſcriptorum teſtimonia, quibus hæc Petri poteſtas illuſtretur.

THEOPHILVS.

Hac in re tibi perquam lubenti animo obſequar. Occurrit in primis Anacletus, ſanctiſſimus ille pontifex &

Epiſt. 2. martyr, qui in epiſtola quadam ad epiſcopos Italiæ, in hanc ſententiam ſcribit: In nouo teſtamento poſt Chriſtum dominum à Petro ſacerdotalis cœpit ordo: quia ipſi primo pontificatus in eccleſia Chriſti datus eſt, dicente domino ad eum, Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, & portæ inferni non præualebunt aduerſus eam: & tibi dabo claues regni cœlorum. Hic ergo ligandi & ſoluendi poteſtatem primus accepit à Domino, primúſque ad fidem populum

Cypr. de ſimplicit. præla. virtute ſuæ prædicationis adduxit. Cæteri verò Apoſtoli cum eodem pari conſortio honorem & poteſtatem acceperunt, ipſúmque principem ſuum eſſe voluerunt. Eadem ferme habet Cypriani tertia epiſtola, ſeduci quoſdam ab hæreticis oſtendens, dum vnitati non intendunt. Hoc eò fit (inquit) fratres dilectiſſimi, dum ad origi-

nem

nem veritatis non reditur, nec caput quæritur, nec magiſtri cœleſtis doctrina ſeruatur. Probatio eſt ad fidem facilis compendio veritatis. Loquitur dominus ad Petrum: Ego tibi dico, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo eccleſiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. Tibi dabo claues regni cœlorum: & quæ ligaueris ſuper terram, erunt ligata & in cœlis. Et eidem poſt reſurrectionem dicit: Paſce oues meas. Et quanuis Apoſtolis omnibus poſt reſurrectionem ſuam parem poteſtatem tribuit, & dicit: Sicut miſit me pater, & ego mitto vos. Accipite ſpiritum ſanctum. Si cui remiſeritis peccata, remittuntur ei: ſi cui tenueritis, tenebuntur. Tamē vt vnitatem manifeſtaret, vnitatis eiuſdem originem ab vno incipientem ſua authoritate diſpoſuit. Hoc erant vtique & cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio præditi & honoris, & poteſtatis: ſed exordium ab vnitate proficiſcitur, vt eccleſia vna monſtretur. Idem ad Cornelium Romanæ vrbis papam ſcribens, non dubitauit ſedem Romanam appellare cathedram Petri, & eccleſiam principalem. *Cypr. lib. 1. epiſt. 3.* Extat Aegyptiorum pontificum ad Liberium papam in Athanaſij operibus epiſtola, in qua illi non ſolùm Romanæ ſedis principatum fatentur, verùm etiam ampliſſimis maximíſque ornant laudibus. Atque hoc ipſum à ſanctis Patribus, qui Niceno concilio præfuerunt, decretum eſſe confirmant. Hæc autem pauca ex multis proferre ſatis erit: Similiter & à ſupradictis patribus eſt definitum conſonanter, vt ſi quiſquam epiſcopum, aut Metropolitanum, aut comprouinciales vel iudices ſuſpectos habuerit, veſtram ſanctam Romanam interpellent ſedem, cui ab ipſo Domino poteſtas ligandi ac abſoluendi ſpeciali eſt priuilegio ſuper alios conceſſa. Chryſoſtomus enarrans locum illum Chriſti: Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & quæ ſequuntur, Petrum à Chriſto dicit vniuerſo terrarum orbi caput & paſtorem præpoſitum. *Matt. 16.* Nanque Deus concedere ſolus poteſt peccatorum ſcilicet remiſsionem: & vt futura eccleſia tot tantíſque fluctibus impetu irrumpentibus immobilis maneat. Cuius paſtor, & caput piſcator homo, atque ignobilis terrarum or-

be reluctante adamantis naturam firmitate ſuperet: hæc, inquã, omnia quæ ſolius Dei ſunt, ſe daturum pollicetur. Ita & pater ad Hieremiam dicebat, Sicut columnam ferream, & ſicut murum æneum poſui te. Sed ipſum quidem gentium pater, hunc autem vniuerſo terrarum orbi Chriſtus præpoſuit. Cyrillus etiam in Petro tãquam in petra lapidéque firmiſsimo Chriſtum affirmat pollicitũ eſſe ſuam ædificaturum ſe eccleſiam. Vnde Hilarius ait: Dignum planè confeſsio Petri præmium conſecuta eſt, quia Dei filium in homine vidiſſet. Beatus hic eſt, vt vltra humanum oculos intendiſſe & vidiſſe laudatus eſt, non id quod ex carne & ſanguine erat, cõtuens, ſed Dei filium cœleſtis patris reuelatione conſpiciens, dignúſque iudicatus, qui quod in Chriſto Dei eſſet, primus cognoſceret. O in nuncupatione noui nominis fœlix eccleſiæ fundamẽtũ, dignáque ædificatione illius petra, quæ infernas leges, & Tartari portas, & omnia mortis clauſtra diſſolueret! O beatus cœli ianitor, cuius arbitrio claues æterni aditus traduntur, cuius terreſtre iudicium præiudicata authoritas ſit in cœlo, vt quæ in terris ligata ſunt aut ſoluta, ſtatuti eiuſdem conditionem obtineant & in cœlo! Diuus Auguſtinus contra Donatiſtarum pertinaciam, viguiſſe ſemper in eccleſia Romana apoſtolicæ cathedræ principatum dicit his verbis, loquens de Carthagine: Erat etiam tranſmarinis vicina regionibus & fama celeberrima nobilis, vnde non mediocris vtique authoritatis habebat epiſcopum, qui poſſet non curare conſpirantem multitudinem inimicorum, cùm ſe videret & Romanæ eccleſiæ, in qua ſemper apoſtolicæ cathedræ viguit principatus, & cæteris terris vnde euangeliũ ad ipſam Aphricam venit, per cõmunicatorias literas eſſe coniũctũ, vbi paratus eſſet cauſam ſuam dicere, ſi aduerſarij eius ab eo illas eccleſias alienare conarentur. Idem libro ſecundo contra duas Pelagianorum epiſtolas, ſæpe Romanã eccleſiam ſedem apoſtolicam appellat, Zozyníque & Innocentij de Pelagianorum erroribus ſententiam, vt à ſede apoſtolica profectam, approbat. Petrum etiam ſæpe primum Apoſtolorum vocat. Leo etiam magnus huius rei cùm in concionibus, & epiſtolis, tum in 67. clariſsimum teſtimonium dicit his verbis: Sed hunc tramitem ſemper inter maiores

Super Ioan. lib. 2. cap. 12

In Matth. can. 16. ſuper hæc verba, Tu es Chriſtus filius Dei viui.

Epiſt. 162.

iores

iores noſtros benè tutum , & ſalubriter conſtitutum, Hilarius eccleſiarum ſtatum & concordiam ſacerdotum nouis præſumptionibus turbaturus exceſsit, ſuę vos cupiens ſubdere poteſtati,vt ſe beato apoſtolo Petro non patiatur eſſe ſubiectum, ordinationes ſibi omnium per Gallias eccleſiarum vendicans, & debitam metrapolitanis ſacerdotibus in ſuũ ius transferre dignitatem: ipſius quoque beatiſsimi Petri reuerentiam verbis arrogantioribus minuendo.Cui cùm prę cæteris ſoluendi & ligãdi tradita ſit poteſtas, paſcendarum tamen ouium cura ſpecialius mandata eſt.Cui quiſquis principatum exiſtimat denegãdum, illius quidem nullo modo poteſt minuere dignitatem,ſed inflatus ſpiritu ſuperbię ſuæ ſemetipſum in inferna demergit. Extat & Marcelli papę ad presbyteros Antiochenos epiſtola,vbi ſic loquitur,Petri ſedes initio apud vos fuit: quę poſtea, iubente domino,huc tranſlata eſt. Sic Antiochena eccleſia,quę olim prima erat,Romanæ ceſſit ſedi. Bernardus quoque,Indagemus,inquit,adhuc quis ſis,quam geras videlicet pro tempore,perſonam in eccleſia Dei. Quis es? Sacerdos magnus:pontifex ſummus: Tu princeps epiſcoporũ,tu hæres Apoſtolorum, tu primatu Abel,gubernatu Noe,patriarchatu Abraham,ordine Melchiſedec,dignitate Aaron, authoritate Moſes, iudicatu Samuel, poteſtate Petrus,vnctione Chriſtus:tu es cui claues traditę,cui oues creditæ ſunt.Sunt quidem & alij cœli ianitores,& gregum paſtores,ſed tu tanto glorioſior,quanto & differentius vtrunque prę cęteris nomen hęreditaſti.Habent illi ſibi aſſignatos greges,ſinguli ſingulos: tibi vniuerſi crediti, vni omnes : nec modò ouiũ,ſed & paſtorum omnium paſtor. Et poſt pauca verba:Alij in partem ſollicitudinis: tu vocatus in plenitudinem poteſtatis.Aliorum poteſtas certis arctatur limitibus:tua extenditur,& in ipſos qui poteſtatem ſuper alios receperunt.Nónne,ſi cauſa extiterit, tu cœlum epiſcopo claudere,tu epiſcopum ab epiſcopatu deponere, etiam & tradere Satanæ potes?Stat ergo inconcuſſum priuilegium tuum,tam in datis clauibus, quàm in commendatis ouibus.

Refert idem Gratianus, C. Rogam' 24. quæſt. 1

Lib. 2. de conſid. ad Eugeni. cap. 7.

DOROTHEA.

Sentis igitur,quantum intellectu conſequi poſſum,verba

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Chriſti ad Simonem Barionā, ſub Petri nomine, officium atque miniſterium ſignificante, dicta, ad omneis poſteros, qui huic muneri ſuccedent, inferri debere.

THEOPHILVS.

Prorſus. Cùm enim eccleſia ad finem vſq; duratura ſit, intelligere oportet eos, quos illius adminiſtrationi Chriſtus præfecit, tandiu permanſuros, dum eccleſia ſalua, & incolumis erit, ita vt eorum poteſtas pro eccleſiæ vtilitate data, ad poſteros ſemper deriuetur. Eam ob cauſam ipſemet ait: Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad cōſummationem ſeculi. Cùm autē Chriſtus pro Petro rogauit, vt eius fides nō deficeret, non hoc fecit tanquā pro ſingulari perſona, ſed quaſi pro eccleſiæ adminiſtro capite, vt nunquam ſedis Petri deficeret fides, quandiu munus id in eccleſia perſeueraret. Nomē enim hoc [Petrus] aduentitium, Petri perpetuū in eccleſia officium magis deſignat, quàm perſonā eius afficit, ob fidei firmitatē, quam Petrus cōfeſſus eſt, à Chriſto illi inditum. Præterea non minus Chriſto eccleſia chara eſt, quàm olim ſynagoga fuit. Cùm igitur ſynagogæ nunquā defuerit ſummus pōtifex, cuius qui detrectabant imperium morte mulctabātur, par eſt, & conſentaneum, vt nunquā defuturum eccleſiæ Chriſti ſummū paſtorē indubitanter confirmemus, eius æternæ legis perpetuum interpretem in ſubortis controuerſiis, & obſcurioris ſenſus ſcripturæ explanatorem.

DOROTHEA.

Aiunt quod de ſeſſione Petri in Romana eccleſia dicitur, non habere multum fidei: quod circiter viginti annos à Chriſti morte Petrus Hieroſolymis fuerit, deinde venerit Antiochiam, vbi quādiu fuerit incertū eſt. Atqui à morte Chriſti vſque ad finem imperij Neronis, ſub quo Petrū cæſum fuiſſe memorāt, reperiētur tantùm triginta ſeptem anni. Paſſus eſt enim dominus ſub Tyberio, anno imperij eius 18. Si viginti annos decidas, quibus habitauit Petrus Hieroſolymis, reſtabunt 17. ad ſummum, quos nunc inter duos epiſcopatus partiri oportet. Si diu Antiochiæ moratus eſt, non potuit Romę ſedere, niſi per exiguū tēpus. Nec deſunt, qui eū Romæ vnquā fuiſſe, omnino negēt. Quòd ſi ita eſt, nō iure pontifex Romanus Petri authoritatē & poteſtatem ſibi vendicat, tanquam eius ſucceſſor.

THEO-

THEOPHILVS.

Qui Petrum exiſtimant tam tardè Romã ſe contuliſſe, vehemẽter illi quidem hallucinantur. Nam circiter annos quinq; in Ponto & Aſia fuit,& ſeptẽ in Antiochia. Decimo autem octauo anno ex vrbe Roma Hieroſolymã venit ad conciliũ.Cæterùm vbicunq; eſſet Petrus,ſummus erat Pontifex,cæteris quidẽ dignitate ſacerdotij nõ antecellens,ſed amplitudine ſollicitudinis & iuriſdictionis prærogatiua, vt eccleſiæ vnitas cõſeruaretur.Reuelante tamẽ ſpiritu, vt iã docui è Marcello ſanctiſſ. martyre,ſedẽ ſibi Romæ elegit,vbi Euangeliũ prædicauit prius q̃ Paulus illuc pedẽ intuliſſet,quemadmodum teſtatur Hieronymus ſuper illud, Vt aliquid impertiar vobis gratiæ ſpiritualis:Ad cõfirmandos,inquit,vos Romanos Petri prędicatione fidẽ tenẽtes. *Roma.1.* Cõfirmare ſe velle Paulus dicit, nõ quo minus accepiſſent à Petro, ſed vt duobus Apoſtolis teſtibus & doctoribus, eorũ corroboraretur fides:alioqui curabat ne ſuper fundamentũ alienũ ædificaret.Nec verũ eſt(quòd pleroſq; arbitrari affirmas)Petrũ à morte Chriſti circiter annos viginti fuiſſe Hieroſolymis,cùm ſcriptura doceat eũ ſtatim à baptiſmo Pauli,quo tẽpore eccleſiæ ꝑ totã Iudęã & Galilęam & Samariam habebant pacẽ,dum peragraret omnes regiones,& nunc hos,nũc illos inuiſeret, perueniſſe etiã ad ſanctos,qui habitabant Lyddæ. *Actor. 9. cap.* Ea eſt littoralis ciuitas Palęſtinæ.Licèt ergo Paulus dicat ſe,ſtatim vt Euangeliũ per reuelationẽ Ieſu Chriſti accepit,abiiſſe in Arabiã,ac denuo reuerſum eſſe Damaſcũ, & poſt annos tres rediiſſe Hieroſolymã vt videret Petrũ: deinde poſt annos 14.q̃ in regiones Syriæ Ciliciæq; venerat,rurſum aſcẽdiſſe Hieroſolymã iuxta reuelationẽ,& contuliſſe cum Iacobo,Petro,& Ioanne Euangeliũ,quod prædicabat inter gentes:nõ propterea tamẽ ſequitur Petrũ toto eo tẽpore Hieroſolymis pedẽ non extuliſſe: *Gala. 1.& 2.cap.* Nã fieri poteſt vt per id tẽporis etiam Romã Antiochia relicta capeſſerit:quod B. Hieronymus, qui Petrũ Apoſtolorũ principẽ nominat, affirmare videtur, dũ eum Romæ cathedrã ſacerdotalẽ 25. annis tenuiſſe dicit.Quid autẽ ꝓhibet quominus Hieroſolymã Roma redire potuerit,ſub id tẽporis quo Paulus ibi cõtulit Euãgelium ſuũ cũ magni nominis Apoſtolis? Sed audiamus Hieronymũ.In

libro ſcriptorum eccleſiaſticorum ſcribit his ferè verbis: Simon Petrus filius Ionæ, prouinciæ Galilææ, vico Bethſaida, frater Andreæ apoſtoli, & princeps Apoſtolorum, poſt epiſcopatum Antiochēſis eccleſiæ, & prædicationem diſperſionis eorum qui de circuncifione crediderant in Ponto, Galatia, Cappadocia, Aſia, & Bithynia, ſecundo Claudij anno, ad expugnandum Simonem Magum, Romam pergit, ibíque viginti quinque annis cathedram ſacerdotalem tenuit vſque ad vltimum annum Neronis, id eſt, decimum quartum. Atque etiam Euſebius Cæſarienſis in Chronicis eundem 25. annis eiuſdem vrbis epiſcopum fuiſſe ſcribit. Quo minus audiendi ſunt qui Petrum inficias eunt vnquam Romæ fuiſſe. Egeſippus certè ſcriptor antiquiſſimus, qui Aniceti tempore Romam venit anno domini 160. eorum orationi vehementer reclamat. Scribit enim lib. 3. de excidio Hieroſolymitano, quē admodum Nero cauſas quæſierit occidendi Apoſtolos: cùm autem edixiſſet vt comprehenderentur Apoſtoli, rogabatur Petrus, vt aliò ſeſe conferret. Dionyſius etiam Corinthiorū epiſcopus. Vos habētes, inquit, Romæ cùm eſſet, cōmonitionem à Petro & Paulo, plantationē Romanæ eccleſiæ coniunxiſtis. Ambo etiam aduentātes, atque in hac vrbe ſimul docentes etiam, martyrio pariter, vno eodémque tempore coronati ſunt. Et Irenæus Lugdunenſis epi-

Lib. 3. conſt. hæreſ. cap. 1. ſcopus: Matthæus (inquit) Hebræis ipſorum lingua ſcripturam dedit euangelij, cùm Petrus & Paulus Romæ euangelizarent & fundarent eccleſiam. Atque alibi: A glorio-

Cap. 3. ſiſſimis duobus Apoſtolis Petro & Paulo Romæ fundatæ conſtitutæ ſunt eccleſiæ. A quibus non diſſentit Tertul-

Lib. de præſcript. hæret. lianus (qui anno domini 150. viuebat) cùm ait, de Roma loquēs: Vbi Petrus paſſioni dominicæ coadæquatur. Item

Aduerſ. Marcionē. Romanis euangelium Petrus & Paulus ſanguine ſuo ſignatum reliquerunt. Cui conſonat Euſebius Cæſarienſis lib. 2. hiſt. eccleſ. cap. 14. In ipſis, inquit, Claudij temporibus clementia diuinæ prouidentiæ probatiſsimum omnium Apoſtolorum & maximum fidei magnificentia & virtutis merito primorum principem Petrum ad vrbem Romam deduxit. In horum omnium ſententiam pedi-

Serm. 66. bus it diuus Ambroſius, dum ait: Non ſine cauſa factum putamus,

putamus, quòd vna die, vno in loco, vnius tyranni tolerauere ſententiam. Vna die paſsi ſunt, vt ad Chriſtum pariter peruenirent: vno in loco, ne alteri Roma deeſſet: ſub vno perſecutore, vt æqualis crudelitas vtrunque conſtringeret. Dies ergo pro merito, locus pro gloria, perſecutor decretus eſt pro virtute. Et in quo tandem loco martyrium pertulerunt? In vrbe Roma, quæ principatum & caput obtinet nationum, ſcilicet vt vbi caput ſuperſtitionis erat, illic caput quieſceret ſanctitatis: & vbi gentilium principes habitabant, illic eccleſiarum principes morarētur. Non in alia ſententia eſt Paulus Oroſius inſignis hiſtoriographus. ſcribit enim in Tyberij Claudij regni exordio Petrum, Apoſtolum Domini noſtri Ieſu Chriſti, *Lib. 7. cap. 4.* Romam veniſſe, & ſalutarem cunctis credentibus fidem fideli verbo docuiſſe, & potentiſsimis approbauiſſe virtutibus: ex eóque tempore Chriſtianos Romæ eſſe cœpiſſe. Et ſequenti capite: Nero (inquit) primus Chriſtianos Romæ ſuppliciis & mortibus affecit, ac per omnes prouincias pari perſecutione vt exeruciarentur imperauit, ipſumq́ue nomen extirpare conatus beatiſſimos Chriſti Apoſtolos Petrum cruce, Paulum gladio occidit. Sed quid in re manifeſta opus eſt teſtibus parum neceſſariis? cùm Petrus ipſe Romæ ſe fuiſſe his verbis declaret, Salutat vos ea, quæ eſt in Babylone, veſtrę conſors electionis eccleſia? Nunquam enim Petrus Babylonem incoluit: allegoricè Babylonem Romam dicit, quòd Roma in omnibus Babyloni reſponderit, vt ait B. Hieronymus: quod teſtatur Papias Ioannis Euangeliſtæ auditor, dum memorię prodit Petrum priorem epiſtolam ſuam canonicam Romæ ſcripſiſſe. Quis igitur vel trimeſtri riſu eorum nugas non excipiat, qui ſe perbellè probaſſe putant Petrum non fuiſſe Romæ, quòd Paulus in ea epiſtola, quam ad Romanos ſcripſit, Petri nullam mentionem fecerit? Quaſi verò eum prętermittere nefas fuerit, ſi Romanam eccleſiam tum Petrus rexiſſet: nec vlla cauſa occurrere potuerit, quamobrem iure pręteritus ſit. Nec minori ſanè cachinno digna videri debet hęc illorum argumentatio: Adducitur Paulus Romam vinctus. Exceptum fuiſſe à fratribus narrat Lucas, de Petro nihil. Ergo Petrus tum non fuit Ro-

mæ. Quaſi verò Petrus in numero fratrum Pauli non habendus ſit, propter quod etiã nominari ſeorſum debuerit. Sed ſcribit illinc ad multas eccleſias. Alicubi etiam quorundam nomine ſalutationes aſſcribit. Non vno verbo indicat Petrum illic tum fuiſſe. Quid tum? An de Petro ſilere non potuit Paulus, etiam ſi Romæ tum adfuerit? Cui obſecto credibile iſtud videbitur? At conqueritur ad Timotheum ſcribens quòd nullus illi adfuerit in prima defenſione, ſed omnes eum dereliquerint. Quantã igitur, ſi Romæ fuit Petrus, illi ignominiã inurit Paulus, quòd ſcilicet deſertor fuerit Euangelij? Verùm de quibus tandem Apoſtolum loqui putas? De fidelibus, inquies: quia ſubiungit, Deus illi non imputet. Age, videamus quã grauis illa ſit nota, quã Petro inuri credis. Cũ primùm mihi agenda eſſet cauſa (ait Paulus) pro tribunali Cæſaris, nemo mihi adfuit, omnes metu territi, me deſeruerunt. Humanũ quiddam illis accidit, nolim hoc eis imputari. An igitur is protinus erit Euangelij deſertor, qui immani quodam timore perculſus, qualis in conſtantem alioqui virum cadere poteſt, apud Cæſaris tribunal cauſam acturum auxilio deſtituerit? Officij quidem deſertor dici poterit, ſed Euangelij poſſe minimè mihi perſuadeas. Sed vt tibi dem in prima illa Pauli defenſione ab vrbe Roma Petrum abfuiſſe, quia Euangelij negotium aliò forſan eum vocauerat, num continuò Romanã eccleſiam Petrum tunc rexiſſe probaueris? O dementiam! Multominus autem credam Petrum à Paulo perſtringi, cùm ad Philippenſes (vbi dixit neminem ſe habere, qui ita fideliter curet opus Domini, vt Timotheus) conqueritur omneis quærere quæ ſua ſunt. Nec enim in mentem vnquam Paulo venit Apoſtolorum principi eam labem aſpergere, etiam ſi tunc vel maximè Petrus Romæ fuerit. Dubium enim eſſe non poteſt, quin æquè fideliter in vinea Domini Petrus laborauerit atque Paulus. Sed has ineptias omitto: illud tantùm ex diuo Cypriano addam iis que ſuprà dicta ſunt: eccleſiæ vnitatẽ firmiter tuendam & vindicãdam eſſe, maximè ab epiſcopis qui in eccleſia Apoſtolorum loco præſident, vt epiſcopatum quoque ipſum vnum atque indiuiſum probemus. Epiſcopatus ſiquidem vnus eſt, cuius à ſingulis, in ſolidum pars tenetur. Eccleſia

2. Tim. 4.

2. Cap.

vna eſt, quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur, quomodo ſolis multi radij, ſed lumen vnum, & rami arboris multi, ſed robur vnum tenaci radice fundatum.

DOROTHEA.

Quæ adhuc à te expoſita ſunt, mirificè mihi placent. Dicito nunc quid in ſanctorum communione ſperes.

THEOPHILVS.

Remiſſionem peccatorum: quibus verbis intelligo Deum gratuita ſua bonitate ignoſcere ac condonare peccata pœnitentibus.

DOROTHEA.

Cur eam ſubnectis eccleſiæ?

THEOPHILVS.

Quia nemo extra eccleſiam eam conſequitur, quantumuis ſe maceret pœnitentia, ieiuniis, aut vigiliis, aut quçcunque exerceat opera miſericordiæ. In eccleſia, inquam, non hæreticorum, ſed ſancta, hoc eſt, ſpiritu Chriſti congregata eſt remiſſio peccatorum per baptiſmum, per pœnitētiam, & claues eccleſiæ datas: idq́ue per Chriſtum, & opere ſpiritus ſancti.

DOROTHEA.

Hac ratione conſtituis, extra eccleſiam non niſi damnationem & exitium eſſe.

THEOPHILVS.

Sanè quidem. Qui enim ſeceſſionem faciunt à Chriſti corpore, factionibúſque ſcindunt eius vnitatem, iis ſpes omnis ſalutis præciſa eſt, tantiſper dum manent in eiuſmodi diſſidio. Nam huic omnes prophetæ teſtimonium *Act. 10.* perhibent, remiſſionem peccatorum accipere omneis qui in eum crediderint, coadunati populo Dei, & vnitatem cum Chriſti corpore perſeueranter ad extremum vſque ſpiritum colentes.

DOROTHEA.

Ecquid amplius ſperas?

THEOPHILVS.

Carnis reſurrectionem, & vitam æternam. Scio enim & certus ſum, quòd redemptor meus viuit, & in nouiſsimo *Iob 19. e.* die de terra ſurrecturus ſum, & in carne mea videbo Deum ſeruatorem meum.

DOROTHEA.

Cur ſolius carnis mentionem facis?

THEOPHILVS.

Cùm carnem dico, corpus humanum animatum intelligo. Credo enim quòd vnaquæque anima recipiet corpus ſuum quod exanime reliquerat, & idem hoc vnde demigrarat. Credo quòd corruptibile hoc induet incorruptio-
1.Cor.15. nem, & mortale hoc immortalitatem.

DOROTHEA.

Cuius virtute fiet hæc reſurrectio?

THEOPHILVS.

Diuina certè, non humana. Nam qui potuit ex nihilo quęcunque voluit creare: illi non difficile eſt, quod ex ſua forma mutatum eſt, in priſtinam naturam reſtituere. Neque conuenit hîc diſputare, quomodo, aut quali corpore reſurgent mortui, mihi ſatis eſt, quòd qui promiſit hoc futurum, ſic verax eſt, vt mentiri non poſsit, ſic potens eſt, vt quæcunque velit nutu poſsit efficere. Scio autem quòd per Chriſtum & in Chriſto fiet reſurrectio: quoniam per hominem mors, & per hominem reſurrectio mortuorum: & ſicut in Adam omnes móriuntur, ita in Chriſto omnes
1.Cor. 15. viuificabuntur. Ideo primitiæ dormientium, & primogenitus ex mortuis nuncupatur.

DOROTHEA.

Perge ſodes, & conclude tandem articulos fidei.

THEOPHILVS.

Credo vitam æternam, quæ erit poſt reſurrectionem. Nam pij vita æterna fruentur corpore & animo. Neque enim corpus erit amplius obnoxium morbis, ſenio, fami, ſiti, dolori, laſſitudini, morti, aut vlli incommodo: ſed erit immortalitate, agilitate, ſublimitate, & claritate ſumma decoratum, & ſpirituale factum ſpiritus arbitrio mouebi-
Apoc.7. tur. Quod ad animam attinet, nullis deinceps vitiis, nul-
21. la triſtitia, aut moleſtia ſollicitabitur: ſed ſine fine fruetur
Eſai.25. ſummo bono, quod eſt Deus. Hoc quidem bonum nulla
49. lingua dicere & nulla mens comprehendere poteſt. Nec
1.Cor.2. enim oculus vidit, nec auris audiuit quæ præparauit Deus
Eſa.64. diligentibus ſe.

DOROTHEA.

In quo

In quo conſiſtit hæc beata vita?

THEOPHILVS.

Illud ipſum eſt quod, cùm mecum ſermonem inſtituiſti, te ſatis intelligere non poſſe dicebas, adeò obſcurũ videbatur. At iam (opinor) intelliges. Hęc eſt vita æterna (inquit Dominus) vt cognoſcant te Deũ verum, & quẽ miſiſti Ieſum Chriſtum. Ex quibus verbis manifeſtè colligimus, vitam hanc æternam in Dei intuitu, & cognitione conſiſtere. *Ioan.17.*

DOROTHEA.

Cur ſolius æternæ vitæ in hoc ſymbolo fit mentio, ſupliciorum non item?

THEOPHILVS.

Ea tantùm hîc proponuntur, quæ ad conſolationẽ piarum mentium faciunt. Credo tamen, quòd quemadmodũ pij vitæ fient hæredes: ita impios mors æterna animi & corporis poſſidebit. Perpetua eos ſupplicia manent: nam corpus habebunt ad æternos cruciatus immortale, & animum peccatorum ſtimulis ſemper afflictum, abſque vlla ſpe veniæ: Stipendia enim peccati mors: Gratia autem Dei vita æterna, per Chriſtum Ieſum dominum noſtrum. *Roma.6.*

DOROTHEA.

Quem fructum ex hoc poſtremo articulo percipis?

THEOPHILVS.

Primùm admonemur, vt animos ſurſum attollamus. Neque enim in terra fœlicitas noſtra ſita eſt, neque hîc ciuitatem permanentem habemus, ſed futurã inquirimus. Deinde docemur in aduerſis nũquam deſpondendum eſſe animum, ſed patienter omnia ſuſtinenda vſque ad diem reuelationis, & eſſe poſt hanc, ſperandam meliorem vitam. Plenam habes & perſpicuam, niſi me fallit animus, ſymboli Apoſtolici explanationem, nequid prætermiſſum, aut relictum putes. *Heb.13.*

DOROTHEA.

Illa verò ſummopere mihi probatur, & quidem facit etiam me firmiorem.

THEOPHILVS.

Iſtud vehementer gaudeo. Sed nunc quidem valetudini tribuentes aliquid, domum nos recipiamus. Quando-

quidem æſtus increbreſcit, nec ſatis iam nobis aduerſus ſo lis vim in harum arborum vmbra præſidij eſt. Ibi inferiorem ad p rtem ſpatium eſt, locúſque opacior, & exedra huic diei[a] tempori, & noſtro valde opportuna ſermoni. Cras igitur, & quot dies hîc verſabor, quæ reliqua ſunt agemus.

FINIS.

PETRI BVLENGERII TRECENSIS INSTITVtionum Chriſtianarum liber ſecundus.

DOROTHEA.

DICI quidem certè non poteſt, quàm ſim heſterna diſputatione delectata, vel potius adiuta. Etſi enim mihi conſcia ſum, nunquam me vel minimum hæſiſſe in ſummis illis fidei Chriſtianæ capitibus: multarum tamen ignoratio rerum animo meo ſubſidebar, quæ mox, omnibus abs te diligenter explicatis & pertractatis, ſic diſcuſſa eſt, vt nullam earum fugere me iam exiſtimem. Verùm dic ſodes, an credere tantùm & fidem illis qualem qualem habere ſatis eſt? Nihílne præterea à nobis Deus exigit, vt ſalutem conſequamur?

THEOPHILVS.

Vt apud Deum iuſtificemur, vitáque perenni fruamur, non ſatis eſt Dei erga nos charitatem dilectionémq; noſſe, quatenus in Euangelio declarat ſe patrem eſſe ſeruatorémque noſtrum per Ieſum Chriſtum (quod tamen ſingulare donum eſt ſpiritus ſancti, qui nos illuminat, vt intelligendæ ſpiritualis ſapientiæ Dei faciat capaces, ac cordibus noſtris obſignat promiſſiones ſalutis) ſed etiam Dei voluntati parendum eſt, ac ei verè & ex animo ſeruiendum. Fides enim abſque operibus, inquit beatus Iacobus, mortua eſt.

DOROTHEA.

Fare igitur, quid Deus præcipit, aut in quo tandem voluntas eius ſita eſt?

THEOPHILVS.

Iſtud è decalogo cognoſcimus, qui quidem conſummatam iuſtitiã complectitur, requirens nõ tantùm externam,

ſed & ſpiritualem veram ac perfectam obedientiam erga Deum. Duabus autem conſtat tabulis, quarum prior verũ Dei cultum, tam internum, quàm externũ amplectitur: poſterior docet quales eſſe debeamus erga proximum, quem nos diligere oportet, non propriæ vtilitatis, aut alterius cuiuſcunque rei cõtemplatione, ſed tantùm quia Deus, cui credimus & toto corde adhæremus, præcepit ac voluit, vt eum tanquam fratrem ac viſcera noſtra complectamur.

DOROTHEA.

Sed vbinam ſcriptum reperiemus huncce decalogum, qui decem Dei mandata contineat?

THEOPHILVS.

Exod. 20. Nõ in teſtamẽto modò veteri, ſed & in nouo reperitur.

Deut 5. DOROTHEA.

Matth. 5. Quandoquidem tam in lege quàm in Euangelio explicatur, audire velim, quid ſit inter vtrunque diſcriminis.

THEOPHILVS.

De diſcrimine veteris & noui teſtamenti. Hoc vt melius intelligas, aduertere te oportet, quòd cũ lex naturę (hoc eſt, illa de Deo, & de Dei voluntate notitia, quæ cõditis nobis, menti noſtræ per Deum eſt indita) per Adami lapſum in hominum mentibus adeò obtenebrata fuiſſet, vt citra fiduciam promiſſionis venturi ſeminis, in quo benedicerẽtur omnes gentes, ad iuſtificandum hominem ipſa nõ ſufficeret, inſuper etiã per increſcentem hominũ malitiam propè eſſet obliterata: ſingulari Dei prouidẽtia factũ eſt, vt lex per Moſen data ſuccederet: idq; tribus potiſſimùm de cauſis. Primò, vt diſciplina quadam coërceret homines, pœnarũ metu à flagitiis deterrens, & externis ſceleribus, quæ etſi manifeſta, perinde tamen, ac ſi ſcelera

1. Tim. 1. non fuiſſent, diſſimulabantur. Quod ſignificãs Paulus ait: Lex iuſto non eſt poſita, ſed iniuſtis, & non ſubditis, impiis & peccatoribus, &c. Secũdò, lex diuina lata eſt, vt oſtenderet peccatum, vt accuſaret, terreret, conturbaret, ac confun

Roma. 3. deret cõſcientiam. Vnde ait Apoſtolus: Per legem agnitio peccati. Ita lex, ipſa peccati demonſtratione, animã humanã, quaſi de innocentia ſecurã, ream facit: quò tandem intelligens peccatum ſine gratia Dei vinci non poſſe, reatus ſollicitudine ad percipiendam gratiã promiſſi mediatoris conuertatur, ac per fidẽ ad eius miſericordiã confugiat. In

quam

quam ſententiam dixit Paulus: Concluſit Deus omnes ſub peccato, vt omnium miſereatur. Neque enim quiſpiam cõ cupiſcentiæ reſiſtere poterit, niſi adiutus gratia. Nemo naturale vitiũ deponit, niſi ope conditoris naturæ. Nemo incredulitatẽ, diffidentiam, odium, & contemptũ Dei exuit. Nemo cum voluntatis delectatione bonum operatur, niſi Deus fidem ſpem & charitatem per ſpiritum ſuum menti prius immittat. Tertiò, lex data eſt, vt in iuſtificatis per fidem regula ſit bene viuendi, in qua cernãt opera quæ Deo placent, ac ſponte ſua faciant, quæ Deus requirit. Et eatenus præſtat ſapientiam paruulis, lætificat cor, illuminat oculos. Diuiditur autẽ hæc lex in moralem, ceremonialẽ, & iudicialem. Iudicialis reſpondet primo fini legis, qui eſt in coërcendo per diſciplinam, ad retinendam ſocietatem humani generis: ſed per Moſen potiſſimùm tradita ad gubernationem populi Chriſtum expectantis: ac de ritibus coniugiorum, ſucceſſionibus, pœnis delictorum, & ſimilibus rebus forẽſibus præcipit. Moralis ſecundo fini reſpondet, quòd ſit expoſitio legis naturæ, & doctrina virtutũ carnis fragilitatem oſtendens, & ad gratiam præparans. Ceremonialis verò inſtituta fuit ad præfigurãda venturi Chriſti myſteria, & veros fidei cultus Deo acceptos, nimirũ vltimo legis fini reſpondens. Sunt autem iudiciales & ceremoniales leges abolitæ, iam non pertinentes ad nos. Iudicialis enim data erat ad moderandum populum, qui ceremoniis Chriſtum præfigurantibus vtebatur. Statu ergo illius populi mutato, neceſſe erat vt & hæc lex ceſſaret. Itidẽ ceremonialis obſoleuit, quoniam per Chriſtum impleta eſt, ſicut Chriſtus ipſe teſtatur: Lex, inquit, & prophetæ vſque ad Ioannem: id eſt, ceremoniæ, & typi veteris legis vſque ad Ioannem. Nam poſt Ioannem conſummatis omnibus, quæ lex figurabat, & ſublatis typis, gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt. At ſola lex moralis, cùm interpretatio ſit legis naturæ, abrogata non eſt, ſed manet: nec Chriſtus venit vt eam ſolueret, ſed adimpleret, eámque gratiam conferret, qua & nos adiuti eandem & nos implere poſſimus. His ita declaratis facile intellectu erit, quæ ſit inter vetus & nouum teſtamentum differentia. Beatus Auguſtinus, vetus teſtamentum eſſe ait, doctrinam

Gal. 3. *Rom. 11.* *Hebr. 7.* *Matth. 11.* *Luc. 16.* *Ioan. 1.* *Ad Marcel. de ſpir. & lit.*

præceptorum, ſeu mandatorũ, in qua foris docemur, quid Deus à nobis requirat. Lex enim foris extra hominem in
Exod. 24. tabulis lapideis ſcripta, per Moſen populo Iſraëlitico data
32. & 34. eſt: quam ſi per ſe ſolùm conſideres, docet quidem, quæ facere, quę omittere oporteat, & cõdemnat hos, qui nõ ſunt
Deut. 27. tales, quales ipſa vult, ſed vim faciendi, vel omittẽdi ea quę
Gal. 3. præcipit, minimè ſuppeditat. Quinimo quotquot in eam tantùm intuentur accuſat & condemnat. Neque enim ſuis tantùm viribus eam implere poſſunt, cùm internam obedientiã requirat, velítq; non timore pœnæ, ſed amore iuſtitiæ impleri. Id quod homo non antè adipiſci poteſt, quàm Dei ſpiritu innouatus ſit, & volũtas eius cõmutata, nempe
Roma. 4. ex mala, facta bona. Itaque lex non iuſtitiam, ſed magis iram operatur, id eſt, terret, accuſat & damnat conſcientiam noſtram: nec tollit, ſed auget peccatum: quia vt ſit magis perſpicuum, & vt planè appareat facit: imò prohibendo, hominem carnalem ad peccatum irritatiorem fa-
2. *Cor.* 3. cit, ſuopte ingenio in vetitũ nitentem. Propterea & miniſtratio mortis, & dãnationis eſt appellata: non quòd legis
Roma. 7. intentio aut finis ſit, operari mortẽ & damnationẽ (eſt e-
Leuit. 18. nim lex ſancta, & mandatum ſanctum, iuſtum & bonum) ſed tantùm per occaſionẽ. Lex enim verã iuſtitiã proponit,
Roma. 10. & huc propriè tendit, vt eam facientes in ea viuãt. Sed quia nemo illam facit, nec ipſa virtutem faciendi tribuere po-
Philip. 3. teſt, vt ſcilicet impleatur: idcirco dicitur miniſtrare & afferre mortem, non ſuo, ſed naturæ noſtræ vitio, quæ per legem cognoſcens peccatum, & nõ inueniens in lege, hoc eſt, in ſola legis doctrina, remedium quo peccatum aboleat, & abolito peccato peccare deſinat, & ad bonum afficiatur, idcirco peccato occiditur. Et quoniam ſic ſe habet ratio teſtamenti, ſeu legis veteris, modò per ſe ſumatur, facile eſt intelligere cur dicatur lex literæ, lex operũ ſeu factorum, lex ſeruitutis, & cur opera legis dicuntur iuſtitia carnis. Nam litera ſignificat doctrinam eius quod fieri ac vitari debet, quæ non viuit in corde, & quæ nihil aliud eſt, quàm litera mortua, niſi ſpiritus viuificans accedat. Lex etiam ſeruitutis ſeu timoris dicitur, quòd timore pœnę, nõ amore iuſtitię (quã tamen lex requirit) à peccato coërceat. Et lex operum ſeu factorũ appellatur, quia facta & opera requi-

requirit,quorum tamen faciendorum non prǣſtat virtutē. Et qui ſuis viribus legi ſatisfacere ſe ſimulant,aut glorian-tur, hi dicuntur ſe ex lege operum aut factorum iuſtifica-re,& ſibi propriam iuſtitiam conſtituere velle:quæ tamen neminem iuſtificare,nec opera re vera bona producere po teſt. Denique iuſtitia carnis dicitur, quia ſpiritu cor inno- *Roma.* 10.
uante acviuificāte caret. Caro enim in ſcripturis, veterem hominem ſignificat,nondum ſpiritu Dei renouatum:quē-admodum apud Ioannem dicitur, Quòd natum eſt ex car *Gene.* 6.
ne,caro eſt. Poſtremò hæc lex,vetus teſtamentum dicitur, *Ioan.* 3.
propterea quòd veteris hominis noxa per literam iubentē & minantem non ſanatur, quemadmodum Apoſtolus di- *Rom.* 7.
xit:Non in vetuſtate literæ,ſed in nouitate ſpiritus.

Econtrario,nouum teſtamentum duo cōplectitur:Pri-mò,promiſſionem gratuitæ remiſſionis peccatorum per Chriſtum:Secundo,interiorem huius renouationem, quæ *2.Cor.* 3.
eſt lex,non extrinſecus in tabulis lapideis, ſeu chartis pa-pyraceis,ſed diuinitus ſcripta in cordibus per ſpiritum ſan ctum,qui digitus Dei apellatur, atque adeò propè nihil a-liud eſt,quàm ipſa præſentia ſpiritus ſancti. Nouum autē teſtamentum dicitur Euangelium,tanquā lætum nuntium ſeu annūciatio aduētus ac beneficij Chriſti. Quid enim eo nuntio lætius, quo annūciatur per fidem in Chriſtū gratis peccata nobis cōdonari,ſolui inimicitiā inter Deum & ho minē,donari nobis ſpiritū ſanctū corda noſtra per fidē & charitatē innouantem,deniq; vitā æternā? Ob eam cauſam *Rom.* 1.
D.Paulus Euangelium appellat virtutē & iuſtitiam Dei ad ſalutē omni credenti,hoc eſt, ſalutem omni credenti affe- *Auguſt.de*
rentē.Hæc eſt iuſtitia,quæ in teſtamēto veteri velata,in no *ſpir. & lit.*
uo reuelatur:quę ideo iuſtitia Dei dicitur,quòd Deus eam *cap.* 11.
impertiēdo iuſtos faciat:quēadmodū ſalus Domini appel-latur,qua nos ſaluos facit:& charitas Dei,nō qua nos ipſe diligit,ſed qua nos facit dilectores ſuos.Ergo teſtamētum vetus non diſtat eo ipſo à teſtamēto nouo,ꝙ teſtamētum *Ibidem*
vetus à Moſe & prophetis:nouum verò ab Euangeliſtis & *cap.*32.
Apoſtolis ſcriptum acceperimus.Nam & in libris veteris teſtamenti teſtamentum nouum,licèt olim velatum, nunc verò per Chriſtum reuelatum continetur. Nec eo differt, quòd aliud iubeat lex vetus,aliud poſtulet lex noua: nam

Quo diſcer- idem omnino iubent: Nec eo ipſo, quòd lex iubeat & mi-
natur teſta- netur: Euangelium verò tantùm promittat gratuitam re-
mẽtũ vetus miſsionem peccatorum, per Chriſtum, etiam indignis, &
à nouo. legi non ſatisfacientibus: Sed propriè eo differunt, quòd
Roma. 1. vetus teſtamentum ſit doctrina extra hominem ſcripta,
2. Cor. 3. quæ infirmitatem noſtram nobis tantùm oſtendit, non e-
Hebr. 1. tiam tollit: atque eo ipſo indicat nobis neceſſarium eſſe vt
De ſpir. & ad gratiam redemptoris per fidem confugiamus. Nouum
lit. cap. 13. verò teſtamentũ ſit doctrina non foris ſcripta, vel pronun
Idem ca. 9. ciata, ſed potius interna, & viua, quæ per ſpiritum ſanctum ſcribitur in cordibus noſtris, qua ille menti noſtræ perſuadet, non tantùm accipere nos remiſsionem peccatorũ in Chriſto per fidem: ſed ſimul etiam mentem & voluntatem noſtrã viuificat & immutat, de mala bonã faciendo, vt iam nõ timore, vel reſpectu legis, ſed magis amore iuſtitiæ, per ſpiritum ſanctũ indito, ꝙ bonum eſt faciat, factura etiam poſthac, etſi nulla lex externa iuberet, quæ propriè iuſtitia fidei appellatur. Tum ꝙ remiſsio peccatorũ propter Chriſtũ, & renouatio ſpiritus ſancti nõ aliter accipiantur, quàm
Roma. 5. per fidẽ in Chriſtũ, cuius ſpiritu & peccatis abſoluimur, &
Ephe. 1. ſpiritu mentis noſtræ renouamur, vt iã Dei voluntatẽ adiutore ſpiritu facere incipiamus. Tũ quia credimus quicquid boni affectus & operis in nobis ſentimus, id nõ ex nobis, ſed ex Dei beneficio propter Chriſtũ in nos profectũ eſſe, vnde Deo ea pietate (qua ſolus colẽdus eſt) gratias agam*.

Hoc ergo ſolo differunt lex vetus & Euangelium, quòd lex extra hominẽ ſcripta ſit in tabulis lapideis, vt eũ perterrefaciat: lex verò ſpiritus in ipſo homine, vt eũ interius
Auguſt. de iuſtificet. Cùm in tabulis ſcribũtur opera charitatis, lex eſt
ſpiri. & lit. operum, & litera occidens præuaricatorem. Cùm autẽ ipſa
cap. 17. charitas diffunditur in corda credentiũ, lex eſt fidei, & ſpiritus viuificans dilectorem: quæ hoc intus ſcripta facit diligi, quod foris ſcripta lex faciebat timeri. Hoc veteris & noui teſtamenti diſcrimen euidentiſsimè Hieremias pro-
Cap. 31. pheta oſtendit. Ecce, inquit, dies veniet (dicit Dominus) & conſummabo ſuper domum Iſraël teſtamentum nouum, non ſecundum teſtamentum, quod feci patribus eorum, in die qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos de terra Aegypti, quia ipſi non perſeuerauerunt in teſtamento meo,

to meo,& ego neglexi eos,dicit Dominus:Quia hoc teſta mentum eſt, quod ordinabo domui Iſraël. Poſt illos dies, dicit Dominus, dabo leges meas in cor illorũ, & in mente eorum ſcribam eas,& ero eis in Deum,& ipſi erunt mihi in populum, & non docebit vnuſquiſque ciuem ſuum, & vnuſquiſque fratrem ſuum,dicẽs:Cognoſce Dominum: quia omnes cognoſcẽt me à minimo vſque ad maximum eorũ, quia propitius ero iniquitati eorum,& peccata eorũ nõ memorabor vltra.Quid apertius dicere potuit propheta ad diſcernendum teſtamentũ nouum à veteri? Vetus appello,non ex tempore, ſed magis ex effectu: nempe ꝙ etſi voluntatẽ Dei oſtenderit,non tamẽ vi ſua veteris hominis noxã abſtulerit,nec hominẽ ad legis impletionem idoneũ fecerit, aut innouarit: hoc eſt enim quod dixit Propheta: Quia ipſi nõ perſeuerauerunt in teſtamẽto meo.Nõ enim ſimul cum lege,hoc eſt,virtute legis,bonã quoq; voluntatẽ (qua ſola lex fit)acceperunt. Et idcirco(inquit)cõſummabo ſuper domum Iſraël teſtamentum nouum,teſtamẽtum vtiq; cõſummatum,quo lex impleatur, quod promiſsione & exhibitione propitiationis & remiſsionis peccatorum, necnon viua doctrina, ſeu(vt Apoſtolus ait)doctrina ſpiritus,per ſpiritum ſanctum intus in corde ſcripta,ac mẽtem & voluntatem illuminante,immutante,ac viuificante conſtare dicit. Inſcribam(inquit)cordibus eorum leges meas: hoc eſt, illis dabo ſpiritum innouantem mentes, quo demum idonei & habiles efficiantur ad perficiendam legẽ. Cùm igitur lex Dei (quæ diu ſcripta erat in tabulis lapideis,quæ diu terruit, nec tamen impleta fuit) digito Dei, id eſt,ſpiritu ſancto cordibus noſtris inſculpitur, verè lex noua efficitur:quia tunc primùm fieri incipit. Quod enim recens fit,nouum eſt.Subiicit autem Propheta:Et non docebit vnuſquiſque proximum ſuum, vir fratrem ſuum, dicens: Cognoſce dominum:non quòd non ſit opus Euãgelium prædicare.Quomodo enim credent in eum,quẽ non audierunt? Quomodo audient ſine prædicante? ſed quòd in voce prædicationis exterioris Euangeliũ nullius ſit efficaciæ,niſi ſpiritus,quẽ Dominus per Euangelij fidem impartitur,intus doceat.Nam vt Apoſtolus ait: Ego quidem plantaui,Apollo rigauit,Deus autẽ incrementũ dedit.Et a-

1.Cor.2.

1.Cor.3.

Ioan. 6. libi ſcriptum eſt: Et erunt θεοδίδακτοι, id eſt, à Deo docti. Lex verò vetus data eſt, vt infirmitatem oſtenderet, vt gratia quæreretur. Gratia data eſt, vt infirmitatem adiuuaret, & lex impleretur. Quod enim erat impoſſibile legi
Rom. 8. per carnem, id eſt, conſiſtente carnali cõcupiſcẽtia lex non impleretur, & eatenus in nobis eſſet imbecillis & in firma, miſit Deus filiũ ſuum in ſimilitudinẽ carnis peccati, & de peccato damnauit peccatũ in carne, vt iuſtitia legis impleretur in nobis, qui non ſecundum carnem ambulamus, ſed
Gal. 3. ſecundum ſpiritum. Concluſit itaque ſcriptura omnia ſub
Rom. 3. peccato, non ſimpliciter, ſed in eum vſum, vt promiſſio ex fide IeſuChriſti daretur credentibus. Ex hac enim promiſſione, hoc eſt, ex Dei beneficio ipſa lex impletur, ſine qua
1. *Pet.* 2. promiſſione præuaricatores facit. Nam poſtquã territi per legem confugimus ad mediatorem, & credimus Chriſtum qui peccatum nõ fecit, pro nobis in mortem traditum, ſuſtuliſſe peccata mundi, & in ipſius ſanguine & meritis nos iuſtificari: ſtatim in ea fide (quę tamen ſine charitate veraciter non contingit) incipimus condelectari legi Dei ſecundum interiorem hominem, quæ delectatio non literæ,
Rom. 7. ſed ſpiritus donum eſt. Et licèt alia lex in membris adhuc repugnet legi mentis, tamen hæc lex ſpiritus, vbi ſemel dominari cœperit, concupiſcentiam in dies magis ac magis mortificat, donec in nouitate ſpiritus (quæ de die in diem in interiori, hoc eſt, ſpirituali homine augetur) tota vetuſtas mutata pertranſeat, liberante nos de corpore mortis huius gratia Dei per Ieſum Chriſtũ Dominum noſtrum.
2. *Cor.* 3. Vide verò quàm pulchrè Paulus hanc prophetiam intuens atque explicans, hoc ipſum doceat, cùm ait: Manifeſtati quoniam epiſtola eſtis Chriſti, miniſtrata à nobis, ſcripta non atramento, ſed ſpiritu Dei viui, non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus. Et vt hoc doceat in nobis agi non viribus noſtris, aut propter noſtram dignitatem, ſed mero Dei beneficio remittentis nobis peccata per Chriſtum, ac bonam inſuper voluntatem ingenerantis per fidem, ſubiungit: Fiduciam autem talem habemus per Chriſtum ad Deum, non quòd ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt, qui & idoneos nos fecit mini-

miniſtros noui teſtamenti, non litera, ſed ſpiritu. Litera enim occidit, ſpiritus autem viuificat. Quare Euangelium propriè eſt, non illa ſcriptura mortua, quam nobis Apoſtoli memoriæ cauſa reliquerunt (nam & eadem, ſi literam tantùm ſpectes, mortua eſt) ſed eſt viua illa doctrina, quæ menti noſtræ reconciliationem propter Chriſtum, hoc eſt, pacem erga Deum, inſuper bonam voluntatem ex Dei beneficio annunciat, nuntium ſanè longè optimum ac lætiſſimum. DOROTHEA.

Tu igitur hoc dicis, nouum teſtamentum ſeu Euangelium non propriè differre à veteri teſtamento ſeu lege, quòd vetus ſit teſtamentum illud quod in libris Moſis & prophetarum: nouum verò in quatuor Euangeliis & literis Apoſtolicis continetur.

THEOPHILVS.

Prorſus. Nam in libris veteris teſtamenti non tantùm lex, ſed Euangelium reperitur in promiſſionibus, de venturo Chriſto & futura in Chriſto gratia factis, quæ frequentiſſimæ ſunt in prophetis. Quo fit vt Euangelium non tantùm in noui teſtamenti libris: & viciſſim lex non tantùm in legalibus, ſed & Euangelicis ſcripturis reperiatur. Eſtque vnum & idem Euangelium, in quo omnes ſancti & pij ab initio mundi ſalutem adepti ſunt. Habuerunt enim patres eundem ſpiritum fidei nobiſcum, per quem ſunt ſeruati: quemadmodum Apoſtolus ait: Habentes autem eundem ſpiritum fidei, ſicut & illi: ſecundum quod ſcriptū eſt: Credidi propter quod locutus ſum: & nos credimus, propter quod & loquimur. Quod & Chriſtus teſtatur, cùm ait: Abraham pater veſter concupiuit videre diem meum: vidit, & gauiſus eſt. Sed hoc intereſt, quòd gratia, quæ in veteri teſtamento velata latitabat, in Chriſti Euangelio reuelata eſt, quemadmodum Apoſtolus ait: Nunc verò abſque lege iuſtitia Dei manifeſtata eſt, dum comprobatur teſtimonio legis ac prophetarum. Quòd ſi manifeſtata, ergo erat prius, licèt tecta. Rurſus ſi teſtimonio legis & prophetarum comprobata: ergo lex & prophetæ Euangelium obumbratum continent. Quare vt beneficium ſeu gratia Chriſti cognoſcatur, lex ab Euangelio re ipſa potius quā ſcriptura diſtinguenda eſt.

2. Cor. 4.

Ioan. 8.

Rom. 3.

Auguſt. epiſt. 95. de Pelagio ad Innocentiū.

Lex oſtendens infirmitatem prouocabat ad gratiam. Neque gratia Chriſti futuri, ad quam à lege confugeretur, in legis litera omnino præterita erat, ſed typis obũbrata. Idcirco pauci ad eam tunc latentem confugiebant, non quærentes in lege promiſſiones Dei, in quibus gratia conſiſtebat, ſed inhærentes literæ legis, ſe per legem iuſtificari, & ad iuſtificationem ſibi ſufficere liberum arbitrium exiſtimabant, iuſtitiam ſibi ex natura humana, donata gratia

Rom. 9.10. aſcribẽtes, ſicut de ipſis dictum eſt: Ignorantes Dei iuſti-

Luc. 24. tiam, & ſuam volentes conſtituere, legi Dei non ſunt ſubiecti. Sed reuelato Euangelio per Chriſtũ, cùm ille iuſſiſſet doceri pœnitentiam & remiſſionem peccatorum in nomine ipſius, gratia ſeruatoris per totum orbem illuxit, & non tantùm verbo prædicata, ſed & in cordibus fidelium digito Dei inſcripta eſt. Datus eſt ergo patribus ante Chriſti aduentum (exceptis paucis, iis ſcilicet, qui ſpiritu illuſtrati in promiſſiones reſpiciebant) ſpiritus timoris. Nobis autem datus eſt per reuelationem Euãgelij, & per Chriſtum iam exhibitum, & pro nobis paſſum, ſpiritus amoris. In ſumma, breuis eſt differentia legis & Euangelij, duobus nimirùm verbis comprehenſa, quæ, ſunt amor & timor: non quòd charitas non fuerit ad legis adimpletionem in lege requiſita, imò in ea conſiſtit omnis lex: ſed non præſtabatur ab illis, qui tantùm in legem reſpiciebant. Et proinde Iſraël in terroribus legem accepit, nimirùm ſpiritum ſeruitutis in timore: nos verò ſpiritum libertatis in gaudio cordis & animi, data ſcilicet per ſpiritum ſanctum in cordibus noſtris arrha gratiæ, qua certificamur nos eſſe filios Dei & cohæredes Chriſti, in qua clamamus, Abba pater.

DOROTHEA.

Sed expone, amabò, quamobrem nouum teſtamentum ſeu Euangelium appelletur lex ſpiritus, lex fidei, lex libertatis, iuſtitia Dei, ſeu iuſtitia ſpiritus.

THEOPHILVS.

Ex iis quæ dicta ſunt, intellectu facile eſt. Euangelium dicitur lex aut iuſtitia ſpiritus, quia hanc efficaciter ſpiritus gignit in nobis. Lex fidei, quia hæc reconciliatio & renouatio fide in Chriſtum accipiuntur, non autem debentur

bentur aut tribuuntur operibus noſtris externis,quæ legis appellantur.Lex libertatis, quia non ſolùm docet nos intus quid faciamus,ſed etiam voluntatem innouando liberat, vt iam non tanquam ſerua legis ex timore, ſed ſua ſponte ac liberè bonum operetur.In quam ſententiam dixit Apoſtolus:Non enim accepiſtis ſpiritum ſeruitutis iterum in timore,ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum Dei. Item Dominus ſpiritus eſt,vbi autem ſpiritus, ibi libertas. Et alibi ait, nos vocatos in libertatem, non vt libertatem in occaſionem carni demus, ſed vt per charitatem inuicem ſeruiamus. Nihil eſt igitur quòd fidem ſeu iuſtitiam fidei ab operibus fidei diſcernamus, ſed tantùm ab operibus legis,quæ fiunt in non renouatis ſine ſpiritu. Iuſtitia enim fidei aliud nihil eſt,quàm illa ipſa intus & in mente viuentia fidei opera: Nempe fidere de Dei miſericordia per Chriſtum, remiſsionem peccatorum propter Chriſtum per fidem apprehendere,accipere ac velle: item Deo voluntatem noſtram immutanti aſſentiri,audire quid in nobis loquatur Dominus Deus, hoc eſt, ab operibus noſtris ceſſare,& Dei ductibus ſummo conatu obſequi,& quicquid Deus in nobis facit,Deo tribuere. Quæ quidem opera cùm ſpiritus intus in nobis operatur, poſtea etiam prodeunt in externum opus, quod iuſtitiæ fidei internæ teſtimonium eſt.

Rom. 8. *2. Cor. 3.* *Gal. 8.* *Ambroſ. in epiſt. ad Rom. cap. 1. & cap. 3. in verbum iuſtitia.*

DOROTHEA.

In quo igitur libertas Chriſtiana conſiſtit?

THEOPHILVS.

In hoc potiſsimùm ſita eſt,vt qui gratia Chriſti Ieſu, & donatione ſpiritus ſancti à neceſſitate & coactione legis liberati ſumus,vltro ac liberè faciẽtes quæ lex moralis præcipit,ſciamus iuſtitiam noſtram (quæ ſpiritualis eſſe debet)ab externis obſeruationibus non pendere:Eas,ſicut propter retinendam & faciendam fidem infirmorum,& charitatem inſtitutæ ſunt, ita charitati cedere debere, atque etiam,ſi neceſsitas poſtulet,ſine peccato omitti poſſe: ita tamen ſi abſit ſcandalum & contemptus. Tunc enim ſemper plus illud valet, Miſericordiam volo, & non ſacrificium.

Luc. 6. *Mat. 12.*

DOROTHEA.

Quæ hactenus expoſuiſti, perbellè mihi intellexiſſe videor. Accede, vbi voles, ad primum Dei mandatum.

THEOPHILVS.

Exod.20. Ego ſum Deus tuus, qui eduxi te de terra Aegypti, & de domo ſeruitutis. Non habebis Deos alienos coram me: Non facies tibi ſculptile, neq; omnem ſimilitudinem, quæ eſt in cœlo deſuper, & quæ eſt in terra deorſum, nec eorum quæ ſunt in aquis ſub terra: non adorabis ea, neque coles. Ego enim ſum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, viſitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem, eorum qui oderunt me: faciens miſericordiam in millia iis qui diligunt me, & cuſtodiunt præcepta mea.

DOROTHEA.

Explica ſenſum verborum. Quid in hoc proœmio præſcribit Dominus?

THEOPHILVS.

In hoc exordio oſtendit maieſtatem & bonitatem ſuam, qui ſe Deum noſtrum, ſeruatorem, & liberatorem nuncupat, qui nos à peccatis & diaboli ſeruitute, atque damnatione liberat, & redimit, ſicut olim ab Aegypto Iſraelitas liberauit.

DOROTHEA.

Quid prohibet, dum ait: Non habebis Deos alienos coram me? Quid verò hiſce verbis à nobis exigit?

THEOPHILVS.

Vnus eſt certè nobis Deus in cœlo & in terra, ſolus omnipotens, æternus, & immutabilis. Quamuis autem ſint
1.Cor. 8. qui dicantur Dij vel Domini (hæc per participationem & quandam communicationem idiomatum dicimus) nobis tamen vnus eſt Deus, vt ait Apoſtolus, ex quo omnia & nos per illum, qui eſt vbique præſens: quem adorare & inuocare, in quo totam fiduciam collocare, cui denique omnia deferre, quæ ad eius maieſtatem pertinēt, ad quem etiam omni tempore confugere debemus, vt in quo certa
Mat.22. ſalus omniáque bona conſiſtant. Ac, vt paucis dicam, hoc præceptum à nobis requirit fidem, ſpem, charitatem, timorem, & obedientiam: vtq; animum ad illi optemperandum ac obſequendum omnino adiungamus, & Deum (ſicut exponit Chriſtus) diligamus ex toto corde, ex tota anima,

nima,ex tota mente,& ex omnibus viribus.

DOROTHEA.

Cur prohibet fieri ſculptile, & omnem ſimilitudinem? Prohibétne penitus ne vllæ pingantur aut ſculpantur imagines?

THEOPHILVS.

Minimè:at eas modò, quæ finguntur ad eius diuinitatem figurandam,eámque viſibili quadam ſpecie repræſentandam: aut in hunc finem, vt quoquo modo illis abutamur ad ſuperſtitionem & idololatriam.

DOROTHEA.

Cur non licet Deum viſibili figura exprimere?

THEOPHILVS.

Extat eius ipſius rei apud Moſem ratio: Memento(inquit)quòd Dominus tibi loquutus ſit in valle Horeb:vocem audiſti, corpus non vidiſti. Obſerua ergo teipſum, ne fortè deceptus facias tibi aliquam ſimilitudinem. Cui *Ioan. 1.* conſonat quod apud Ioannem legitur:Nemo Deum vidit vnquã. Eſaias quoque in hac demõſtratione plurimus eſt, *Eſa. 40.* vt doceat indecora & abſurda fictione fœdari Dei maie- *41. 45. &* ſtatem,dũ incorporeus materię corporeę,inuiſibilis viſibi *46.* li ſumulacro,ſpiritus rei inanimatæ, immenſus exiguo ligni,lapidis,vel auri fruſto aſſimilatur. Atque hanc eandem ratiocinationem vſurpabat Paulus apud Athenienſes: Ge- *Act. 7.* nus quum ſimus Dei,non debemus exiſtimare auro & argento aut lapidi arte ſculpto, & inuento hominis numen eſſe ſimile. Cùm igitur nihil ſit inter eum qui ſpiritus eſt æternus, & incomprehenſibilis, ac corpoream, corruptibilem, mortuam, viſibilémque figuram ſimile: ſtatuæ, quæ ad eum figurandum ac repræſentandum eriguntur, ſimpliciter illi diſplicent, ceu quędam maieſtatis ſuæ dehoneſtamenta. Nam propitiatorium, vnde præſentiam Deus ſuæ virtutis exerebat, ſic compoſitum erat, vt innueret optimum diuinitatis & incomprehenſibilis eſſentiæ aſpectum hunc eſſe, dum animi ſupra ſe admiratione efferuntur. Cherubim ſiquidem aliis ipſum operiebant, velum obtegebat, locus ipſe procul reconditus ſatis per ſe occulebat: nihílque aliud indicabant imagunculæ illæ, niſi imagines repræſentandis Dei

myſteriis non eſſe idoneas, quando in hoc formatæ erant, vt alis obuelantes propitiatorium, oculi humani teneritatem à Dei contemplatione coercerēt. Huc accedit, quòd prophetæ Seraphim ſibi in viſione oſtenſos, velata nobis facie pingunt & velatis pedibus: quo ſignificant tantum eſſe diuinæ gloriæ fulgorem, vt angeli quoque ipſi à recto eius intuitu prohibeantur, & tenues eius ſcintillæ, quæ in angelis emicant, ab oculis noſtris ſint ſubductæ.

DOROTHEA.

Quid de adoratione ſentis?

THEOPHILVS.

Deum aio vetare, ne religionis ergò imagines vllas adoremus, quo mòdo Ethnici coram idolis ſuis procumbebant & curuabantur, corporíſque geſtu quaſi ſentientibus adulabantur, maxima cordis affectione iis ipſis ſeruientes, quòd diuinitatem ineſſe illis exiſtimarent, qua vota hominum præſentirent, quáque præſtare ſalutaria, & auertere noxia valerent.

DOROTHEA.

Túne docere poſſis, non quamlibet picturam aut ſculpturam hoc præcepto generatim vetari?

THEOPHILVS.

Si mordicus tueri velimus omnem ſimilitudinem atque omne ſculptile damnari, velimus nolimus, cogemur fateri ipſum etiam Moſem huius legis promulgatorem idololatram fuiſſe, atque adeò Deum alibi idololatriam (quod piæ aures abhorrent) præcepiſſe: quod Moſes ex præſcripto Dei duos Cherubim aureos poſuerit in tabernaculo in ſummis propitiatorij partibus, quemadmodum Exodi cap. 25. legitur. In vaſis quoque templi quod extruxit Salomon, erant boum, leonum, & Cherubim ſculptiles imagines. Rurſus ſecundi Paralipomenon tertio capite ſculpuntur Cherubim in parietibus. In mitra quoque pontificis erat imago lunæ: in veſte verò, malorum punicorum ſimulacra. Vnde conſectarium eſt non ſimpliciter interdictum omne genus imaginum, ſed tantùm nefandum vſum, qui ſcilicet in iis adorandis & colendis cernitur.

3.Reg.6.7.

DOROTHEA.

Quam-

Quamobrem ergo acerbius prophetæ omnes inuehuntur in ſimulacra, ipſeque Deus ſeuera comminatione Iudæis illorum vſu interdicit?

THEOPHILVS.

Quia ſcilicet ea gens per ſe mirabiliter ad idololatriam procliuis pronáque erat, cùm idolorum cultus vſquequaq; vigeret. Vnde periculum erat, ne ſi habere imagines ipſis conceſſum eſſet, finitimorum exemplo ad colendas eas & adorandas inuitarentur.

DOROTHEA.

Cùm Deus tantopere abominetur & exhorreat eos qui gloriam immortalis Dei mutauerunt, per imaginem, non ſolùm ad mortalis hominis ſimilitudinem effictam, verùm etiam volatilium, & quadrupedum & reptiliũ: veritatémque eius commutarunt mendacio, & venerati ſunt, coluerúntque ea quæ condita ſunt, ſupra eum qui condidit: quî fit vt in Chriſtianorum templis imagines & ſtatuæ collocentur? *Rom. 1.*

THEOPHILVS.

Non inuectæ ſunt in baſilicas & ſacras ædes, vt quiſquam eas adoret ac colat: ſed adhibentur ad excitandam modò rerum in ſanctis à Deo geſtarum recordationem, ſanctarúmque hiſtoriarum & memoriam & notitiam tuendam ac conſeruandam, ne obliuioni tradantur. Adhæc vt animos noſtros inflamment ad imitandam ſanctorum fidem, charitatem, aliáſque eximias eorum virtutes: quandoquidem dum excellentium virorum imagines intuemur vehemẽtiſſimè nobis animus ad virtutem accenditur, non quòd cera illa aut figura tantam vim in ſeſe habeat, ſed quia memoriâ rerum geſtarum ea flamma egregiis viris in pectore creſcat, neque prius ſedetur, quàm virtus eorum famam atque gloriam adæquauerit: vt interim taceam quòd hoc idiotis pictura præſtat cernentibus, quod legentibus ſcriptura: in ipſa enim ignorantes etiam vidẽt non ſecus ac in libro, quid ſequi debeant: qui literas neſciunt, per eam admonentur, quid adorare, colere, venerari & imitari oporteat. Non igitur alius eſt imaginum quàm librorum vſus, ad excitandam & promouendam in eccleſia pietatem valde vtilis. In codice quis contemplatur has *Gregor. lib. 9. epiſt. 9.*

literas, *Ieſus inter duos latrones crucifixus eſt*, & ſtatim recordatur immenſam Ieſu ſeruatoris noſtri in nos charitatem, qua pro redimendis nobis, acerbiſſima & turpiſsima morte condemnari ſuſtinuit. Quid aliud diſcit aut recordatur, qui crucifixi Domini imaginem, inter duas latronum effigies, mediam ſuſpenſam intuetur? Codicem oculis perluſtrans, cùm ad venerabile & tremendum nomen Ieſu deuenerit, caput aperit, inclinatur, & ſuſpirans in cœlum oculos attollit: & ob id omni reprehenſione & idololatriæ ſuſpicione caret. Siquidem non literas quæ vili atramento pinguntur, ſic honorat: ſed cogitatione & veneratione mentis ſuæ, ad eum honorandum & adorandum rapitur, cuius memoriam hæ literæ ei ſuggerunt. Superſtitionis ergo aut idololatriæ non poteſt reus peragi, qui ante imaginem crucifixi Domini caput aperit, aut ſucciduo procumbens genu adorat, cùm nequaquam imaginem putet adorandam: ſed eum in corde veneretur & adoret, quem pro ſe natum, paſſum, ad vitam reuocatum, & à dextris Dei ſedentem, per imaginem recordetur. Non honorat imaginem tanquam Chriſtum, neque Deum in imagine adorat, perinde ac ſi illic habitaret inconſpicua diuinitas, neque vllum ei diuinum cultum offert, aliquid in ipſa collocans fiduciæ, ſed per imaginem admonitus cogitatione in cœlum ſubuehitur, vbi Deum viuentem & æternum adorat, & per Ieſum Chriſtum filium eius dilectiſſimum in ſpiritu & veritate deprecatur, & orat. Id quod ex decreto ſeptimæ ſynodi intelligi poteſt. Sic autem loquitur: Venerabiles imagines Chriſtiani non Deos appellant, neque ſeruiunt eis vt Diis, neque ſpem ſalutis ponunt in iis, neque ab iis ſperant futurum iudicium: ſed ad memoriam, & recordationem prototyporum venerantur eas.

De conſecr. diſt. 3. ca. venerabiles.

DOROTHEA.

Enimuerò ſi Deum velle viſibilibus ſignis exprimere prorſus illi diſplicet, vt abunde teſtatur Ieremias, quum lignum doctrinam eſſe vanitatis pronunciat: atque Habacuc, cùm docet conflatile eſſe demonſtrationem mendacij, non video quî fas eſſe queat erigere ſtatuas, nôn dico vt adorentur: ſed vt hoc modo in Dei cognitionem

Ierem. 10. *Haba. 2.*

nem rudiores veniant,ſintque libri idiotarum imagines.

THEOPHILVS.

Eos prophetæ reprehendunt,qui ſimulacris ad impiam ſuperſtitionem abutebantur,Deúmque ex iis ſe noſſe poſſe putabant:id quod nihil eſt aliud,quàm gloriam diuinitatis incomprehenſibilem,infigurabilem & inuiſibilem vilipendere. Eámque ob cauſam non ita frequens fuit imaginum vſus in veteri teſtamento. Poſteà verò quàm Deus pro ſumma ſua miſericordia,verè pro ſalute noſtra homo factus eſt,non quemadmodum Abrahamo, ſed ſpecie humana viſus eſt, nec quemadmodum prophetis, ſed re ipſa ac verè homo,& in terra fuit,verſatúſque eſt cum hominibus, miracula edidit, perpeſſus eſt mortem,in crucem actus eſt, excitatus eſt ab inferis, aſcendit in cœlum,atque hæc omnia verè facta ſunt,viſúſque eſt ab hominibus,hæc quidem ſcripta ſunt, memoriæque noſtræ cauſa,qui tum non affuimus, vt qui minimè vidiſſemus,audiuiſſemus autem ac credidiſſemus, beatitudinem Chriſti adipiſceremur.Quoniam autem non omnes ſciunt literas, nec lectioni vacant,idolorum cultu tandem per Chriſtum ſubuerſo deletóque, ac per Euangelij prædicationem ex orbe penitus profligato, religione etiam bene ſtabilita confirmatáque, placuit patribus hæc quaſi trophæa quædam in imaginibus deſcribi atque depingi memoriæ compendiariæ gratia. Atque adeò vniuerſa eccleſia à ſpiritu veritatis edocta non ſolùm ſine idololatrię metu,verùm etiam cum ſanctitatis & pietatis eximiæ fructu, imagines Ieſu Chriſti crucifixi,virginis matris, prophetarum,Apoſtolorum,martyrum,aliorúmq; Deo dilectorum ſanctorum in chriſtianis templis retineri poſſe ſtatuit.Primi autem omnium qui imagines reiecerunt ac pro nihilo habuere,fuerunt (quemadmodum in actionibus ſeptimi vniuerſalis concilij in Nicea Bithyniæ contra Iconoclaſtas celebrati ſcriptum reperimus) Manichæi,Marcionitæ, & alij hæretici,qui fateri nolebant duplicem in Chriſto naturam, videlicet ne vniuerſali vſu imaginum in eccleſia conuincerentur, eius quod Chriſtus dominus, verus & ſenſibilis homo, nobis ſecundum carnem & membra ſimilis per omnia fuerit.

DOROTHEA.

Atqui iis fauere videntur patres, qui Elibertino concilio interfuerunt. Huius enim hoc eſt triceſimum ſextum caput: Placuit in templis non haberi picturas: ne quod colitur vel adoratur, in parietibus pingatur. Nec aliter ſentit Auguſtinus, qui ſecurè pronunciat, nefas eſſe non modò adorare ſimulacra, ſed Deo collocare: confirmátque ex Varrone eos, qui primi Deorum ſimulacra induxerunt, errorem auxiſſe, & metum Dei diminuiſſe hominibus: quòd ſcilicet facilè poſsit eius numen in ſimulacrorum ſtultitia, ineptóque & abſurdo figmento contemni. Quantum autem in ea re periculi ſubſit, idem claris verbis teſtatur. Quum his ſedibus locantur (inquit) honorabili ſublimitate vt à precantibus atque immolantibus attendantur: ipſa ſimilitudine animatorũ mẽbrorũ atque ſenſuum, quamuis ſenſu & anima careãt, afficiunt infirmos animos vt viuere ac ſpirare videantur. Et alibi: Plus valent ſimulacra ad curuandam infœlicem animam, quòd os, oculos, aures, pedes habent, quàm ad corrigendam, quòd non loquuntur, neque vident, neque audiunt, neque ambulant. Atque hæc ſanè videtur cauſa eſſe, cur Ioannes non tantùm à ſimulacrorum cultu, sed ipſis quoque ſimulacris cauere nos voluerit.

Lib. 4. de ciuit. Dei cap. 9. & 31

Auguſt. epiſt. 49.

In Pſal. 113

1. Ioan. 5.

THEOPHILVS.

Nouemdecim illi epiſcopi, qui Elibertino concilio interfuere, dum picturas in templis haberi noluerunt, habuerunt rationem ſui temporis, quo quidem populus Chriſtianus circumcirca ab idololatris & gentibus obſidebatur. Itaque veriti, ne ſi in baſilicis picturæ permitterentur, vt procliue eſt hominum ingenium à verò Dei cultu ad ſuperſtitionem, in idololatriam tandem relaberentur qui nondum animis Chriſtianam pietatem ſatis imbiberant, imbecilles fide & humanis affectibus indulgentes, τῆς εἰδωλολατρείας odio eiuſmodi legem ſanxerunt. Sed proſtrato deiectóque idolorum cultu, prouincialis illius concilij decretum ſimul antiquatum eſt & inductum. Quod autem ad Diuum Auguſtinum attinet, deteſtatur ſuperioribus verbis ſimulacrorum vanitatem, quibus gentiles Deum figurãtes quod de Deo ſciendum eſt, inde ſe diſcere poſſe

poſſe credebant: aliudq́ue nihil vult quàm indignas eſſe Dei maieſtate corporeas imagines. Cùm enim Deus ſub oculorum ſenſum non cadat, corporíſque ſit expers, nec circunſcribi comprehendíque vlla figura poſsit, quis quæſo eius ſimulacrum efficere queat? Meritò igitur ſummæ impietatis amentiæq́ue eſſe putat diuinitatem figura formáque vlla delineare velle, & coram mutis ſimulacris proſterni, vt ab iis quod vtile ac ſalutare ſit impetretur. Sed cùm nunquam ſenſerit vir & doctiſsimus & ſanctiſſimus, Chriſtianos, etſi Diuis ſuis picturas & ſtatuas dicãt, opinari Deum in imaginibus vim ſuam exerere, de iis ſanè loqui minimè putandus eſt. Neque enim, dum prouoluti ad pedes imaginis, quæ Chriſtum cruci affixum adumbrat, precamur, ſic afficimur intuentes ſimulacrum, vt ab eo vel exaudiri nos putemus, vel nobis præſtari quod deſideramus, ſperemus: ſed in Chriſtum vnum, qui dexter patri in cœlo aſsidet, ſpem fiduciámque omnem coniicimus, ab eo ſolo auxilium ſalutémque expectantes.

DOROTHEA.

Si vera ſunt quæ dicis, cur Epiphanius Salaminæ Cypri epiſcopus, in epiſtola quam ad Ioannem Hieroſolymorum epiſcopum ſcripſit, affirmat ſe ſcidiſſe velum in foribus templi pendens, in quo imago quaſi Chriſti vel ſancti cuiuſdam depicta erat, quia hoc eſſet contra authoritatem ſcripturarum: monétque ne in eccleſia Chriſti iſtiuſmodi vela, quæ contra religionem noſtram veniunt, appendantur?

THEOPHILVS.

Mirum eſt profectò id in ea epiſtola legi, cùm in libro quem edidit aduerſus hæreſes omneis, gentiles & Iudaicas, quotquot item poſt Chriſtianiſmum ſuſceptum inuectæ ſunt, nullum de imaginibus ſermonem habeat. Nam mihi non ſit veriſimile, ſi imagines vir ille ſanctus à Chriſti religione alienas exiſtimaſſet, quin hanc ſugilaſſet hæreſim. Itaque licèt Diuus Hieronymus Latinæ conſuetudini epiſtolam illam tradiderit, in odium ſcilicet Ioannis & Ruffini, ſuppoſititiam tamen eſſe ſuſpicor. Atque vt illius eſſe demus, non propterea

tamen eius authoritas tanti nobis hac in re eſſe debet, vt ſanctiſſimos omnes, qui eodem tempore floruerunt, epiſcopos, à quibus religiosè imaginum ſuſcepta eſt veneratio, impietatis & idololatriæ damnemus. Quòd ſi ille in hac fortè ſententia fuit, eóque ſcripturas torſit: ob idololatriæ periculum, quod impendere tum arbitrabatur, id fecisse exiſtimandus eſt, quia in medio Ethnicorum cōuentu populus Chriſtianus adhuc verſaretur. Nunc autem depulſis ex orbe Chriſtiano Euangelica luce ſimulacrorum cultus tenebris, nihil tale metuendum eſt.

DOROTHEA.

Gal. 3. Sed cùm Chriſtum vera Euangelij prædicatione depingi & quodam modo crucifigi ob oculos noſtros teſtetur Paulus, quorſum attinet tot paſſim in templis cruces erigi ligneas, lapideas, argenteas, & aureas?

THEOPHILVS.

Quanto pluribus modis diſcere licet Chriſtum eſſe mortuum, vt in cruce maledictionem noſtram ſuſtineret, peccata noſtra expiaret corporis ſui ſacrificio, ſanguinéque ablueret, nos denique reconciliaret Deo patri, tanto altius ea cognitio mentibus noſtris inhæret, eſtque eius memoria tenacior. Quòd ſi Euangelij prædicatio non faciat, vt ſacræ ſcripturæ libri aboleri debeant, non poterit etiam neq; debebit facere eadem vt imagines è Chriſtianiſmo exterminentur. Nam veriſſimum eſt quod confirmat Damaſcenus, ſæpe cùm de Domini perpeſſione per negligentiam minimè cogitamus, Chriſti in crucem acti viſa imagine, venit nobis in mentem perpeſſionis ſeruatoris, ac ſic accidentes, adoramus non materiem quidem, ſed id quod effictum atque expreſſum eſt, quemadmodum nec materiem Euangelij, nec crucis materiem adoramus, ſed id quod iis expreſſum eſt. Quid enim differt crux quæ non habet Domini imaginem, ab ea quę habet? Quòd fit in Dei matre eodem modo. Ea enim veneratio, quę ei tribuitur, ad eum qui carnē ab illa ſumpſit refertur: itémque ſanctorum virorum virtutes nos & ad virtutis eorum imitationem, & Dei gloriam impellunt. Nam con ſeruorum in bonos veneratio & obſeruantia beneuolentiam in communem Dominum indicat, eáque veneratio,

Damaſce. lib. 4. orthodo. fidei, capi. 17.

quæ

quæ ſimulacro imaginíque tribuitur, ad prototypum pertinet. Quamobrem patres, qui ſexto generali concilio, quod Conſtantinopoli in Trullo Imperatore Iuſtiniano celebratum fuit, interfuerunt, communi conſenſu definierunt, piam eſſe, ac Chriſtianam conſuetudinem, qua imago agni Dei, quem Ioannes Baptiſta digito monſtrauit, in templis retinetur, quòd eius admonitu recordemur Chriſtum Ieſum Deum noſtrum, ſecundum humanitatem fuiſſe verum illum agnum, qui deleuit peccata mundi. Itaque ſtatuerunt, vt in baſilicis, veteris agni Iudæorum loco, Chriſti imago ſtatuáque ſpecie humana erigeretur, nec ſolùm ſpecie humana qualibet, ſed ea etiam, quæ nobis perpeſſionis mortíſque eius memoriam ſuggerat, & renouet. Huius decreti hæc ferè verba ſunt: In quibuſdam imaginum, quę veneratione dignæ ſunt, picturis, agnus, qui præcurſoris digito monſtratur, exprimitur, qui gratiæ ſignificandæ cauſa aſſumptus, verum nobis agnum Chriſtum Deum noſtrum lege demonſtrat. Itaque veteres figuras, & vmbras, vt veritatis ſigna, & prædicationes, eccleſię traditas, retinentes, gratiam veneramur, approbatáque hac veritate vt legis expletione, tanquam perfectio, & conſummatio colorum etiam picturis, omnium oculis ſubiiciatur. Nos agni huius, qui tollit peccatũ, Chriſti Dei noſtri, figura ſpeciéque humana, etiam imagines ex hoc tempore veteris agni loco erigi ſtatuíque volumus ac definimus, quòd ex eo verbi Dei abiectionem humilitatémque intelligamus, & in commemorationem eius vitæ, quam in carne aſſumpta egit, paſſioníſque ipſius & mortis ſalutaris, eiúſque redemptionis, quæ inde extitit, quaſi manu ducamur. Ex quo quidem capite hoc perſpici licet, decretum concilij Elibertini (quod prouinciale fuit) de picturis & imaginibus, abrogatum eſſe & prorſus obliteratum. Id quod aſſeuero, ne tibi perſuadeas, quod tunc illis patribus placuit, vniuerſæ eccleſiæ probatũ eſſe. Aliter enim rem habere conſtat ex antiquiſſimorum doctorum monumentis, quales inter alios ſunt, Athanaſius, Euſebius, Baſilius magnus, Gregorius Niſſenus, Gregorius Theologus, Cyrillus, Nilus, Anaſtaſius, Chryſoſtomus, Ambroſius, & Hieronymus. Ac Euſebius quidẽ nõ ſolùm *Lib. hiſt. eccle. cap. 14.*

ſtatuam Chriſti ex ære factam ſcribit Cæſareæ Paleſtinæ, verùm etiam illius miracula. Nec ſolùm Chriſti imaginē gentibus effictam eſſe tradit, verùm etiam Petri & Pauli Apoſtolorum,& ipſius Chriſti imagines ſuis temporibus (claruit autem circiter annum ſalutis cccxx.) & antiquas eorundem conſeruatas à quibuſdam ſe vidiſſe teſtatur. Verba eius hæc ſunt: Sed quoniam vrbis huius mentionē feci,nō alienum erit id cōmemorare,quod cognitione eſt digniſſimum.Illud quidem conſtat, mulierem eam quam profluuio ſanguinis laborantem à ſeruatore curatā Euangelia tradiderunt, huius vrbis ciuem fuiſſe. Pro foribus autem domus eius,quæ nunc etiam oſtenditur,baſis quædam in loco editiore collocata monſtratur, in qua mulieris ipſius genibus prouolutæ manúſque ſupplices tendentis imago ex ære ſtatuta eſt. Erecta eſt etiam altera ex ære ſtatua ornatu habitúq; viri veſte clara amicti, ac dextram mulieri porrigentis.Ad pedes huius ſtatuæ è baſi herba quædam noua mirandáque ſpecie naſcitur,quæ orta,ad veſtis oram ſolet creſcendo peruenire, quam cùm herba creſcens ſummo vertice contigerit, vim inde ad depellendos morbos omnis generis tantam conſequitur,vt nullius ſit morbus tam grauis, qui non illius ſalutaris herbæ potione depellatur, cùm vim nullā omnino habeat, ſi, antequam ſummam oram veſtimenti creſcendo contigerit,decerpatur.Hanc quidem ſtatuam ad oris Chriſti ſimilitudinem effictam eſſe tradunt,eáque ad noſtra tēpora permāſit,quēadmodum oculis noſtris vidimus. Nec mirum videri debet, ſi ij qui ex gentibus crediderant, pro beneficiis, quæ à Chriſto acceperant, tale munus offerre videbantur, cùm videamus etiam nunc & Petri Paulíque Apoſtolorū, & ipſius ſeruatoris imagines delineari atq; in tabulis pingi. Quinetiam veteres eorum imagines à quibuſdam conſeruatas vidimus.Atque hæc quidem Euſebius: ex quibus facilè intelligi poteſt, & mulierem illam,quandiu vixerit, imagini Chriſti plurimum honoris venerationíſque tribuiſſe,& ſtatuarum imaginúmque vſum Chriſti etiam tēporibus ortum habuiſſe eiuſmodi, vt miracula hoc Chriſto officium gratum eſſe declararent. Ad hanc etiam rem comprobandam valet, id quod Sozomenes de eiuſdem

Lib. de trip. hiſto.

Chri-

Chriſti imagine & ſtatua narrat, de Iuliano imperatore loquens. Cùm (inquit) in vrbe Cæſarea Phœnicum, quam Paueam vocant, inſigne Chriſti ſimulacrum, quod mulier ſanguinis profluuio liberata collocaſſet, eſſe cognouiſſet, eo deiecto ac ſublato ſuam ibi ſtatuam ſtatuit, quę vi ignis qui de cœlo cecidit ad pectus diuiſa eſt, & caput cum ceruice vna parte deiectum atque in terra defixum: reliqua verò pars adhuc permanſit, quæ fulminis ictum integrum ſeruat. Chriſti verò ſtatuam tum quidem prophani homines, & à religione noſtra abhorrentes trahentes fregerũt: quam poſteà Chriſtiani colligentes in templum reportarunt, ibíque nunc quoque ſeruatur. Hæc Sozomenes. Iam audiamus quid hac de re ſanctus Nilus ſentiat. Is proconſuli Olimpiodoro (qui ab eo ſciſcitatus fuerat, quomodo templum, quod inſtituerat ædificare, imaginibus ornare deberet) reſcripſit, ſanctæ Crucis imaginem locandam ad orientem (intellige in altari, quod orientem verſus ſtatuebatur) propterea quòd paſſione Domini noſtri Ieſu Chriſti, per vnicum & ſalutiferum Crucis lignum totum genus humanum liberatum ſit: & idcirco per hanc deſperabundis vndique ſpes ſalutis annuncietur. Verùm hinc inde parietes replendos doctiſſimi pictoris opera noui & veteris teſtamenti hiſtoriis, quò ſcilicet hi, qui literas nõ norunt, neque ſacram ſcripturam legere queunt, contemplatione picturæ in memoriam reducant, quinam fortiter, vero illi Deo, per virilia facta ſeruierunt, atque in certamen excitẽtur glorioſorum & laudatorũ facinorum, per quæ terram cœlo commutarunt. Hæc ille: Veniamus ad Baſilium magnum: Quemadmodum (inquit) à Deo Chriſtianam & inculpabilem noſtram fidem, veluti hæreditario iure accepimus, ſic confiteor, & in eo maneo. Credo autem in vnum Deum patrem omnipotentem, Deum patrem, Deum filium, Deum Spiritum ſanctũ. Vnum Deum hæc tria adoro & glorifico. Confiteor etiam filij incarnatã οἰκονομίαν: deinde ſanctam Mariam, quæ ſecundum carnem illum peperit, hanc Deiparam vocãs. Suſpicio etiam & veneror ſanctos Apoſtolos, prophetas, & martyres, qui pro me apud Deum ſupplicant, quò per illorum conciliationem propitius ſit Deus noſter benigniſſimus, & remiſſionem pecca-

Epi. in Iulianum deſertorem.

torum mihi gratis largiatur. Quam ob cauſam & hiſtorias imaginum illorum honoro, & palàm adoro. Hoc enim nobis à ſanctis Apoſtolis traditum, non eſt prohibendum: ſed in omnibus eccleſiis noſtris eorum hiſtorias erigimus. Hactenus Baſilius, à cuius ſententia non multum abeſt illud Gregorij ſecundi: Eccleſiæ capita & columnæ imagines permiſerunt, quò forma Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſecundum humanitatem omnium oculis proponeretur, per quam humilitatis Dei altitudinem noſceremus & diſpoſitionem illius incarnationis, ſanctæ conuerſationis, ſanctæ mortis, reſurrectionis quoque & aſcenſionis in cœlum in memoriam reduceremus. Si enim res iſtæ nondum contigerunt, per picturam non ſignificentur: Sin autem cuncta facta ſunt, magnúmque hoc pietatis myſterium eſt: vtinam fieri poſſit, vt & cœlum, & terra, & aqua, & quicquid in iis eſt, ſiue per voces, ſiue per colores, ſiue per picturas omnibus ea poſſet narrare. Finem faciã, ſi Gregorium pontificem maximum in medium antè protulero, qui anno ferè milleſimo fuit. Is ad Serenũ Maſſilienſem epiſcopum ſcribẽs: Perlatum ſiquidem ad nos (inquit) fuerat, quòd incõſiderato zelo ſuccenſus ſanctorum imagines, ſub hac quaſi excuſatione, ne adorari debuiſſent, confregeris. Et quidem quia eas adorari vetuiſſes, omnino laudauimus, fregiſſe verò reprehendimus. Dic frater, à quo factum ſacerdote aliquando auditum eſt, quod feciſti? Si non aliud, vel illud te non debuit reuocare, vt deſpectis aliis fratribus, ſolum te ſanctum & ſapientem eſſe crederes? Aliud eſt enim picturam adorare, aliud per picturæ hiſtoriam, quid ſit adorandum addiſcere. Et paucis verbis interiectis. Frangi verò non debuit, quod non ad adorandum in eccleſiis, ſed ad inſtruendas ſolummodò mentes neſcientium fuit collocatum. Deinceps antiquum hoc inſtitutum morémque dicit his verbis: Et quia in locis venerabilibus ſanctorum depingi hiſtorias, non ſine ratione vetuſtas admiſit, ſi zelum diſcretione condiiſſes, ſine dubio & ea quæ intendebas, ſalubriter obtinere, & collectum gregem non diſpergere, ſed potius diſperſum poteras congregare, vt paſtoris intemeratum nomen excelleret, non culpa diſperſoris incumberet. Hinc autem

Epiſto. 9. lib. 9.

dum

dum in hoc animi tui incautè nimis motus exequeris, ita tuos ſcandalizaſſe filios perhiberis, vt maxima eorũ pars à tua communione ſe ſuſpenderit.

DOROTHEA.

Ex iis quæ hactenus recitaſti, cognoſco morem ſtatuendarum in Chriſtianis templis imaginum antiquiſsimum eſſe,& finem apprimè pium,ac ſalutarem.Sed quid dicas ſi inter eiuſdem diui ſimulacra tantum diſcrimen ſtatuatur, vt altero præterito, aut vulgariter honorato, alterũ omni ſolemni honore homines proſequantur, & in viſendis ſimulacris, quorum ſimilia domi ſuæ habeant,votiuis peregrinationibus ſe fatigent?

THEOPHILVS.

Si ſatis ad ea quæ ſuprà dicta ſunt animum attendiſti, vni Deo, non creaturis, fidendum: eum ſolum eſſe propugnatorem defenſorémque noſtrum:& ad eum tanquam ad arcem munitiſsimam confugiendum: intelligere potes eccleſiam Dei ſemper docuiſſe nullam in imaginibus fiduciam eſſe collocandam, nihil iis diuinitatis tribuendum, nullam denique ſpem ſalutis, aut auxilij in iis reponendam: ſed eas tantùm habendas ad memoriam, & recordationem, veluti quædam trophæa rerum diuinitus geſtarum, eíque honorem deferendum quod imagine repręſentatur,non autem ipſi materiæ.Id quod teſtatur diuus Ambroſius de morte Theodoſij loquens: Helena(inquit) inuenit titulum: Regem adorauit, non lignum vtique (quia hic gentilis eſt error, & vanitas impiorum)ſed adorauit illum, qui pependit in ligno ſcriptus in titulo. Quare affirmare non verebor cum Ioanne Gerſono eximiæ erudi‹t›ionis viro, eum à crimine idololatriæ vindicari non poſſe, qui imaginem aliquam ſibi ad adorandum elegerit, idque vel ob pulchritudinem, vel deformitatem, vel nouitatem, vel vetuſtatem, credentem hanc aliquid præ cæteris habere virtutis, aut etiam numinis ſiue diuinitatis. Quòd ſi quiſpiam hoc ingenio præditus reperiatur (quem maximè omnium rudem & ſtolidum eſſe oportet) error non eſt eccleſiæ, quæ iſtud nunquam neque docuit, neque probauit, ſed priuatorum hominum. Itaque reprehendi non meretur. Sed nec

Tomo 3.

Ioan.Gerſ. in opere tripart.

Auguſt. cōtra Fauſt. communis eccleſiæ diſciplina ex infirmorum errore æſtimanda eſt. Si quidem cum eccleſia vix vllo tempore tam fœliciter actum eſt, vt in vſu rudium & infirmorum hominum non multa inuenirentur, quæ ſana doctrina meritò reprehenderet.

DOROTHEA.

Adhuc de legitimo imaginum vſu verba feciſti: at nihil de abſurditate quæ nonnullis in locis cernitur, dicis, nec de effrenata pictorum licētia & ſculptorum, quæ vſque eo proceſsit, vt quidam iam aduerſus eccleſiam Dei plus ſatis animati, inde occaſionem arripuerint docendi picturas atque ſtatuas eſſe perditiſſimi luxus & obſcœnitatis exemplaria, ad quæ ſi quis formare ſe velit, ſit fuſtuario dignus.

THEOPHILVS.

Ea profectò res planè eſt aliena ab eccleſiæ doctrina, vt facilè intelligi poteſt ex centeſimo ſextæ generalis ſynodi decreto, cuius hæc verba ſunt: Facilè ſenſus corporei quæ ſua ſunt in animum deriuant. Picturas igitur oculorum prçſtigiatrices ſiue in tabulis ſiue aliter propoſitas, & mentis corruptrices, & ſufflāmationum ad turpes voluptates incitatrices, ſancimus nullatenus in poſterum pingi. Quod idem ne fiat, grauiſſima cenſura prohibetur in ſeptimo generali concilio. Actione ſiquidem quarta à ſanctis epiſcopis decernitur, ne templa nugacibus & vanis picturis ornentur, ſed hiſtoriis veteris & noui teſtamenti baſilicarum parietes repleantur.

DOROTHEA.

Nonnulli repudiant ſeptimum hoc concilium, quod libens crebris vſurpas ſermonibus, ac pro nihilo ducunt, idq́ue occaſione refutatorij cuiuſdam libri, qui ſub Caroli magni nomine extat compoſitus eodem ferè (vt aiunt) tempore. Ac in eo quidem epiſcoporum ſententiæ, qui concilio interfuerunt, ſigillatim recitantur, & argumenta quibus pugnarunt, quæ (ſi ipſis fidē adhibemus) adeò putida ſunt & infirma, vt nō alia ratione magis omni ſe exarmare potuerint authoritate, quàm vel tam pueriliter tractando, vel tam impiè lacerando ſcripturas.

THEOPHILVS.

Si in

Si in eo libro ſententiæ occurrãt quæ à grauitate Chriſtiana abhorreant,aut alioqui pœnitendæ inſulſitates,non debet excipi tanquam vera complectens:imo probabilius eſt ab hoſtibus eccleſiæ catholicę in veritatis odium ſcriptũ eſſe & obtruſum, quàm ab aliquo orthodoxo aut purè Chriſtiano homine.Proinde maior eſt habẽda fides actionibus ipſius ſynodi,ac mens figenda magis actionibus in diſputatione Gregorij, qui ab Iconomachis ſtabat,& confutatoria Epiphanij reſponſione, qui eccleſiæ Chriſti cauſam tuebatur,quàm fides ſequenda libri, cuius author neſcitur.

DOROTHEA.

Vt toti huic capiti finis tandẽ imponatur,audire velim ſententiã,quã ſuper imaginũ vſu patres in hoc concilio tulerunt.Eam enim amplexatura ſum vt veritatem à ſpiritu ſancto,qui eccleſiam Dei æternùm regit,declaratam.

THEOPHILVS.

Eiuſmodi illa quidẽ eſt: Fatemur vnanimiter nos eccleſiaſticas traditiones,ſiue ſcripto,ſiue conſuetudine valẽtes & decretas retinere velle: quarum in numero eſt imaginũ figuratio,vt quæ hiſtoriæ Euãgelicæ promiſſionis conſentiat,ad fidem faciendam veræ ac non phantaſticæ incarnationi Dei,& ad vtilitatem ſimilitudinis quã nobis exhibet vtiliter inuenta.Cùm hæc ita ſe habeant,regiam viam incedentes & ſanctorum noſtrorũ & diuinorum patrũ doctrinæ inſiſtentes,& catholicæ eccleſiæ,in qua ſpiritus ſanctus inhabitat,traditionem obſeruantes, definimus cum omni diligentia & cura,venerandas & ſanctas imagines ad modum & formã venerandæ & viuificantis crucis è coloribus & teſſellis aut alia quauis materia commodè paratas dedicandas,in tẽplis ſanctis Dei collocãdas habendáſque,tum in ſacris vaſis & veſtibus,tum in parietibus& tabulis,in ædibus priuatis,in viis publicis:maximè autem imaginẽ Domini & Dei ſeruatoris noſtri Ieſu Chriſti: deinde intemeratæ Dominæ noſtræ Deiparæ, venerandorũ Angelorũ,& omniũ deinde ſanctorũ virorũ:quòd ſcilicet per hancimaginũ pictarũ inſpectionem omnes qui contẽplantur,ad ꝓtotyporum memoriã & recordationẽ & deſideriũ veniãt, illíſque ſalutationẽ & honorariam adorationẽ exhibeant, non tamen ſecundum fidem noſtram veram latriam, quæ

ſolùm diuinæ naturæ competit, ſed quemadmodum typo venerandæ & viuificantis crucis, & ſanctis Euangeliis, & reliquis ſacris oblationibus ſuffitorum & luminarium honorem reuerenter accendimus, quemadmodum veteribus piè hoc in conſuetudinem adductum eſt. Imaginis enim honor in prototypum redundat, & qui adorat imaginem, in ea quoque adorat deſcriptum argumentum. Sic enim ſanctorum noſtrorum patrum obtinet diſciplina, vel traditio catholicæ eccleſiæ, quæ à finibus vſque ad fines Euangelium ſuſcepit. DOROTHEA.

Ex hac quidem ſanctione palàm eſt honorandos eſſe ſanctos. Quo igitur eos afficiemus honore, quibúsve laudibus proſequemur?

THEOPHILVS.

Eum ipſis honorem deferemus, qui infra diuinum honorem, & vni Deo debitum cultum longè ſubſiſtat, quíſque
Eſai. 42. gloriam Dei (quam ſe alteri daturũ negauit) nequaquam obſcuret. Deum enim vnum adoramus in eccleſia Chriſti: Deũ vnũ votis placamus: vni Deo ſupplicamus, velut om-
Iacob. 1. nis boni, & totius ſalutis ac fœlicitatis vnico authori, ex quo, ceu omnis boni fonte, quicquid vſquam auxilij, quicquid eſt boni & perfecti muneris in nos dimanat. Sanctos verò eo ſocietatis & dilectionis cultu colimus, quo in hac vita coluntur ſancti homines, quorum alacres & paratos animos ad pericula omne genus cruciatúſque vel acerbiſ-
Auguſt. con. Fauſt. lib. 29. *cap.* 21. ſimos ſubeundos Euãgelicæ cauſa veritatis eſſe nouimus. Eò tamen maiore ſtudio ſanctos iam exutos corpore, & ad illam patriam (in qua tuta eſt, & ſine defectionis metu permanſura fœlicitas) receptos veneramur, quò certius laudari poteſt virtus eius quẽ poſt victoriam iam coronatũ, quàm eius quem adhuc ſub incerto euẽtu in ſtadio pu-
Auguſt. li. 3. *cont. epiſt. Pelag. ad Bonif. cap.* 3 gnantem videmus. Eorum ſanè memoriam honoramus, tanquam ſanctorum hominum Dei, qui vſque ad mortem ſuorum corporum pro veritate certarunt, vt innoteſceret vera religio, falſis proſtratis atque deletis. Huc e-
Heb. 13. tiam diuus Paulus nos vocat, cùm ait: Mementote præpoſitorum veſtrorum, qui locuti ſunt vobis ſermonem Dei: quorum imitemini fidem, conſiderantes qui fuerit exitus cõuerſationis illorum. Honorabimus eos veluti corporis noſtri,

noſtri,quo cum Chriſto compingimur, ſanctiſſima & nobiliſſima membra,cùm pater cœleſtis vt chariſſimos filios ipſos agnoſcat & honoret : filius vt fratres, & cohæredes habeat:ſpiritus ſanctus templa ſua vocet puriſſima & gratiſſima domicilia: Chriſtus coram patre & angelis confiteatur, laudet,& honoret:quoniam eos nō puduit in terris ipſum confiteri, laudare,& honorare. Qui me confeſſus fuerit(inquit) coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo. Et:Quicunque honorificauerit me,glorificabo eum. Honorabimus eos,vt(quemadmodum Auguſtinus ait)ad eorum imitationem excitemur,eorum meritis cōſociemur,& adiuuemur precibus. Laude vehemus eos, non in ipſorum quidem virtute,ſed in Domino, cui pro ipſorum victoriis gratiæ ſunt agendæ. Illorum enim hæc vox eſt:Gratia Dei ſum id quod ſum. Atque illud Apoſtoli ad omnes pertinet:Qui gloriatur,in Domino glorietur. Non enim qui ſe ipſum commendat, ille probatus eſt:ſed is,quem Dominus commendat. DOROTHEA.

Ioan. 12. Rom. 8. 2.Cor.6. Mat. 18. 1.Reg. 3. Cōt. Fauſt. lib. 29. cap. 21. 1.Cor. 15. 2.Cor. 10.

An ſanctorum venerationem in eccleſia retineri, eorúmque memoriam reuerenter coli expedit?

THEOPHILVS.

Ob multas ſanè cauſas id eſt vtile: vel, vt magnifica Dei in illis prædicemus, & virtutem eius admiremur, qua illi,cùm noſtri ſimiles & ex ſe imbecilles eſſent, tales euaſerūt:vel,vt miſericordiā Dei agnoſcamus,& firma ſpe adimpleamur,vidētes Dei promiſsionē de ſeruandis hominibus,iam in fratribus noſtris impletā:vel,vt retūdatur diaboli impudētia,qui animis ſeductorum falſam peccati excuſationē inſtillat,per hæreticos perſuadēs virtutē eſſe difficilē,& hominē in tanta imbecillitate non poſſe non peccare. Cuius mendaciū tot ſanctorū exempla coarguūt,qui pietatē coluerunt,& mundū cū deſideriis ſuis calcauerunt: non ipſi quidē per ſe fortes & victores,ſed virtute Dei roborati,& adiuti ſpiritu Dei,quem credentes acceperūt:ad cuius opem ſi nos quoq; cōfugerimus,eā vitæ ſanctitatem virtutē,& ſinceritatē,quā in ſanctis admiramur, nos etiam prĕſtabimus, eodē nobis vires & robur addēte,per quē illi omnia potuerūt. Atque & colendi ſanctos cauſa præcipua & apprime vtilis eſt,vt memoriam eorum renouantes,ad

imitandam fidem eorum cæteráſque virtutes incitemur, vt dum ſanctorum merita admiramur, mirabiles ipſi vitæ ſanctitate euadere ſtudeamus: nam & nos fieri poſſumus quod ſunt, ſi per gratiam Dei fecerimus, quod ipſi fecerunt. Huc ſpectant egregiæ illæ ſanctorum veteris legis

Eccle.44. laudes apud Ieſum filium Syrach, apud Paulum quoque in

Hebr.12. epiſtola ad Hebrços: nam is vbi ſanctos ex fide admodum commendaſſet, ſubiecit: Ideóque & nos tantam habentes impoſitam nubem teſtium, deponentes omne pondus & circunſtans nos peccatum, per patientiam curramus ad propoſitum nobis certamen, aſpicientes in authorē fidei, & conſummatorem Ieſum, qui, propoſito ſibi gaudio, pertulit crucem ignominia contempta.

DOROTHEA.

Quæ de imaginum figuratione, & veneratione ſanctorum adhuc abs te expoſita ſunt, mihi ſupra modū placent. Nunc obiter & in tranſcurſu, niſi graue ſit & moleſtum, audire quippiam velim de ſanctorum martyrum reliquiis, quo videlicet numero eſſe debeant apud fideles.

THEOPHILVS.

Vetus eccleſia tum Latina, tum Græca, religioſa pietate eas ſemper coluit & venerata eſt: idque non leues ob cauſas. Primùm quòd eiuſmodi reliquiæ fidei & charitatis quæ in ſanctis fuit nos admonent: dum nobiſcum ipſi recolimus hæc eadem eſſe oſſa, quibus compactum & coagmentatum olim fuit corpus, domicilium inhabitantis gratiæ, quibus membra cohæſerunt, templum quondam ſpiritus ſancti. Cuius recordatione fides noſtra in Deum excitatur & fulcitur, nimirum cùm animo agitamus, quòd quemadmodum illi per fidem omnia aduerſa vicerunt, & innocentiſſimè integerriméque ad extremum vſque ſpiritum vitam egerunt: ita & nos eundem fidei ſpiritum habentes, & eorum exemplo corroborati, aduerſis omnibus Chriſti auxilio ſuperiores euadere poterimus. Eam ob cauſam Deum ſæpenumero ad monumenta martyrum inſignia miracula edidiſſe legimus, vt ſcilicet fidem ſuorum

Lib. de ciui. acueret, ac eos ad ſanctorum imitationem proritaret. Vt e-

Dei 22. nim Auguſtinus ait, de eccleſia loquens plaudente in mi-

cap.8 raculo apud memoriam beati Stephani facto: Quid erat

in cor-

in cordibus exultantium, niſi fides Chriſti, pro qua Stephani ſanguis effuſus eſt? Et beatus Ambroſius poſtquam narrauit cæcum, vbi fimbriam de veſte martyrum qua ſacræ reliquiæ veſtiebãtur contigiſſet, aſpectum recepiſſe, vel hinc oſtendit Arrianos non habuiſſe rectam fidem, quòd miraculis ad monumenta martyrum editis detraherent. Re ipſa (inquit) oſtendunt alterius fidei fuiſſe martyres, quàm ipſi: Neque enim aliter operibus inuiderent, quæ illi quidem Chriſti virtute ediderunt, niſi fidem in iis fuiſſe eam quam iſti non habent, indicarent. Quòd ſi ſanctorum cineres & oſſa ſunt quædam ipſorum pignora in terris relicta, cur non ea reuerenter habebimus, ad eum modum quo filius demortui patris veſtem honorificè tractat? Aut quomodo ſancta quadam voluptate non perfundemur, conſpicientes oſſa & cineres, quibus olim ſpiritus ſanctus, vt puro habitaculo ſuo, delectatus eſt, cùm amicum annulo, quem amicus è vita excedens legauit quaſi perpetuæ amicitiæ pignus, vſqueadeo videamus oblectari, vt nunquam eum cernat, quin chari amici ſubeat imago, & factorũ dictorúmque ipſius meminerit? Quomodo non admonebimur non eſſe inanem ſpẽ fidei noſtræ, ſanguinolẽtas adhuc notas, & vulnerum quæ ſancti pro Chriſti nomine acceperunt veſtigia contuentes? Non ipſorum exemplo animabimur ad perferenda forti & inuicto animo aduerſa omnia? Nec ob eas modò cauſas vetus eccleſiã vtilem eſſe ſanctarum reliquarum venerationẽ cenſuit: verùm etiam quòd futurã reſurrectionem nobis ꝓmittant, & ſpem noſtram in futuram corporis glorificationem erigant, contẽplantibus nobis, eadẽ ſanctorum corpora, etſi immutata, quandoq; ad immortalem vitã excitãda, ac Deũ noſtrum eſſe Deũ Abraham, Deũ Iſaac, Deũ Iacob, Deum inquam non mortuorũ, ſed viuentium. Quòd ſi cõpertiſſimũ eſt ad monumẽta martyrũ mortuos frequẽter ſuſcitatos, tortos demones, obſeſſos abiis ſolutos, grauibus impeditos morbis incolumi fauſtéq; valetudini reſtitutos, peccatores ad pœnitentiam cõuerſos, idq; in fide Chriſti, pro qua ſanctorũ ſanguis profuſus eſt: quis ita cæcutit, vt piam hanc certarũ reliquiarum venerationẽ contẽnere audeat? Nẹ, qui iſtud facere in animum inducit, id negat quod dia-

In ſerm. de ſanct. Ger. & Proph.

Mat. 22.

Chriſoſt. ho. 66. ad pop. Anthioc.

bolus etiam, licèt inuitus, cõfitetur. Vnde Auguſtinus, Sanctorũ, inquit, corpora, & præcipuè beatorũ martyrum reliquias, quaſi Chriſti mẽbra, & ſinceriſsimè honorãda, & baſilicas eorũ nominibus appellatas, velut loca ſancta diuino cultui mãcipata, affectu piiſsimo & deuotione fideliſsima adeũdas credimus. Si quis cõtra hanc ſententiã venerit, nõ Chriſtianus, ſed Eunomianus & Vigilãtianus creditur. Nec ſilẽtio prętereundũ eſt quod in hanc ſentẽtiã beatus Chryſoſtomus ait: Non attẽdas cinerẽ ſanctorum corporũ, nec fauillam reliquiarũ carnis, omniáque oſſa cõſumpta temporibus: ſed aperi oculos fidei, & vide eos diuina virtute, & gratia ſpiritus ſancti amictos, & diuini luminis claritate radiantes. Hi ergo ipſi, de ſuperno ſolis circulo in terrã radij Chriſto emittẽte iaciuntur, & à corporibus eorũ proſiliẽtes coruſca luce fulgoris, ſicut ſpeciẽ eccleſię gaudẽtis illuſtrãt, ita faciẽ diaboli inuidentis obcæcãt. Et paucis interiectis: Dæmones, inquit, vbi coronatorũ martyrum viderint corpora poſita, longè ilicò à conſpectu eorũ pauidi fugiunt. Non enim ad naturã eorum intendunt, ſed in arcanã diuinitatem & gloriã Chriſti, qui in agone certantium induta corpora martyrũ ſuorum ſicut anima portauit, atque inde trepidant dæmones. Cui ſubiungit, ideò pretioſa eſſe corpora martyrum, quoniã plagas pro Domino ſuſceperũt, & quia ſtigmata propter Chriſtũ mẽbris ſuis impreſſa ferũt: & ſicut corona regalis vndiq; decorata fulgores varios emittit, ita & ſanctorũ martyrũ corpora. Oſſa ergo & cineres ſanctorum venerabimur, ac eorũ veras certáſque reliquias quæ templa fuiſſe ſancti ſpiritus ſcimus. Non iis tamen fidemus, neque eas adorabimus: ſed tantùm ſanctorũ fidẽ in illis exoſculabimur, vitæ ac doctrinæ recordatione incenſi, & ſpe fulti futuræ reſurrectionis. Ita fiet, vt à veneratione reliquiarum omnis idololatria procul abſit.

De diffinit. orthod. fid. & eccleſ. dogm. c. 73.

Hom. de nat. ſept. Macch. Hom. 7.

DOROTHEA.

Quid dicas, ſi publicè ad quæſtum, pecuniámque corradendam exponantur?

THEOPHILVS.

Tale quid eccleſia Dei ſacrilegium eſſe iudicauit, prorſusque vetuit ne reliquiæ antiquę extra capſam oſtendantur, aut exponantur venales, quemadmodum ex 62. cõcilij Latera-

Lateranenſis decreto (quod quidem concilium ſub Innocentio celebratum eſt anno ſalutis 1215.) ſatis eſt exploratum & cognitum.

DOROTHEA.

Iam niſi quid aliud mauis,ad eam primi præcepti partē, quæ reliqua eſt, veniamus. Cur in ea quam adiecit Deus comminatione,mentionem ſuæ fortitudinis facit?

THEOPHILVS.

Eo ſignificat ſe ſatis habere potentiæ ad gloriam ſuam tuendam,quam deprimi ac eleuari minimè ſinet.

DOROTHEA.

Quid zelotypiæ nomine indicat?

THEOPHILVS.

Aequalem aut ſociū ferre ſe non poſſe. Nam vt ſe nobis pro infinita ſua bonitate donauit ,ita nos vult eſſe prorſus ſuos.Ipſi ſoli in omnibus actionibus & cogitationibus adhærere,ſanctiſsimo ipſius cultui animas noſtras dicantes: videre quoque etiā atque etiā ne à fide ipſi data ad idololatriā,à fiducia in diffidentiā,à dilectione in Dei contēptum ac neglectum deſciſcamus:vt ne interim addā quòd frequētiſſimè ſcriptura Deum marito, animā ſponſæ,verā autem in ſe fidē coniugio cōparat. Quum ergo zelotypum ſe vocat,vehemētiſsimè idololatris(qui ab eo deflectunt,& cum creaturis ſpirituali ſe adulterio polluunt)cōminatur,vt ſupplicij metu eos ad officium reuocet.Miſericordiā autem & benignitatē ſuam exhibiturū ſe pollicetur iis,qui ſe verè & ex animo diligunt, ac legē ſuam cuſtodiunt,vt in via mādatorum ſuorum alacres faciat,& ſua ſponte currentes.

DOROTHEA.

Quo ſenſu hoc dictum eſt,eum vlciſci iniquitatem patrum in filios,vſque in tertiam & quartam generationem?

THEOPHILVS.

Quò plus incutiat nobis terroris,& pœnarum grauitate à contemptu ſui,ac mādatorum ſuorum neglectu animos noſtros magis auocet, non tantùm ab iis qui deliquerint pœnas exacturum ſe minatur:ſed eorum quoque ſobolem & temporariis miſeriis & æterno demum exitio obnoxiam fore.

DOROTHEA.

Sed nōnne à diuinæ iuſtitiæ æquitate alienum eſt,pœnā

alieni delicti ab inſonte expetere?

THEOPHILVS.

Eos tantùm modò filios delicta patrum luituros intelligit, qui parentum veſtigiis inſiſtentes paternā imitantur impietatem, ac obſtinatæ mentis cæcitate Deum contēnere & odiſſe pergunt, iuſtam Dei iram propriis etiam flagitiis contra ſe concitantes. De quibus alibi ſcriptum eſt: *Exod.* 34. Qui reddis iniquitatem patrum filiis ac nepotibus in ter- *Num.* 14. tiam & quartam progeniem. Et: Qui facis miſericordiam *Ierem.* 32. in milibus, qui reddis iniquitatem patrū in ſinum filiorum *Deut.* 5. poſt eos. Alioqui non eſt iniuſtus Deus, vt peccatum patris ſupplicio innocētis filij punire ſuſtineat. Non portabit (inquit Dominus) filius iniquitatem patris: nec pater iniquita *Ezech.* 18. tem filij. Anima quæ peccauerit, ipſa morietur: iuſtitia iuſti erit ſuper eum, & impietas impij erit ſuper eum. Si igitur ab iniuſti patris imitatione deflectens filius, timuerit Deum, & iuſtitiam fecerit, nequaquam paterni delicti pœnam ſuſtinebit: ſed recti operis ſui mercedem à iuſto iudice percipiet.

DOROTHEA.

Quid ſibi vult quod additum eſt, faciens miſericordiā in multa milia diligētibus me, & ſeruātibus præcepta mea?

THEOPHILVS.

Amabili nos ſuauitate ad ſe allicit, cùm ſe miſericordia vſurum erga omnes qui ſe diligunt & mandata ſua obſeruant promittit. Significat autem ſuam benignitatem eò vſque ſe effuſurum erga fideles, vt in eorum gratiam illorum quoque ſe liberis benignum exhibeat, non tātùm res eorum proſperando, quoad præſentem vitam: ſed animas quoque ipſorum ſanctificando, vt diuinæ morem gerant voluntati, & in grege ſuo cenſeantur.

DOROTHEA.

Cur mille hîc generationes, in pœnæ verò damnatione treis duntaxat aut quatuor nominat?

THEOPHILVS.

Quò ſignificet, ſe ad humanitatem magis & beneficen- *Exod.* 34. tiam, quàm ad ſeueritatem propenſum eſſe: ſicut etiam a- *Pſal.* 103. libi teſtatur, cùm ſe ad ignoſcendum facilem eſſe dicit, tardum verò ad iram.

DOROTHEA.

A quibus peccatur in hoc præceptum?

THEOPHILVS.

Qui in rebus aſperis, magicis artibus vtuntur, aut illorum opera qui eas impias artes exercent, qui confugiunt ad diuinatores, ad ſortilegos, & eos qui incãtationibus abutuntur. Item, qui non omnia, tam bona quàm mala, à manu Domini ſuſcipiunt cum gratiarum actione. Rurſus qui fiduciam ſuam collocant in principibus, in hominibus, in pecunia & theſauris ac bonis huius ſæculi. Ideò auaritia ſimulacrorum cultus dicitur. Peccant etiam, qui Deo non fidunt vbique, qui de miſericordia eius dubitant, qui deſperant, qui propriæ ſapientiæ, iuſtitiæ, ſanctimoniæ aut humanis præſidiis confidunt. Offendũt præterea, qui cùm videant aliorum diffidentiam, aut incredulitatem, non iis ſuccurrunt, nec illos in fide confirmant. *Epheſ. 5.* *Col. 3.*

DOROTHEA.

Veniamus ad ſecundum præceptum?

THEOPHILVS.

Non vſurpabis nomen Domini Dei tui in vanum. Neque enim habebit Dominus inſontem, qui eius nomen inaniter adhibuerit.

DOROTHEA.

Quis huius præcepti ſenſus eſt?

THEOPHILVS.

Poſtulat à nobis Dominus vt bene vtamur ſuo nomine, ipſum coram toto mundo, Deũ ac Dominum noſtrũ confiteamur, ab illius cõfeſſione, neq; blãditiis, neque vllis cruciatibus abducamur: Deũ in omnibus laudemus, ipſiq; tã in ſecũdis quã in afflictis rebus gratias agamus: (nã ſi bona de manu Domini ſuſcepimus, par & conſentaneũ eſt, vt mala etiã ſuſtineamus) vt eius verbũ ſyncerè prædicemus, & euulgemus & priuatim & publicè: priuatim quidẽ vbiq; nomen Dei noſtri magnifaciẽtes ac celebrãtes, ꝓ virili e-tiã parte omnes homines ad eiuſdẽ Dei noſtri celebrationem & verbis & operibus conãtes allicere: rurſus auerſantes omneis, qui Deũ noſtrũ, vt par eſt, nõ reuerẽtur. Sic affectos fuiſſe videmus omnes ſãctos, quib⁹ nihil vnquã grauis fuit, quã videre, aut audire aliquid agi in dei cõtumeliã. Quẽadmodũ videre eſt in Dauide, quum ait: Fuerunt mihi lachrymę meę panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, Vbi eſt Deus tuus? Publicè verò prædicatur ab iis, qui- *Cõfeſſio.* *Gratiarum actio.* *Prædicat verbi.* *Priuata.* *Pſal. 41.* *Publica.*

2.*Tim*.4. bus miniſteriũ verbi commiſſum eſt,quibus dictũ eſt,Prædica verbũ,inſta opportunè & importunè. Ad extremum

Inuocatio præcipuus Dei cultus. exigit à nobis Deus, vt in omnibus neceſſitatibus noſtris ipſum inuocemus,ipſius fidẽ auxiliũq; imploremus ac expectemus,ſiue vt actus noſtros in via mãdatorum ſuorum dirigat ac proſperet,ſiue vt ab aduerſariis nos eripiat & liberet.Sicut autem primo præcepto affectus interiores requirit:ita & hoc,tam internum animũ,quàm linguæ puritatẽ efflagitat. Sic enim animis & linguis nos cõparatos eſſe decet,vt nihil de Domino eiuſq; myſteriis aut cogitemus aut loquamur,niſi reuerẽter & multa cum ſobrietate, vt in æſtimandis eius operibus,nihil niſi erga ipſum honorificũ ſapiamus:vt quicquid mens de ipſo cõcipit,quicquid lingua profatur,ipſius excellentiã reſipiat, & ſacræ nominis eius reſpõdeat ſublimitati : denique aptum ſit ad extollendã eius magnificẽtiã.Proinde vetat,ne Dei nomine abutamur non peierãdo tantùm,ſed præter neceſsitatem iurando.Ne iuretis omnino(inquit Chriſtus) neque per cœlum,quia thronus Dei eſt: neque per terrã,quia ſubſellium eſt pedũ illius:Sed ſit ſermo veſter: Eſt eſt,Non non:quod enim vltra hęc adiungitur,ex malo proficiſcitur,nimirùm infirmitatis & imperfectionis eius qui non niſi iuranti fidem vult adhibere.

DOROTHEA.

Anne ergo prorſus nefas eſt iurare?

THEOPHILVS.

Auguſt.de ſerm. Domi ni in monte lib. 1. Omne iuramentum, hoc eſt,Dei atteſtatio ad veritatem ſermonis noſtri confirmandam, inter perfectos & verè Chriſtianos eſt ſuperuacaneum, vtpote quibus ſimplex negatio aut affirmatio iuramenti ſit vice. Vt quid enim iuramentum exigatur ab iis qui ab omni fraude dolo & mendacio alieni viuunt? Sed cùm in eccleſia Chriſti ſint non tantùm perfecti,ſed & infirmi quàmplurimi, bonum eſt & verè Chriſtianis omnino expetendum, ne omnino iurent. Quod ſi iurare cogantur, infirmitate fratris, vel neceſſitate cauſæ ita poſtulante,ſciant id de neceſsitate,venire infirmitatis eorum,quibus aliquid ſuadent. Quæ in-

firmi-

firmitas etſi malum eſt, ſciant tamen ſe malum non facere quum bene vtātur iureiurando. Nam licèt id non bonū fuerit, tamē neceſſarium eſt, vt alteri perſuadeatur, quod vtiliter perſuadetur. Iurare ergo nequaquam licet, niſi neceſsitas & cauſæ grauitas poſtulet, nimirùm vt Dei gloriæ ſeruiatur, & manifeſtæ proximi vtilitati, quam charitas venatur & indagat. Oportet autem iuſiurandum, ſiue priuatim ſiue publicè interponatur (veluti cùm magiſtratui exigenti redditur) has treis habere comites, veritatem, iudicium, & iuſtitiam: quemadmodum Dominus apud Hieremiam præcipit, dicens: Et iurabis, viuit Dominus, in veritate, in iudicio, & in iuſtitia. Neque enim aliam ob cauſam iuſiurandum interponi debet, quàm ſolo veritatis aſſerendæ ſtudio, vt mendacium opus diaboli deſtruatur: idque non temerè de rebus tenuibus ac friuolis quæque minimi ſint momenti, ſed iudicio conſilióque adhibito, vt id quod iuſtum, æquum, vtile, & honeſtum eſt, confirmetur, fœdus ſanciatur, mutuáque inter homines alatur charitas & concordia. *Cap. 4.*

DOROTHEA.

An nomen Dei periurio tantùm profanatur?

THEOPHILVS.

Imò variis modis. Quum enim ſit ſacroſanctum Dei nomen, à nobis vſurpari, aut in medium proferri non debet, niſi cum ſummo honore, cum timore & reuerentia, & in eum finem, vt glorioſum appareat. Itaque etiam atque etiam nobis videndum eſt, ne aut ipſum contemptui habere videamur, aut aliis occaſionem faſtidiendi præbeamus. Id quod tum demum (vti iam diximus) fiet, ſi de Deo eiúſque operibus non aliter cogitemus aut loquamur, quàm in eius honorem, & gloriam.

DOROTHEA.

Quid per Dei nomen intelligis?

THEOPHILVS.

Non hîc accipio pro voce prolata, qua Deum indicamus, hæc enim eſt res creata: ſed Dei famam intelligo, maieſtatem potentiam ſapientiam, bonitatem, breuiter id quod Deus eſt, vel quod Deo rectè tribui poteſt: necnon etiam æternum illud verbum Dei Chriſtum.

DOROTHEA.

Quinam verò ſunt, qui Dei nomine abutuntur, & in hoc præceptum peccant?

THEOPHILVS.

Qui Dei nomen non glorificant nec inuocant, qui deſpectui habēt, qui aliò quàm ad ſalutē protrahunt, qui vel blanditiis vel tormētis victi Deum Chriſtum Dominū, aut eius ſanctam catholicā fidem abnegāt. Item qui, cùm Chriſtiani dici & eſſe volunt, omnia Chriſtianæ diſciplinæ contraria & verbis & factis agunt: propter quos nomen Dei blaſphematur inter gentes. Itē qui ſibi nomen aut gloriæ, aut ſapientiæ, aut bonitatis extra Deum quęrunt, qui nō in Domino, ſed in ſe laudari appetūt: qui Dei potentiā, bonitatem, & miſericordiā non agnoſcūt: qui per impatientiam nomini Dei maledicūt, ipſum inhoneſtāt, & aliis diras pœnas imprecantur: qui in aduerſis non ad Dei nomē confugiunt, ſed vel diffidentes Deo, vel Dei auxiliū contēnentes aliunde remediū petūt. Deniq; peccāt in hoc pręceptū, qui temerè aut malæ cōſuetudinis vitio, vel falsò vel impiè aut iniuſtè iurant. Multò magis delinquunt qui peierāt, & Dei nomē adhibent ad confirmāda mendacia: qui hoc nomine abutuntur, ad incantationes, & exercenda maleficia. Offendunt etiam qui ſe voto vel iuramēto ad maleficiū quoddā obligant: qui vota Deo nuncupata non perſoluunt: qui de Deo nugas narrāt: qui ſacra Dei eloquia ad ludum iocúmque cōuertunt: qui huiuſmodi hominibus nō reſiſtunt, ſed cōniuent: in ſumma, hoc præcepto prohibet Dominus omnem ſuperbiam, iactantiam, & omne propriæ laudis & gloriæ ſtudium.

Rom. 8.

DOROTHEA.

Quid ſibi vult quod adiectum eſt: Eum non fore innocentem, qui nomen Dei in vanum vſurpauerit?

THEOPHILVS.

Eo indicat Dominus quanti faciat nominis ſui gloriam, ſe non paſſurum confirmans, vt contemptui habeatur: ſed grauiſſi-

grauiſſimis pœnis iniuriam ſibi illatam vlturum, etſi non in hoc ſeculo, quamuis & in hoc ſæpiſſimè, ſaltem in futuro. Quapropter præcipua nobis eſſe cura debet, vt reuerenter & honorificè Dei nomen vſurpetur.

DOROTHEA.

Suprà te dicere memini, eos non leuiter peccare, qui voti fidem non ſoluunt: vbinam iſtud ſcriptum eſt? An neſcis coacta ſeruitia Domino minus placere, qui hilarem & liberum datorem amet? *De votis.* *2.Cor. 9.*

THEOPHILVS.

Etſi vera ſunt quæ dicis, non minus tamen libertate ſua vtuntur homines, etiam in iis rebus, quas ex voto præſtāt. Ex propenſa enim & libera animi voluntate, votū ſuper re alioqui non debita nūcuparunt, & prorſus fuerūt in viuendo liberi: licèt poſt nuncupatū votū iā ad ſoluēdum neceſſitate teneantur, Domino his verbis exigēte: Cū votū voueris Domino Deo tuo, non differes reddere: Nam Dominus Deus tuus omnino requirit hoc à te: & ſi moratus fueris, peccatū tibi imputabitur. Si verò à vouendo ceſſaueris, vacabis peccato. Siquid autē egreſſū eſt è labiis tuis, fac vt ſerues & pręſtes, ſicut vouiſti Domino Deo tuo, ſpōte, & quēadmodum locutus es ore tuo. Atque alibi: Quum voueris Deo votū, ne differas ſoluere: diſplicet enim ei infidelis & ſtulta promiſſio. Proinde quod voueris exolue. Melior nāq; eſt qui non vouet, eo qui vouet nec ſoluit. Hęc autē perſoluendi voti neceſſitas neutiquā inuita coactio videri poteſt, cùm ad eā promiſſionē nulla vis, ſed libera animi voluntas hominem impulerit. Fœlix ꝓfectò neceſsitas, quæ ad meliora compellit, per quam id modò nō licet, quod cum detrimento licuiſſet! *Deut. 23.* *Eccleſ. 5.* *Auguſt. in epiſt. ad Armentarium & Paulinam.*

DOROTHEA.

Quando ita res habet, ſumma diligentia mihi cauendum videtur, ne quid homo Chriſtianus temerè Deo voueat.

THEOPHILVS.

Id prorſus fugiendum, pręſertim ſi ea res ſit, quā an pręſtare queas incertus ſis, aut quę ſine ſuperſtitione aut turpitudine aliqua peragi nō poſſit. Sunt enim vota ſuperuacuā, vana & incauta: ſunt turpia & impia: ſunt deniq; licita & honeſta. Quēadmodum autē omnia non legitima nec ritè concepta vota non modò non placent Deo, ſed etiam illi

abominationi ſunt: ita temerariã licitorum, ac honeſtorũ votorum violationẽ grauiter & iniquo animo Deus patitur. In impiis quidem ac turpibus votis decretũ mutare, in malis promiſſis reſcindere fidẽ oportet: quòd impia ſit promiſſio, quæ cũ ſcelere adimpletur, qualis fuit promiſſio Herodis facta Herodiadi: & Iudæorũ, qui vouerunt ſe nõ comeſturos, niſi prius è medio Paulum ſuſtuliſſent. Atque omnes qui talibus ſe obſtringunt votis, etſi nullus ſequatur effectus, grauiſsimè peccãt, non ſecus atq; ij qui ſuperſtitioſis & ſuperuacaneis ſe votis aſtringũt, nullũ adhibentes in vouendo iudiciũ, quanuis æquum ſit ea nõ præſtare.

Marc. 6. *Act. 23.*

DOROTHEA.

Quid de perpetuo caſtitatis & continentiæ voto ſentis? Anne licitum & honeſtum eſt? THEOPHILVS.

Dum modò ſano conſilio animóq; deliberato nuncupatũ fuerit, ſtudióq; ſanctitatis euãgelicæ, hoc eſt, vt liberius quis pietatẽ colat, ac minori tẽporariorum bonorũ ſollicitudine in officia charitatis incũbat, ſemper ab exordio eccleſiæ licitũ & honeſtũ atq; adeò piũ habitũ eſt. Vnde Paulus ait: Bonũ eſt homini mulierẽ nõ tangere. Itẽ: Volo omnes homines eſſe ſicut ego ſum. Rurſum: Dico autem non nuptis & viduis, bonum eſt illis, ſi ſic permanſerint, ſicut & ego. Et iterũ: De virginib' præceptũ Domini nõ habeo: cõſilium autẽ do, tanquã miſericordiã cõſecutus à Domino, vt ſim fidelis. Exiſtimo ergo hoc bonũ eſſe propter inſtantẽ neceſsitatẽ: quoniam bonum eſt homini ſic eſſe. Adhæc: Volo autẽ vos ſine ſollicitudine eſſe. Qui ſine vxore eſt, ſollicitus eſt, quæ ſunt Domini, quomodo placeat Deo. Qui cũ vxore eſt, ſollicitus eſt quę ſunt mũdi. Et ſequitur: Porrò hoc ad vtilitatẽ veſtrã dico: non vt laqueũ vobis iniiciã, ſed ad id quod honeſtũ eſt, & quod facultatẽ præbeat ſine impedimento Dominũ obſecrandi. Itẽ: Qui ſtatuit in corde ſuo firmus nõ habẽs neceſsitatẽ, poteſtatẽ autẽ habẽs ſuæ voluntatis, & hoc iudicauit in corde ſuo, ſeruare virginem ſuã, bene facit: & qui non iungit, melius facit. Aç Chriſtus quidẽ ipſe talẽ caſtitatẽ laude vehit, in qua homines immutabili animi propoſito ſe cõfirmauerũt, vt ab ea reſilire iã nõ liceat. Tria enim eunuchorũ genera cõmemorans, hos ſolos laudat, qui propter regnũ Dei, volũtate ſua ſe caſtrauerũt. Quos (quod ad perpetuitatẽ cõtinentiæ attinet) ſimi

1. Corin. 7. *Matth. 19.*

les facit iis,qui per naturã, aut violentiã hominũ eunuchi facti ſunt:vt,quẽadmodũ his naturę vitiũ,aut hominũ violentia gignẽdi facultatẽ in perpetuũ ademit:ſic illi ſibi ſua volũtate & animi propoſito, gignẽdi facultatẽ amputauerint,& nuptiarũ ſpẽ in perpetuũ intercluſerint:qualis vtiq; caſtitas,nõ niſi cum voti nũcupatione inuenitur. Nõ enim perpetuus eſt eunuchus in ſuæ voluntatis popoſito,qui nuptiarũ ſpe nõdũ ſe abdicauit. Tali voto ſe teneri diua Virgo oſtẽdit,cũ ab angelo partũ ei nũtiãte ſciſcitaretur: Quo modo fiet iſtud? quoniã virũ nõ cognoſco: id eſt,quoniam caſtitatis propoſitũ voto inuiolabili firmatum,mẽte gero. Alioqui nõ fuiſſet mirũ,virgini adoleſcẽtulę promitti partũ,tametſi virũ nondũ cognouiſſet:potuiſſet enĩ mox viro tradi,grauidáq; facta ſtato tẽpore parere, niſi ſpẽ nuptiarũ prorſus abieciſſet,& viri cõmerciũ inuiolabili voto ſibi denegaſſet. Ad hãc tãtæ excellẽtiæ virtutẽ Chriſtus præcepto neminẽ adigit, ꝙ ad apprehẽdendã eã nõ omnes ſint idonei:ſed eos qui capaces eſſe poſſunt,ſpecioſis ꝓmiſsionib⁹ & præclaris laudibus inuitat: Qui poteſt(inquit)capere,capiat. Proponit prę miũ,inquit Hieronymus,inuitat ad curſum,tenet in manu virginitatis brabiûm,oſtendit puriſsimũ fontẽ, & clamitat: Qui ſitit,veniat & bibat. Qui poteſt capere,capiat. Nõ dicit, Velitis nolitis,bibẽdũ eſt vobis atq; currendũ: ſed qui voluerit,& qui potuerit currere atque portare,ille vincet,ille ſatiabitur. Talib⁹ eunuchis per Prophetã Dominus nomẽ melius à filiis & filiabus,& nomen ſempiternum pollicetur. Et in Apocalypſi hac prę rogatiua inſignes ſunt, vt agni Dei præſentia perpetua perfruãtur. Hi ſũt,ait ſcriptura,qui cũ mulieribus nõ ſũt coinquinati: virgines enim ſunt. Hi ſequuntur agnũ,quocunque ierit.

Cont. Iouinianũ lib. 1.

Eſa. 56.

Apo. 14.

DOROTHEA.

Haud equidẽ inficias ire aut velim aut poſsim,cõtinentiã(quã definio eſſe,quũ nõ ſolùm corpus à ſcortatione purũ ſeruatur,ſed quũ mens etiam impollutã caſtitatẽ ſeruat. Neq; enim externã tantùm laſciuiã,ſed animi quoq; vſtionẽ caueri Paulus præcipit)excellentiſſimã eſſe virtutẽ. Sed cũ Dei benignitate alia nobis data ſint & in manu noſtra poſita:eius æquitate alia negata,nónne extremę eſt demẽtię & temeritatis,beneficio libertatis quod nobis Deus cõtulit neglecto,id vouere qđ nõ eſt in noſtra ſitũ poteſtate?

THEOPHILVS.

Cap.11. Satis ſupérque ſcio nos (quemadmodum veriſſimè in Arauſicano concilio decretum fuit) nihil ritè Deo vouere poſſe, niſi quod de manu eius acceperimus: quando illi omnia quæ offeruntur, mera ſunt eius dona. Nec abs re ſcri-
Sap.8. ptum legimus, nos non aliter caſtitatis fore compotes, quàm dono Dei. Quamobrem non inuitus fateor, eum admodum eſſe temerarium, qui rem tanti momenti, propriæ virtutis fiducia ſubnixus, Deo promittat. Sed cur, amabo, is cui caſtè continentérque viuendi à Deo ſit indultum munus, eius gratia fretus, virginitatis aut perpetuæ continentiæ votum non poſſit nuncupare? Cùm Deus qui eius animo ſanctum iſtud propoſitum inſtillauit, nunquã eum ſua gratia ſit deſtituturus, dum modò feruenti precatione ad ipſius auxilium confugiat, caſtiget corpus ac emaciet ieiuniis, abſtinentiis, vigiliis, aliíſque id genus exercitationibus corporalibus (ſi fortè carnis ſtimulis exagitari ſe ſentiat) benéque penitus ſe in literas ſacras abdat?
1.Cor.10. Nam fidelis eſt Deus, qui non ſinet nos tentari ſupra id quod poſſumus: imo faciet vnà cum tentatione euentum, quò poſsimus ſufferre. Quanquam ergo difficillimum factu maximéque arduum videtur, vt qui perpetuo voto ſe obſtringit, id abſque magna moleſtia tædióque ſoluat, cũ ſæpius periculum etiam ſummum ſit, ne diuturnitate fati-
Philip.1. gatus, violare aliquando audeat: tamen verisſimum manet, quod à diuo Paulo ſcriptum eſt. Perſuaſum (inquit) habeo hoc ipſum, quòd is, qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vſque ad diem Ieſu Chriſti. Cùm verò ſignificat nos omnia poſſe per Chriſtum, qui animis noſtris vires &
Philip.4. robur addit, haud mentitur: cùm Chriſtus etiam pollicea-
Ioan.14. tur ſe, quicquid ſuo nomine petierimus, hoc facturum, vt glorificetur pater per filium. Quod niſi ita haberet, minimè nos exhortaretur, vt omnia à Deo petamus, quæ ſalutem noſtram ſpectant, atque adeò in bono perſeuerandi
Luc.11. donum. Petite (inquit) & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulſate, & aperietur vobis. Eſt ergo vacuitati bonæ promptæq́; voluntatis imputandum, ſi ante decurſum ſpatium animis deficiamus.

DOROTHEA.

Si ij tantùm perpetuæ caſtitatis voto ſe obſtringerent, qui continentiæ donum diuinitus acceperunt, nō ita ſubinde violaretur. Sed quàm multos, obſecro, videre eſt, qui etſi ea non ſunt donati gratia, ſuæ tamen imbecillitatis vel ignari, vel immemores, continentiæ votum nuncupant, nō Dei quidem contemplatione, cuius cultui totos ſe dicare velint: ſed vel præſentis commoditatis gratia, vel illecti blanditiis? Hi cùm menſuram collatæ ſibi gratiæ minimè reſpiciant, nónne in miſeram ſe ipſi ſeruitutem præcipites agunt, quæ ad extremum illis cauſa ſit exitij & æterni interitus? Si quando igitur veritatis notitia illuminati, cernant in quātas ærumnas ſeſe præcipitauerint, quum ignoratione Dei, & errore impliciti tenerentur, non poterunt eiuſmodi voti ducti pœnitudine, incepto deſiſtere, ac vti matrimonio, quod quidem in remedium incōtinentiæ impudicitiæque hominum generi Deus indulſit? Cùm enim Paulus ipſe doceat ſatius eſſe matrimonium contrahere, *1. Cor. 7.* quàm vri: leuius eſſe malum videtur, promiſſum non implere, in iis quæ temerè nullàque virium habita ratione voueris, quàm aſsiduè ſcortari. Vt enim paulò antè dicebas, vota omnia non legitima nec ritè concepta, vt apud Deum nihili ſunt ac nullius ponderis, ſic nobis irrita eſſe debent.

THEOPHILVS.

Nunquam in eccleſia Dei licitum fuit ei, qui ſolemni *Cōcil. Elib. can. 13.* ſe caſtitatis & continentię voto alligaſſet, vxorem ducere, ſi fortè poſt id locorum eum nuncupati voti pœnitere cœ- *Conci. Arela. 2. ca. 25.* piſſet: imò definitum ſemper declaratúmque fuit, eos qui tale quid auderēt non leui eſſe dānationi obnoxios. Quod *Auguſ. ad* beatus Paulus ſignificans iuniores viduas eccleſiæ dicit, *Pollentiam* cùm laſciuire cœperint aduerſus Chriſtum, titillante eas *lib. 1. ca. 24* priſtina libidine, hoc eſt, cùm ſaginatæ iam alienis facul- *Hiero. in 1.* tatibus, votum continentiæ violauerint, velle nubere, ha- *Cor. 7. &* bentes condemnationem, quòd primam fidem irritam fe- *lib. 1. contr.* cerint, nimirum quam Chriſto pactæ erant, abdicato iure *Iouinianū.* repetendi connubij. A ſuſcepta enim caſtitatis profeſsione *Cōci. Cart.* cum reſiliant, in Chriſtum ſunt cōtumelioſæ, cuius iugum *4. ca. 104.* cupiunt excutere, vt rurſus matrimonij iugum ſubeant. Qùòd autē nonnulli [primam fidem] hîc intelligunt, fidem

in baptiſmo datã: vt Paulus ſentiat eas,deſerta fide quam habuerant in Chriſtum,nubere velle infideli & idololatræ marito, abnegato Chriſto: eiuſmodi expoſitio & prorſus falſa eſt,& à mente Pauli aliena. Nam fidei primæ nomine intelligit ille perpetuæ caſtitatis & continentiæ votum, quemadmodum pulchrè cenſuit expoſuítque quartũ Carthaginenſe concilium (cui diuus Auguſtinus interfuit) 104.canone, cuius hæc verba ſunt: Sicut bonum eſt caſtitatis præmium, ita & maiori obſeruatione & cautione cuſtodiendum eſt: vt ſiquæ viduæ quantumlibet adhuc in minoribus annis poſitæ, & matura ætate à viro relictæ ſe dicauerunt Domino, & veſte laicali abiecta, ſub teſtimonio epiſcopi & eccleſię religioſo habitu apparuerint,poſteà verò ad nuptias ſeculares tranſierint, ſecundum Apo-
1.Timot. 5. ſtolum damnationem habebũt, quoniam fidem caſtitatis, quam Domino vouerunt, irritam facere auſæ ſũnt. Tales ergò perſonæ ſine Chriſtianorum communione maneant, quæ etiam nec in conuiuio cum Chriſtianis communicẽt. Nam ſi adulteræ coniuges reatu ſuo ſunt viris ſuis obnoxiæ, quanto magis viduæ, quæ & propoſitum,& habitum religioſæ piæque caſtitatis mutauerunt, crimine adulterij notabuntur, ſi continentiæ votũ,quod ſuapte ſponte Deo nuncuparunt,nõ coactæ,libidinoſa voluptate violauerint, atque ad alteras nuptias conuolauerint? Quæ ſi vi illata ab aliquo abreptæ ſunt,ac poſtea titillante eas libidine in cõiugio permanere raptori aut violento homini conſenſerunt,damnationi ſuperius memoratę tenebũtur obnoxię. De talibus ait Apoſtolus: Cùm laſciuire aduerſus Chriſtũ cœperint,nubere volunt,habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Quod Apoſtoli verbum om
Aug. 27. nis eccleſia ſic ſemper intellexit, vt etſi nuptiæ,quas tales
quæſt. 1.C. contra votum nuncupatum contrahebant, ex ſe damnan-
nuptiarum. dæ non iudicarentur, tamen omnino damnari propoſiti fraudem, damnari voti fracti fidem, damnari non ſolùm ſuſceptionem à bono inferiori,ſed ruinam & lapſum ex bono ſuperiori: damnari denique tales, non quia coniugalem fidem poſteriùs inierunt ſed quia continentiæ
1.Cor.7. fidem primam irritam fecerunt. Quòd autem Paulus ait ſatius eſſe matrimonium ſibi copulare quàm vri, hoc

intel-

intelligi debet de iis,qui nondũ ſe caſtitatis voto obſtrinxerunt,quemadmodum declarat Ambroſius. Hoc dictum (inquit)ad non pollicitam pertinet, ad nondum velatam. Cæterùm quæ ſe ſpopondit Chriſto, & ſanctum velamen accepit,iam nupſit,iam immortali iuncta eſt viro. Et iam ſi voluerit nubere,cõmuni lege coniugij,adulterium perpetrat,ancilla mortis efficitur. Cui conſonat, quod ſcribit diuus Hieronymus:Et ſi nupſerit virgo(ait Apoſtolus)nõ peccauit.Non illa virgo quę ſemet cultui Dei mancipauit. Harum enim ſiqua nupſerit, habebit damnationem: quia primam fidem irritam fecit.Virgines enim quæ poſt conſecrationem nupſerint,non tam adulteræ ſunt quàm inceſtæ.Ab huius ſententia ne latum quidem vnguem diſcedit beatus Auguſtinus:In viduali, inquit,& viginali continentia, excellentia muneris amplioris expetitur, qua expetita & electa,& voti debito oblata,iam non ſolùm nõ capeſſere nuptias, ſed etiam ſi matrimonium non contrahatur, contrahere velle, damnabile eſt. Nam vt hoc demonſtraret Apoſtolus,non ait: In Chriſto nubunt:ſed,Nubere volunt, habentes damnationem, quia damnatur fracta voti fides.

Lib. ad virginũ lapſ. cap. 5.

Lib. 1. cõtr. Iouinianũ.

Lib. ad Iulianã, de bono viduit. cap. 9.

DOROTHEA.

At Cyprianus tamen id liberum permittit virginibus, quæ carnis aculeis ſollicitatæ in virginitate perſeuerare non poſſunt, vt nubant, ne fortè in aliquam obſcœnitatem prolabantur. Si ſe (inquit) ex fide Chriſto dicauerunt virgines, pudicè & caſtè, ſine vlla fabula, perſeuerent. Ita fortes & ſtabiles præmium virginitatis expectent. Si autem perſeuerare nolunt, vel non poſſunt, melius eſt, vt nubant, quàm in ignem delitiis cadant.

Epiſto. 11. lib. 1.

THEOPHILVS.

Non hîc loquitur ſanctus martyr de velatis virginibus & voto obſtrictis:at de iis modò ſermonẽ habet,quæ ſua ſponte conſtituerant extra monaſterium Chriſto immaculatam ſeruare virginitatem, quibus integrũ erat vel nubere,vel in ſancto virginitatis propoſito permanere:vt vel ex eo intelligi poteſt, quòd in eadem epiſtola connubium velatæ virginis inceſtum vocat:quod vtique non faceret,ſi liberum ei eſſe crederet poſt nuncupatum virgini-

tatis votum nubere:Si ſuperueniens(inquit)maritus ſponſam ſuam iacentem cum altero videat, nónne indignatur & fremit,& per zeli dolorem fortaſsis & gladium in manum ſumit?Quid Chriſtus dominus & iudex noſter? cùm virginem ſuam ſibi dicatam, & ſanctitati ſuæ deſtinatam iacere cum altero cernit, quàm indignatur & iraſcitur! & quas pœnas inceſtis eiuſmodi coniunctionibus cõminatur! Atque idem alibi in hanc ſententiam ſcribit:Virginis corruptæ,non mariti,ſed Chriſti adulteræ, quàm fuerant præmiis ingentibus virgines deſtinatæ,tam magna ſupplicia pro amiſſa virginitate ſenſuræ ſunt.Quid,quòd Auguſtinus affirmare nõ dubitat,lapſus & ruinas à caſtitate ſanctiore,quæ vouetur Deo, adulteriis eſſe peiores? Si enim (inquit)quod nullo modo dubitãdum eſt,ad offenſionem Chriſti pertinet,cùm membrum eius fidem nõ ſeruat marito: quantò grauius offenditur,cùm illi ipſi non ſeruatur fides in eo quod exigit oblatum,qui non exegerat offerẽdum?Cùm enim quiſque non reddit quod nõ imperio cõpulſus, ſed conſilio commonitus vouit: tanto magis fraudati voti auget iniquitatem, quanto minus habuit vouendi neceſsitatem.

Cypr.lib. de hab.virg.

De bono viduit.ad Iulianũ, cap. 11.

DOROTHEA.

Quid ergo faciet is,cui cõtinendi facultas denegata eſt, poſtquam temerè,nec ſatis exploratis viribus, perpetuæ ſe voto caſtitatis impedierit?Anne votum impoſsibile, ei qui ſingulari continentiæ dono non ſit præditus, certum erit animæ exitium, quam ſeruatam vult Deus,non perditam?

THEOPHILVS.

Deus ſalutẽ nobis adferre vult,non perniciem,ſi ſanctiſſimæ eius voluntati morem geramus,quæ quidem poſtulat,vt illius ope adiuti(quam iis nunquam denegat qui ardentibus votis ſuam fidem implorant)pręſtemus promiſſa,& vota ipſi nũcupata reddamus. Vouete,inquit ſcriptura, & reddite domino Deo veſtro, omnes qui in circuitu eius affertis munera.Sed quemadmodum perbellè Chryſoſtomus ait,multi non poſſunt continere,quia nolunt. Si enim voluerint, auxiliante deo omnes poterunt. Propter hoc & Paulus dicit: Velim omnes homines eſſe, vt &

Pſal. 75.

Hom. 16. in epiſt. ad Hebr.

ipſe

ipſe ſum: quoniam ſciebat quòd omnes poterant eſſe ſicut ipſe. Neq; verò hoc diceret, ſi impoſſibile eſſet homini viuere in perpetua cõtinentia & caſtitate, vt & ipſe viuebat. Hoc idem affirmat & diuus Auguſtinus. Cùm iſtud ergo ſit poſſibile, ad eius auxiliũ confugiamus, cuius ſolius virtute, omni incõtinentiæ reſiſtere poterimus: exemplo Pauli carnem noſtram caſtigemus, & in ſeruitutẽ redigamus ieiuniis, abſtinentiis, & vigiliis: eorum ſodalitio & cõgreſſu abſtineamus, qui voluptatibus corporis addicti molliter viuunt: ne impudicarum mulierum colloquiis pollui nos ſinamus: in ſacrarum literarum ſtudia toto incumbamus pectore. Alioqui ſi in delitiis verſantes, deliriarum vitiis nos minimè irretitum iri exiſtimemus, planè fallimur, nóſque ipſos ſeducimus.

Li.2. de peccat. meri. & remiſſ. cap. 57.

Hiero. aduerſ. Iouinian. lib. 2.

DOROTHEA.

Atqui ſuprà, ſi bene memini, aſſeueraſti, non omnibus datam eſſe continendi facultatem, ſed iis demum qui diuinitus acceperunt.

THEOPHILVS.

Nequaquam illud pugnat cum iis, quæ in præſenti dicimus. Perpetuæ enim caſtitatis donum iis datur qui petierunt, qui voluerunt, qui vt acciperent laborauerunt, ait Hieronymus. Quod idem confirmat & beatus Chryſoſtomus. Poſſe nos, inquit, perpetuam ſeruare virginitatem Chriſtus oſtendit, dicens: Sunt eunuchi, qui ex vtero matris ſic nati ſunt. Ac pòſt ſuper hæc verba [Non omnes capiunt, ſed quibus datum eſt] Iis datum eſt, inquit, qui ſponte eligunt. Quod ideò dixit, vt oſtenderet ſuperiore nobis auxilio eſſe opus, quod quidem omnibus paratũ eſt, ſi volumus in hac luctatione ſuperiores euadere. In eadem eſt Origenes ſentẽtia. Magna res eſt (inquit) propter regnum Dei ſe caſtrare, & eunuchũ facere. Quod non capiunt omnes, ſed quibus datum eſt: datum eſt autem omnibus, qui eiuſmodi gratiã ſibi à Deo petunt. Nec aliter ſentit Gregorius Naziãzenus in quadam oratione. Non omnes, inquit, capiunt iſtud, ſed quibus datũ eſt. Cùm audis, Quibus datum eſt: adde: datum quidẽ iis qui volunt, & qui aſſentiuntur. Idem etiam docet Theophylactus. Poſtquam, inquit, dixerunt Apoſtoli, melius eſſe non venire ad nuptias, dicit

In 19. cap. Matth.

Homi. 63. in Matth.

Tract. 7. in Matth.

In orat. 30. quæ incipit, Ieſus, qui piſcato. elegit.

In Matth. 19. cap.

Dominus magnam eſſe virginitatis poſſeſsionem, & eam nō ab omnibus rectè ſeruari, ſed ab iis duntaxat, quorum cooperator eſt Deus. Nam hoc loco, Datum eſt, valet, quibus cooperatur Deus. Illis autem datum eſt, qui petunt. Petite enim, inquit, & dabitur vobis. Omnis enim qui petit, accipit. Quia ergo non omnes capiunt verbum hoc (ſicut Dominus ait) ſed qui poteſt capere, capit atque obſeruat: multo melius atque tutius eſt, vt qui ſe non continent, ante votum matrimonium contrahant. Quapropter qui non occepit, multùm diúque antè deliberet quàm quicquam voueat: qui egreſſus eſt, perſeueret: nulla aduerſario detur occaſio, nulla Chriſto ſubtrahatur oblatio.

Auguſ. in Matth. 19. cap.

DOROTHEA.

Quid de iis igitur cenſes, qui vxorem iam duxerunt, nec votum Chriſto & eccleſiæ nuncupatum perſoluerunt?

THEOPHILVS.

Aliud nihil, quàm quòd à fidelium conſortio ob voti violati reatum penitus ſunt abſciſsi, indigni etiam qui munia ſacerdotis obeāt, vt intelligi poteſt è decimo quinto canone Chalcedonēſis concilij, quod quidem celebratum eſt anno Domini 488. & vnum eſt eorū, quibus fides perinde habetur atque ſacroſanctis Euangeliis. Decreti hæc verba ſunt: Si qua virgo ſe dedicauerit Deo, ſimiliter monachus, non licet eis nuptiis iungi. Si verò inuenti fuerint hoc feciſſe, maneant excōmunicati. Statuimus verò poſſe iis fieri humanitatem, ſi ita probauerit epiſcopus loci. Ac primo quidem canone Neocæſarienſis concilij, paulò ante Nicenum celebrati, ſancitum eſt, Presbyterum, ſi vxorē duxerit, ab ordine ſuo deponi debere: quòd ſi ſcortatus fuerit, aut cōmiſerit adulterium, extra eccleſiam abiici, & ad pœnitentiam inter laicos redigi.

27. quæſ. 1. c. ſi qua virgo.

DOROTHEA.

Sed nónne ſceleratum iſtud & intolerandum eſt, quòd nonnulli eorum, qui cōtinentiæ votum obſeruant, perſuaſiſsimū habent ſe eam perfectionē eſſe conſecutos, eúmq; iuſtitiæ gradum, vt alios omneis præ ſe deſpiciant?

THEOPHILVS.

Eccleſia Dei virginitatem atque continentiā magni ſemper fecit, quatenus eæ virtutes modeſtiæ, pietati, atque charitati

ritati coniunctæ ſunt, eos interim condemnans, qui arrogãtia tumidi exiſtimabant ſe cõtinentię & caſtitatis beneficio eam iuſtitiã atq; ſanctitatem adeptos eſſe, vt matrimonio iunctos auerſarentur, & faſtidirent, vti ſatis conſtat è decimo canone Gangrenſis cõcilij, cuius quidem hæc ferè ſunt verba: Siquis ex iis, qui virginitatẽ propter Dominum ſeruant, extollitur aduerſum coniugatos, anathema ſit.

DOROTHEA.

Quæ hactenus de continentiæ voto diſſeruiſti, mihi vehementer arrident. Iam diſputemus, ſi placet, de duobus reliquis voti generibus. Quid de obedientiæ voto ſentis? An ſcripturarum authoritate fulcitur?

THEOPHILVS.

Obedientiæ votum aliud nihil eſt, quàm propriæ voluntatis propter Dei cultũ ſpontanea abnegatio: quam Chriſtus virtutẽ in ſe ipſo exhibuit, factus obediens patri vſq; ad mortem, mortẽ autem crucis. Obedientiam porrò à nobis ille exigẽs: Siquis, inquit, vult me ſubſequi, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuã quotidie, & ſequatur me. Ac propheta quidem obedientiam omnibus victimis anteponit: quòd in ſacrificiis aliena caro, in obedientia caro propria, ad obſequium Domini mactetur. Quamobrem monet Apoſtolus, vt iis pareamus, qui præſunt nobis, ac cõcedamus. In hanc ſententiam diuus Hieronymus ad quendam ſcribens ait: Ad illud tendit oratio, vt doceam te non tuo arbitrio dimittendum, ſed viuere debere in monaſterio, ſub vnius diſciplina patris, conſortióque multorum, vt ab alio diſcas humilitatem, ab alio patientiam: hic te ſilentium, ille doceat manſuetudinem: non facias quod vis, comedas quod iuberis, veſtiare quod acceperis, operis tui penſum perſoluas, ſubiiciaris cui non vis, laſſus ad ſtratum venias, & necdum expleto ſomno ſurgere compellaris. Præpoſitum monaſterij timeas vt dominum, diligas vt parentem: credas tibi ſalutare, quicquid ille præceperit, nec de maiorum ſententia iudices, cuius officij eſt obedire, & implere quæ iuſſa ſunt. Idem alibi refert quantopere priſci illi Aegyptij monachi præpoſitis ſuis dicto fuerint audientes, quantámque auſteritatem & patientiam exercuerint. Ea enim tunc apud illos diſciplina ſerui

Philip. 2.
Luc. 9.
1. Reg. 15.
Eccle. 4.
Hebr. 13.
Ad Ruſticum monachum.
In epiſt. ad Euſtochiũ de virginitate ſeru.

erat, vt humi dormirent: potus, eſſet aqua: cibus, panis, herbæ, ac radiculæ: præcipuæ lautitiæ in oleo & ciceribus: ab omni delicatiore victu & corporis cultu abſtinerent. Sed audiamus ipſum Hieronymum de cœnobitis loquentem. Prima, inquit, apud eos confœderatio eſt, obedire maioribus, & quicquid iuſſerint facere. Diuiſi ſunt per decurias atque centurias, ita vt nouem hominibus decimus præſit, & rurſus decem præpoſitos ſub ſe centeſimus habeat. Manent ſeparati, ſed iunctis cellulis. vſque ad horam nonam, vt inſtitutum eſt, nemo pergit ad alium, exceptis his decanis, quos diximus: vt ſi cogitationibus fortè quis fluctuat, illius conſoletur alloquiis. Poſt horam nonam in commune concurritur, pſalmi reſonant, ſcripturæ recitantur ex more. Et completis orationibus, cunctíſque reſidentibus, medius, quem patrem vocant, incipit diſputare. Quo loquente tantum ſilentium fit, vt nemo alium reſpicere, nemo audeat excreare. Dicentis laus, in fletu eſt audientium. Tacitè voluuntur per ora lachrymæ, & ne in ſingultus quidem erumpit dolor. Cùm verò de regno Chriſti, & de futura beatitudine, & de gloria cœperit annunciare ventura: videas cunctos moderato ſuſpirio, & oculis ad cœlum leuatis, intra ſe dicere: Quis da-
Pſal. 54. bit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam? Poſt hæc concilium ſoluitur, & vnaquæque decuria cum ſuo parẽte pergit ad menſam, quibus per ſingulas hebdomadas viciſſim miniſtrant. Nullus in cibo ſtrepitus, nemo comedens loquitur. Viuitur pane, leguminibus, & holeribus, quæ ſale ſolo condiuntur. Vinum tantùm ſenes accipiunt, quibus & paruulis ſæpe fit prandium, vt aliorũ feſſa ſuſtentetur ætas, aliorum non frangatur incipiens. Dehinc conſurgunt pariter, & hymno dicto, ad præſepia redeunt: ibi vſque ad veſperam cum ſuis vnuſquiſq; loquitur, & dicit: Vidiſtis illum & illum? Quanta in ipſo ſit gratia? quantum ſilentium? quàm moderatus inceſſus? Si infirmum viderint in fide, conſolantur: ſi in Dei amore feruentem, cohortantur ad ſtudium. Et quia nocte extra orationes publicas in ſuo cubili vnuſquiſque vigilat, circumeunt cellulas ſingulorum: & aure appoſita, quid faciant diligẽter explorant. Quem tardiorem deprehenderint, non increpant:

ſed

ſed diſſimulato quod norunt, eum ſæpius viſitant: & prius incipientes, prouocant magis orare, quàm cogunt. Opus diei ſtatum eſt: quod decano redditum fertur ad œconomum, qui & ipſe per ſingulos menſes patri omnium cum magno tremore reddit rationem. A quo etiam cibi cùm fa ƈti fuerint, prægustantur. Et quia nō licet dicere cuiquam, Tunicam & ſagum textáque iuncis ſtrata non habeo: ille ita vniuerſa moderatur, vt nemo quod poſtulet habeat. Siquis verò cœperit ægrotare, transfertur ad exedram latiorem, & tanto ſenum miniſterio confouetur, vt nec delitias vrbium, nec matris quærat affectum. Dominicis diebus orationi tantùm & lectionibus vacant: quod quidem & omni tempore completis opuſculis faciunt. Quotidie aliquid de ſcripturis diſcitur. Ieiunium totius anni æquale eſt, excepta quadrageſima, in qua ſola conceditur diſtrictius viuere. A pentecoſte cœnæ mutantur in prandia, quo & traditioni eccleſiaſticæ ſatisfiat, & ventrem cibo non onerēt duplicato. Hæc ille. De his eadem propemodum Auguſtinus: Contemptis, inquit, mundi huius illecebris, in communem vitam caſtiſſimam ſanctiſſimámque congregati, ſimul ætatem agunt, viuentes in orationibus, lectionibus, diſputationibus: nulla ſuperbia tumidi, nulla peruicacia turbulenti, nulla inuidentia liuidi. Nemo quicquam poſſidet proprium: nemo cuiquam oneroſus eſt. Operantur manibus ea, quibus corpus paſci poſſit, & mens à Deo auocari non queat. Opus autē ſuum tradunt eis, quos decanos vocāt. Illi autē decani cum magna ſollicitudine omnia diſponentes, rationem vni reddunt, quem patrem vocant. Hi verò patres non ſolùm ſanctiſſimi moribus, ſed etiam diuina doctrina excellētiſſimi, omnibus rebus excelſi, nulla ſuperbia, conſulunt iis, quos filios vocant: magna ſua in iubendo authoritate, magna ipſorum in obtemperando voluntate. Conueniunt autem diei tempore extremo de ſuis quiſque habitaculis, dum adhuc ieiuni ſunt, ad audiendum illum patrem: corpus deinde reficitur, quantum ſaluti & ſalubritati ſat eſt: coercente vnoquoque concupiſcentiam, ne ſe profundat, vel in ea ipſa quæ præſto ſunt, parca & viliſſima. Ita non ſolùm à carnibus & vino abſtinent pro ſufficientia domandarum libidinum, ſed

De moribus eccleſiæ catholicæ, cap. 31.

ab iis quæ tanto concitatius ventris& gutturis prouocant appetitum, quanto quaſi mũdiora nonullis vidẽtur. Quicquid neceſſario victui redundat (redundat autem plurimũ ex operibus manuum, & epularum reſtrictione) tãta cura egentibus diſtribuitur, quanta nõ ab ipſis, qui diſtribuunt, comparatum eſt.

DOROTHEA.

Hoc votum, quantum video, firmiſsimo nititur fundamẽto, poſtquam per illud, nuntium remittimus prauis carnis noſtræ deſideriis, vt Deo nos in ſeruitutem addicamus ſanctiſsimisque eius pręceptis obſequamur. Quid de paupertatis voto dicis? An ſcriptura etiam firmatur?

THEOPHILVS.

Votum paupertatis aliud nihil eſt, quàm voluntaria poſsidendarum in ſeculo diuitiarum abdicatio, ex charitate profecta, vt liberius Chriſtum ſequaris. Omnigenã autẽ diuitiarum abdicationem ſcriptura nuſquam præcipiendo exigit: vnde qui rebus ſuis moderatè vtuntur, & ab alienis abſtinent, fructus poſſeſsionum ſuarũ pauperibus paulatim diſtribuunt, & reliqua ſine vllius iniuria ſibi ſeruãt, & ſine aliorum damno augere ſtudent, ob id culpari non merentur. Sed multo excellentiorem Euangelicæ perfectionis gradum arripuerunt, qui ſemel omnibus abdicatis, Chriſtum nudi & expediti ſequuntur. Bonum eſt, facultates cum diſpenſatione egentibus erogare. Melius eſt, Domini ſequẽdi gratia vniuerſas ſimul elargiri, & omni cura ſolutum egêre cum Chriſto. Ad tantæ perfectionis gradũ
Mat.19. Dominus adoleſcentem inuitauit, interrogantẽ, quid boni
Marc.10. faceret, vt perenni vita frueretur. Si vis, inquit, ad vitam in-
Luc.18. gredi, ſerua mandata. At vero cùm adoleſcens enumeratis mandatis, viciſsim ad hæc Chriſto reſpondiſſet: Omnia hæc cuſtodiui à iuuẽtute mea, quid adhuc mihi deeſt? Ieſus (vt Marcus ait) illum intuens, eũ dilexit, dixítque ei: Vnum tibi deeſt, vade, quæcunque habes vende, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo, & ſublata cruce veniens ſequere me. Quem in locum explanatio, quam nonnulli adferunt, nõ eſt, meo quidem iudicio, admittenda: nimirùm adoleſcentem vaną confidentia tumidum, ſe omnia legis

præcepta à puero ſeruaſſe, reſpondiſſe, cùm immenſo ſpatio procul ab eo abeſſet, quô ſe perueniſſe iactabat. Nam Euāgeliſta nominatim dicit quòd eū Chriſtus, cùm ita reſpondiſſet, intuitus ſit, atque dilexerit: quod ſanè indicio eſt, adoleſcentem ab ineunte ſtatim pueritia ſic Moſaicæ legis præceptis imbutū fuiſſe, vt ea implere conatus eſſet, quamuis ad ſummam perfectionem minimè perueniſſet. Cùm igitur non mali eſſet animi, ſed æternæ vitæ deſiderio teneretur, Chriſtus eum intuitus dilexit, quídque etiam num ipſi ad perfectam iuſtitiam deeſſet indicauit. Si vis, inquit, perfectus eſſe, vende omnia quæ habes, & da pauperibus. Non dubium tamen eſt, quin, diuitiis cùm abundaret, cor illis affixum haberet. Quia ergo vulnus hoc ſecretum non ſentiebat, à Chriſto lancinatur. Vade, inquit, vende omnia quæ habes: quo dicto Chriſtus oſtendit, ipſum procul à perfectione, quā adeptum ſe putabat, adhuc abeſſe. Quô vt perueniat, conſulit, prompto & alacri animo, vel iis bonis renunciet, quæ iuſtè poſsidebat, ac egentibus eroget: vt nudus ac expeditus crucem ſuam tollat, & diuitias aucupetur quæ ſub aſpectum non cadunt. Vende, inquit, omnia quæ habes, & da pauperibus. Per legem Moſis, quæ (vt Paulus ait) nihil ad perfectum adduxit, hic adoleſcens perfectam obtinere iuſtitiam non potuerat: igitur vt perfectus eſſet, opus erat ipſum ſequi Chriſtum qui legem perfecit, quæ ad vitam ducit æternam: quod non fecerat lex vetus, quæ terrena promittebat, & poſſeſſiones plurimas. Proinde illi Dominus ait: Vende omnia quæ habes, da pauperibus, & me ſequere. Ad hāc abiectarum opum & copiarum deſpicientiam, voluntariamque paupertatem, miſericordiam adiungit, oſtendens maioris eſſe perfectionis, facultatibus vniuerſis ex ardenti dilectione in pauperes diſtributis, Chriſtum ſequi: cui quidem rei, præter vitam æternam, cœleſtis theſauri poſſeſſionē pollicetur. Ita videmus non modò Chriſtum hoc dicto iuuenem ad ſentiendum vlcus ſuum adigere voluiſſe, vt intelligeret ſe longo adhuc interuallo abeſſe à perfecta legis obedientia, quam ſibi aliâs falsò arrogabat: verùm etiam perfectionem Euangelicam ſtatuere in voluntaria paupertate charitati coniuncta, vt poſtquam omnes tuas

Grego. Nazianzenus in ſanct. lauac. oratione.

Heb. 7.

opes & fortunas egentibus diſtribueris, liberius expeditiúſque Euangelicam doctrinam amplectaris & totam te diuino cultui conſecres atque addicas. Diuus ſanè Lucas, in actis Apoſtolorum oſtendit, inter ipſa eccleſiæ naſcentis exordia, talem paupertatem in vſu fuiſſe inter eos qui Chriſto credidiſſent, vt aliqui vltra communem credentium morem paupertatem, ad quam ſe voti nuncupatione aſtrixiſſent, amplecterentur. Conuerſis enim ad fidem Chriſti, ſua retinere ſine reprehenſione licebat, ſi nihil vltro promiſiſſent. Quòd ſi cum perfectioribus voluiſſent annumerari, & abdicationem diuitiarum vltro polliciti eſſent, iam nihil ſine graui crimine de rebus propriis reſeruare poterant. Id quod Ananiæ reprehenſione ſatis perſpicuum eſt. Permiſſam vero fuiſſe ſuas retinendi facultates libertatem iis, qui nihil vltra communem credentium morem promiſiſſent, hæc Petri verba indicant: Nónne omnino tibi manebat ager, & venundatus in tua erat poteſtate? Poſt voti verò nuncupationem de abdicandis diuitiis, iam non ſine crimine eas retineri poſſe, idem Petrus arguit. Quare, inquit, mentitus es ſpiritui ſancto? id eſt, quare quod ſub nominis Dei teſtimonio profeſſus es, fefelliſti? Alioqui ſi nihil promiſiſſet, non potuiſſet mentiri Deo: ſed ſine reprehenſione de pretio agri ſui pro ſua voluntate conſtituere potuiſſet, & totum aut partem, vtcunque illi collibuiſſet, donare, aut ſimul omnia retinere. Vnde in hanc ſententiam ait Auguſtinus: Sic Ananias in actis Apoſtolorum, dum putat ſe rectè offerre, & nõ rectè diuidit, pecuniã quam obtulit, perdidit: & quam domi ſeruauit, amiſit: Pecuniam, inquam, pariter perdidit, & ſalutẽ. Dum enim ex eo quod promiſerat, partẽ ſubtraxit, ſacrilegij ſimul cõdemnatur & fraudis. Sacrilegij, quòd Deum in pollicitatione fefellerit: fraudis, quòd integris muneribus portionẽ quandam putauerit ſubſtrahendam. Si ergo, fratres, Ananias condemnatur, quòd nõ totum dederit quod de ſuo ipſe promiſerat, quid cenſemus de eo qui id non vult reddere, ad quod alius ſtipulatione illum obſtrinxerit? Videte ergo & vos fratres, quid promiſeritis Deo, cùm primùm fidei gratiam percepiſtis.

Act. 5.

De verbis Domini ſerm. 15.

DOROTHEA.

Hæc

Hæc igitur vota non ex hominum commentis,ſed ex ſalutaribus Chriſti monitis promanarunt, quæ ad perfectionem Euangelicam multùm expeditos reddunt eos, qui ritè in iis perſiſtunt. Accede iam,ſi videtur,ad tertium præceptum.

THEOPHILVS.

Memento vt diem ſabbati ſanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua. Septimo autem die ſabbatum Domini Dei tui eſt. Non facies vllum opus in eo, tu & filius tuus,& filia tua: ſeruus tuus, & ancilla tua: iumentum tuum, & aduena,qui eſt intra portas tuas.Sex enim diebus fecit Deus cœlum & terram, & mare,& omnia quæ in eis ſunt,& requieuit die ſeptimo.Idcirco benedixit Dominus diei ſabbati, & ſanctificauit eum.

DOROTHEA.

Explana,ſodes, hoc præceptum. Cur imperandi verbo Deus vtitur,dicens:Memento?

THEOPHILVS.

Nos pigros & oſcitantes ad ea, quæ præceptum iſtud requirit,excitat. Sumus enim neſcio quo pacto tardi ad vacandum ſanctis exercitationibus, & ad audiendum verbum Dei ſegnes. Hunc ergo torporem Dominus vt animis noſtris excutiat, præceptum iſtud oculis omnium ingerit.

DOROTHEA.

Quid verò ſibi vult hoc verbi, Sanctificare diem?

THEOPHILVS.

Aliud nihil eſt, quàm diem ſanctis operibus tranſigere, in vſus ſanctos collocare, nec vllis Deo indignis actionibus profanare. Diem itaque ſabbati ſanctificat, qui,neglectis rerum prophanarum curis, ſanctis eum ſtudiis totum dicat.

DOROTHEA.

Quid ita Deus præcipit, vt ab operibus ſeruilibus & profanis feriemur?

THEOPHILVS.

Non iſtud quidem eò facit, quòd laborem, veluti vitioſum damnet,qui per ſe bonus eſt:aut iners otium commendet,quod malum eſt:ſed vt quod per ſe bonum eſt, a-

liquo ſaltem tempore,ei cedat quod eſt optimum,& cuius gratia præcipuè conditus eſt homo,videlicet vt cognoſcat, veneretur, colat, amétque Deum ſuper omnia. Nam etſi in mediis etiam laboribus Deus & coli debeat & poſſit,ægrè tamen homo,vt par eſt,animum in Deum attollere poterit,niſi ab iis laboribus vacet, qui & tempus abſumunt, & animum aliò, quàm ad ſolam Dei bonitatem contemplandam,vocant, & à cõuentu fidelium auertunt.Propterea dictum eſt: Sex diebus operaberis,& facies omne opus tuum:hoc eſt,nõ torpebis inerti otio,ſed labore manuum tuarum,non tantùm tuæ,ſed & proximi neceſſitati conſules. Septimo autem die ſabbatum Domini Dei tui eſt: id eſt,ſeptimũ diem Domino Deo tuo ſoli ſeparabis ac dedicabis,vt tum cæteris neglectis, hoc cures, quod optimum eſt,nempe vt Deo ſoli vaces.

DOROTHEA.

Quem ſenſum habet, quod de iumentis adiectum eſt? An Deo curæ ſunt aſini & boues?

THEOPHILVS.

Quum Deus imperat,vt iumentis parcamus,ac ſinamus ea interquieſcere,id ea gratia facit,vt longius nos ab omni erga homines inhumanitate ſummoueat. Siquidem inclementia in iumenta quæ nobis ſeruiunt, gradum iacit ad
1.Cor. 9. ſæuitiam in ſubiectos. Quod autem Paulus ait, Nunquid boum curam Deus agit? non putandum eſt illum ſentire,
Mat. 10. Deo boues nullo modo curæ eſſe, quum & in Euangelio Dominus teſtetur, ne paſſerculum quidem perire in terra ſine voluntate permiſſúque patris.Sed Apoſtolus præcipuã Dei curam à bobus in homines tranſfert.Quemadmodum enim iumenta creauit propter hominem,ita & curat illa in hominis vtilitatem.

DOROTHEA.

Nullàne alia eſt huius præcepti ratio?

THEOPHILVS.

Subiungitur & alia, cùm dicitur: Sex diebus perfecit Deus cœlum,& terram,& mare, & quicquid in illis continetur:ſeptimo quieuit. Itaque benedixit diei ſabbati,eum ſanctum ſibi ſegregauit.

DOROTHEA.

Explana

Explana mihi horum verborum ſenſum.

THEOPHILVS.

Peinde eſt ac ſi dicat: Idcirco diem ſabbati ſanctificabis, quòd Deus illo die ab omni opere ſuo requieuerit, eidem benedixerit, & illum ſanctificarit, hoc eſt, ſegregarit, & in hoc ordinarit, vt tum ipſi Deo creatori ſoli vacares.

DOROTHEA.

Sed quid ſibi vult illud, Deum requieuiſſe die ſeptimo ab vniuerſo opere ſuo? Nónne ſolo verbo ac nutu, abſque omni labore & tædio vniuerſa condidit? Quid ergo illi otio ac requie opus fuit?

THEOPHILVS.

Deus quidem abſque labore creauit vniuerſa: Nã creatura omnis ſimul per ſubſtantiam extitit, licèt vna per ſpeciem non proceſſerit. Rerum quippe origo ſeu materia ſimul creata eſt, ſed ſimul ſpecies formata non eſt: & quod ſimul extitit per ſubſtantiam materiæ, non ſimul apparuit per ſubſtantiam formæ. Cùm enim ſimul facta cœlum & terra dicuntur, ſimul ſpiritualia & corporalia, ſimul quicquid de terra producitur indicatur. Scriptum eſt enim: Qui æternùm viuit, omnia ſimul creauit. Quòd autem ad quietem ſeptimæ diei attinet, hîc agnoſcendus eſt vſitatus ille ſcripturæ tropus, quo de operibus Dei loquens, verba ad captum noſtrum accommodat. Quemadmodum enim homines poſt opus aliquod egregiè abſolutum, cui nihil noui affingunt, ſed quod factum eſt conſeruant, ab opere ſuo requieſcere dicuntur: Sic Deus requieuiſſe dicitur ab omni opere ſuo, non quòd ſe quieti tradiderit, quaſi fatigatus & laſſus poſt mundi fabricam operâ ſex dierum abſolutam: ſed quòd deinceps nihil noui operis creauit: interim tamen à rerum conditarum conſeruatione, propagatione, reparatione & gubernatione nunquam deſiſtens. Veriſſimum eſt enim quod apud Ioannem legitur: *Ioan.5.* Pater meus ad hoc vſque temporis operatur, & ego operor. Voluit ergo Dominus Iudæos meminiſſe, quòd hic mundus à Deo conditus ſit, non vt in iis, quæ huius mundi ſunt, conquieſceremus: ſed ex iis, quæ condita ſunt, agnoſcentes conditorem, ad illius exemplum requieſceremus ab amore rerum viſibilium, ac per fidem

vitæque innocentiam (quæ vera animi pax eſt)ad æternam illam requiem properaremus.

DOROTHEA.

Tu,quantum intelligo,duplex ſabbatum conſtituis.

THEOPHILVS.

Sanè quidem: internum ſeu ſpirituale, quod in operũ Dei contemplatione conſiſtit,ac beneficiorum eius recordatione:& externum,quod in corporis requie,& vacatione ab operibus ſeruilibus poſitum eſt, ſicut Dominus per Eſaiam interpretatur.

Eſai.58.

DOROTHEA.

Quando obſeruare dicimur ac ſanctificare internum ſabbatum?

THEOPHILVS.

Cùm quieſcimus, ac ceſſamus noſtræ morem gerere volũtati,viáſque noſtras inſiſtere:Cùm verbo,cogitatione & opere voluntati diuinæ paremus:Cùm aſſentiendo patimur vt ſpiritus Dei in nobis opera ſua peragat, nimirum mortificationẽ carnis, & viuificationẽ ſpiritus:vnde tandem peruenturi ſumus ad ſabbatum illud, & veram requiem,vitam æternam, quam ſanguine acquiſiuit nobis Chriſtus Dominus ſabbati. Carnem igitur noſtram crucifigamus,abnegemus noſmetipſos, vt Dei ſpiritu gubernemur,ac non vno die continuo, ſed toto vitæ curriculo in via Dei ambulare pergamus.

DOROTHEA.

Quare Dominus externum ſabbatum ſtatuit.

THEOPHILVS.

Ad ſpiritualem quietem,vt eo die peruersè & nequiter agere deſinamus,Deum mente agitemus,& eius opera memoria repetamus:laudi, contemplationi, inuocationi,ac venerationi Dei intendamus animum. Eſt etiam ſtatutum ad politiæ eccleſiaſticæ conſeruationem, & ad ſubleuandos eos qui ſub aliena poteſtate ſunt,ne corpus labore fatigatum alterna requie careat,ſed aliquid ei laxamenti detur,& remiſſionis à labore.

DOROTHEA.

In quibus ſeſe debẽt exercere fideles diebus illis ſabbati?

THEOPHILVS.

Conuenire debent ad audiendum verbum Dei,ad ſuſcipiendam Chriſti doctrinam,ad frequentandas publicas preces,veluti miſſam & veſpertinas,ad concinendas Deo laudes,ad incumbendum ſpiritualibus ſacrificiis, ad excitandam fidem,& charitatem in Deum ac proximum.

DOROTHEA.

Cur ſabbatum in diem Dominicum tranſlatum eſt?

THEOPHILVS.

Vt intelligamus eam Iudæorum ceremoniã (qua ſabbatum certo diei alligabant, exiſtimantes hunc diem ex ſeſe cæteris religione & ſanctitate præſtare, ſéque à manuariis operibus feriando pietatem colere) Criſti aduentu abrogatam abolitamqué eſſe, vt & alias figuras vmbráſque rerum futurarũ,quibus myſterium aliquod ſpirituale figurabatur: idq́ue ne videamur iudaizare. Scimus enim omneis dies ſuapte natura eſſe æquales, & eum ſolum diẽ præ cæteris ſanctificari,quem ſanctioribus exercitiis dicamus. Nouimus non ex die in opera hominum, ſed ex operibus noſtris in ipſum diem ſanctificationem redundare.Itaque in nos quadrare non poteſt quod Paulus,Galatas increpãs,iis obiiciebat:Dies,inquit,obſeruatis,menſes, & tempora,& annos.Non enim diem feſtum vt ceremoniam arctiſſima religione celebramus:ſed ſuſcipimus propter finem inſtitutionis, tanquam remedium retinendo in eccleſia ordini neceſſarium. Hoc amplius quoniam eo die Chriſtus reſurrexit à mortuis, & ſpiritum ſanctum in diſcipulos miſit,ideo ſempiternam memoriam beneficiorum Chriſti die Dominico renouamus, quemadmodum teſtatur diuus Auguſtinus,dum ait: Dies Dominicus non quidem Iudæis, ſed Chriſtianis ex reſurrectione Domini declaratus eſt:atque ex eo tempore feſtiuitatem ſuam habere cœpit,ſtatim poſt Chriſti abitionem ab ipſis Apoſtolis inſtitutus.Quod iudicat & Ioannes.Fui,inquit,in ſpiritu,in Dominico die.

Gal. 4. *Ad Ianuar. de ritib. eccleſ. lib.2. cap.13.* *Apoc.1.*

DOROTHEA.

Cur eodem die fidelis populus luſtrali & benedicta aqua aſpergitur?

THEOPHILVS.

Ea nos ceremonia baptiſmi, per quem Chriſto in ſpi-

ritualem requiem conſepulti ſumus, commonefacit, ac veluti ſigno declarat nos oportere ſubinde mortificare carnem, & cum Chriſto quieſcentes auſcultare Deo.

DOROTHEA.

Cur eo ipſo, ſupplicationes, quas proceſſiones appellant, celebrantur?

THEOPHILVS.

Pia quædam ceremonia eſt(in iis enim populus ſignum crucifixi, & vexilla veluti trophæa quædā reſurgentis Domini comitatur) qua admonemur nos potiſſimùm eo die meminiſſe oportere, quòd per agni immaculati ſanguinē à fœdiſſima Satanæ tyrannide redempti ſumus: vt per omnem vitam Chriſtum crucifixum ſequamur, vt in Chriſto carnem vnà cum vitiis & cōcupiſcentiis ſuis cruci configamus, vt parati ſimus (ſi res ita poſtulauerit) pro Chriſti nomine, & in carcerem & in mortē ire, ac omnem crucem tribulationis, vndecūque nobis imponatur, patienter poſt Chriſtū portare, alieni ab omni vindictæ cupiditate & acerbitate animi. Item, vt meminerimus glorioſi illius de diabolo triumphi per Chriſtum acti: vtque, quemadmodum
Rom. 6. Chriſtus reſurrexit per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus.

DOROTHEA.

Quid ſibi vult thuris nidor, quo altaria perfunduntur, ac deinde pſallentes?

THEOPHILVS.

Externo hoc ſigno teſtamur nos corda ſurſum habere ad Dominum in laudem, gratiarum actionem, & preces profuſa. Quid enim aliud ſunt altaria, quam corda noſtra? Quid ignis, niſi feruor charitatis? Quid thus, niſi orationes ſanctorum?

DOROTHEA.

Ecquid verò de feſtis ſanctorum ſentis?

THEOPHILVS.

Obſeruatio feſtorum, quæ communi eccleſiæ conſenſu recepta ſunt, quolibet hebdomadæ die occurrant, ad hoc præceptum pertinet. Nam cùm Deus omnino velit, vt aliquo ſaltem tempore ab omnibus operibus ſeruilibus & manuariis abſtineamus, ac ipſi ſoli vacemus: is certè dies

ſabbati putandus eſt, quem ad hoc eccleſia communi conſenſu deſtinauit. Nec vllus eſt qui ſit in veteribus & Latinis & Græcis ſcriptoribus vel mediocriter verſatus, qui ignoret præter dies Dominicos ab ipſis fermè Apoſtolorum temporibus in eccleſia celebres etiā plurimos alios fuiſſe dies ad recolendum mirabilia Dei opera in Virgine matre, in ſanctis Apoſtolis & martyribus exhibita: ad celebrandum fœlices eorum exitus, & ad commemorandum fortiſſimas pugnas pro fide Chriſti ſuſceptas, vt populus extimularetur ad imitandam illorum & fidem & charitatem. Et cur hoc non liceat eccleſiæ in natalibus martyrum, qui cum Chriſto de hoſtibus triumphantes regnant, quod licuit ſynagogæ in dedicandis diebus, ob quaſpiam inſignes victorias, Dei ope per viros aut mulieres illuſtres, veluti Heſter, Iudith, Iudam Machabæum, ac ſimiles partas?

DOROTHEA.

Quomodo ſanctificandum eſt ſabbatum?

THEOPHILVS.

Puris precibus, piis votis, integra & honeſta vita, doctrina ſancta, ſiue illa ſuſcipiatur, ſiue adminiſtretur. Hi autē verè ſanctificant ſabbatum, qui corpora ſua exhibēt hoſtiam viuentem, ſanctam, & Deo gratam, qui toti in Dei laudem & gratiarum actionem incumbunt, qui alios docent, conſolātur, exhortantur: & in operibus charitatis ſe exercent.

DOROTHEA.

An hodie ſabbatum Chriſtianos obligat?

THEOPHILVS.

Prorſus, quatenus morale eſt, vt nunc non minus in eccleſia, quā olim in ſynagoga, ſabbati obſeruatio diuini iuris eſſe cenſenda ſit. Nam cùm inter Chriſtianos plurimi adhuc ſint imbecilles & infirmi, qui ad eam veri ſabbati perfectionem nondum pertingunt, retinenda eſt hæc lex in eccleſia tanquam pædagogus imperfectorum, in eam ſenſim perfectionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, adducens. Quin non tantùm infirmis, ſed & perfectioribus, ac iam tota mente Deo vacantibus, diebus feſtis ab omni opere externo ceſſandum eſt: tum ad conſeruandam eccleſiæ diſciplinam, tum ob vitandum ſcandalum, tum denique vt animus, ab omni corporea actione auocatus, alacrior ac ardentior in Dei contemplationem aſſurgat.

DOROTHEA.

An ad ipſum otium iſta lex nos ita adigit, vt neceſſariò ſit ſemper ab omni opere feriandum?

THEOPHILVS.

Quoties nos ad laborem proximi vtilitas inuitat, aut magna neceſsitas impellit, iam ſine vlla reprehēſione licet ſabbati quietem abrumpere, neceſſariisq́ue & vtilibus negotiis operam dare. Nam ſabbati pręceptum ſaluti hominum & charitati proximi cedere debet: quæ duæ res in omnibus externis ceremoniis licitam diſpenſandi facultatem præſtant. Sic Chriſtus diſcipulos, ſabbato ſpicas vellentes & manducantes, contra Iudæorum calumniam excuſauit. Si ſciretis, inquit, quid eſt, Miſericordiam volo, & non ſacrificium, nunquam condemnaſſetis innocentes. Et: Sabbatum propter hominem factum eſt, non homo propter ſabbatum. Sed & pontificum decreta permittūt Dominicis ac aliis feſtis diebus, rei alioqui tempore perituræ, vnde victus ſuppeditari poſsit, conſuli ac intendi.

Mat. 12 · *Alexāder iij. C. Licet de Feriis.*

DOROTHEA.

Quæ ergo præcipua vis eſt huius præcepti?

THEOPHILVS.

Fidem & dilectionem complectitur: fidem quidem, dum iubet vt tempus decernatur, quo poſitis omnibus aliis negotiis liberius diuino cultui vacent homines, ſeq́ue & ſuam familiam ad Deum ſuper omnia laudādum prouocent, ac de ſuis moribus corrigendis cogitent: dilectionem verò, dum vult aliquod ſeruis, & iis qui ſub alieno degūt imperio, dari tempus labore vacuum: quibus alioqui dominorum inclementia nullam à labore remiſsionem indulgerēt, niſi ad id præcepto adigerētur. Hanc humanitatis & clementiæ cauſam Moſes in Deuteronomio expreſsit his verbis: Vt requieſcat ſeruus tuus & ancilla tua, ſicut & tu: memento quòd & ipſe ſeruieris in AEgypto.

Deut. 5.

DOROTHEA.

Age, dic mihi, quinam in hoc præceptum peccant?

THEOPHILVS.

Qui verbum dei audire, aut diſcere, aut docere nolunt: qui Deum non orant in ſpiritu & veritate: qui toti in Dei laudem & gratiarum actionem non incumbunt: qui non

omnia

omnia opera ſua ſentiunt à Deo authore profecta : qui diebus feſtis, propter opera reuocātur à Dei cultu,niſi eos excuſet aut magna neceſsitas,aut vtilitas proximi. Itē qui ſpectaculis,luſib⁹,aleæ,ſaltationib⁹& choreis ſunt intenti: qui comeſſationibus,ebrietati, &vanis ſumptibus vacant: qui colloquiis prauis ac turpibus cātilenis diem ſanctum cōſpurcant:qui deambulant in templis, dum verbum Dei prædicatur,aut ſacra celebrantur.Non enim ſolemnitates inſtitutę ſunt,vt turpitudini aut voluptati ſeruiamus,ſed vt delicta prorſus abiiciamus. Offendunt etiam, qui, cùm videant alios diuerſa facere, iis non intercedunt, vt nomen Dei ſanctificetur, Dominus regnet, & illius fiat voluntas.

DOROTHEA.

Veniamus ad alterius tabulæ præcepta, quæ proximi dilectionem reſpiciunt.

THEOPHILVS.

Primum præceptum eſt : Honora patrem tuum & matrem:vt ſis longæuus ſuper terram, quam Dominus Deus tuus daturus eſt tibi.

DOROTHEA.

Curnam de honore primùm agit, qui parentibus deferri debet?

THEOPHILVS.

Conuenit ſanè,vt ſecundum Deum amemus,colamus, obſeruemus,ac veneremur parentes, quibus poſt Deum hoc debemus quod ſumus:qui nos ſecundum carnem genuerunt,pluſque laboris noſtra cauſa ſuſceperunt, quàm reliqui homines?

DOROTHEA.

Quomodo honorandi ſunt?

THEOPHILVS.

Honor multa complectitur,nempe amorem,timorem, obedientiam,reuerentiā,& omne obſequium. Nam reipſa Dominus iubet,vt filij parentes ament,reuereantur,colātr vt cum modeſtia & animi deiectione illis morigeri ſint & obſequentes, vt in neceſsitate iuuent, ſuaſque operas illorum vtilitati impendant,& iis in omnibus ſubditi ſint, quemadmodum Chriſtus parentibus ſubditus fuit. Cogi-

tant non ſolùm proximos eſſe noſtros,ſed etiã vitæ noſtræ cauſam, & hîc vicem Dei gerere:vnde quod à nobis Deus exigit,hoc parentibus impendere nos oportet.

DOROTHEA.

Qui parentes à nobis ſunt honorandi?

THEOPHILVS.

Carnales & ſpirituales.Nam parẽtum nomine omnes intelligimus,in quorum fide & clientela ſumus, ſub quorum tutela degimus:vt ij ſunt qui nos procrearunt, ſacerdotes,paſtores,ſeniores,magiſtratus,prçceptores & domini,breuiter omnes qui nobis prçſunt:nam eosDeus in ſuperiorem honoris gradum extulit,cùm nulla ſit vel parentum, vel principum,vel præfectorum quorumlibet authoritas,nullum imperium,nullus honor, niſi ex Dei decreto: quia mundum ſic illi placet ordinare.

DOROTHEA.

Quid ſibi vult adiecta præcepto promiſsio:Vt prorogẽtur dies tui ſuper terram , quam daturus eſt tibi Dominus Deus tuus?

THEOPHILVS.

Diu beneficio Dei victuros,qui debito parentes honore affecerint,ſignificat:idque,quatenus in bonum animæ & ſalutem ipſorum expediet. Interdum enim accidit , vt quò quiſque à Deo magis diligitur,eò citius abripiatur ex hac vita:etſi ea,quantiſcunque ærumnis referta ſit & miſeriis obnoxia,benedictio Dei ſit erga fideles,vel hac vna de cauſa,quòd paterni eius amoris argumentum eſt,dum eos hîc alij & conſeruat. Quocirca beneficit loco longã huius vitæ durationem Deus illis pollicetur.

DOROTHEA.

Quid iis fiet,qui parentibus fuerint contumaces?

THEOPHILVS.

Non in extremo tantùm iudicio ab iis Dominus pœnas acerbiſsimas exiget,ſed hîc quoque in eorum corpora animaduertet,aut hinc omneis tollendo in medio ætatis flore,aut ignominioſo mortis genere plectendo , aut aliis miſerandis affligendo modis.

DOROTHEA.

Quis ſenſus eſt horum verborum, Super terram,quam

Dominus Deus tuus daturus eſt tibi?

THEOPHILVS.

De terra Chanaam ſpeciatim loquitur promiſſio, quantum ad Iſraelitas ſpectat: ſed generatim intelligere oportet, quancunque regionem incolamus, quum Domini ſit totus orbis, eam nobis illum poſsidendam tradere.

DOROTHEA.

Qui tandem in hoc præceptum peccant?

THEOPHILVS.

Qui debitum parentibus obſequium negant, qui inopia laborantes non iuuant: quos parentum ſuorum, quòd illi aut pauperiores, aut alioqui calamitoſiores, aut contemptiores ſint, pudet. Multò grauius delinquunt, qui pro bonis parentum admonitionibus conuicia probráque ingerunt: qui mala iis precantur: qui eos decipiunt: qui violentas illis manus afferunt, obtrectant, oderunt, minùsque ſe præſtant obſequentes: qui non ob præceptum Dei magnificè de illis ſentiunt: qui eos non colunt, etiam ſi iniuria ab ipſis ſint affecti. Adhec offendunt, qui dominos, iudices, aut magiſtratus ſuos honore non proſequuntur: qui non fideliter illorum exequuntur iuſſa, neque illis parent, ſiue boni ſint, ſiue mali: qui non quantum poſſunt adnituntur vt illis amor & obedientia præſtetur. Superbi ergo, ſeditioſi & contumaces, aut alioqui in parendo ſegnes huic præcepto repugnant.

DOROTHEA.

Recita quintum præceptum.

THEOPHILVS.

Non occides.

DOROTHEA.

Expone, ſodes.

THEOPHILVS.

Chriſtus ipſe hanc legem interpretatur, eam ſpiritualem eſſe oſtendens, quæ non externis tantùm operibus, ſed ſpiritu potius & animi affectu ſit implenda. Audiſtis (inquit) dictum eſſe antiquis, Non occides: quiſquis autem occiderit, obnoxius erit iudicio. At ego dico vobis: Quiſquis iraſcitur fratri ſuo temere, obnoxi⁹ erit iudicio. *Mat.5*

Quicunque verò dixerit fratri ſuo Raca,(quæ vox hominem nequam & nullius frugis ſignificat) obnoxius erit concilio & iudicum conſeſſui , atque adeo trahetur in ius. Quiſquis autem dixerit, Fatue, obnoxius erit incendio gehennæ.

DOROTHEA.

Hæc Chriſti verba clariori apud me explanatione egēt. Tu igitur illa familiarius explica.

THEOPHILVS.

Treis iræ gradus cōſtituit Dominus: Primus eſt, ira in animo concepta, quæ nihil aliud eſt quàm odium, æmulatio, & inuidia, dolòrque vindictam flagitans. Proximus eſt, ira in indignationis vocem erumpens, ac ſigno aliquo corporiſque geſtu denotans animi malitiam. Tertius eſt, ira in manifeſtum progreſſa cōuitium: vt cùm dicimus Fatue, cùm maledictis aliquem inceſſimus, vi rapimus, & ſimilia facimus. Chriſtus ergo omni violentia & iniuria, ac omnino quauis noxa, qua proximi corpus lædatur, nobis interdicit. Iubet autem, ſiquid in opera noſtra ad tuendam proximorum vitam ſubſidij eſt, id fideliter vt impendamus: quæ ad eorum tranquillitatem faciunt, procuremus: depellendis noxis excubemus: ſiquo in diſcrimine ſunt, auxiliarem ipſis porrigamus manum: in ſumma, cōſeruandæ tuendæque eorum vitæ ſtudeamus. Nam non ſolùm qui cædem edit, & vitam adimit proximo, parricida eſt apud Deū, ſed & qui fratrem odio proſequitur, eíque nocere parat. Proinde exigit hac lege, vt omneis mortales, inimicos etiam, verè & ex animo diligamus, benefaciamus iis qui oderunt nos, & oremus pro iis qui nos calumniis premūt ac perſequuntur, ſaluti ipſorum non diſsimulanter conſulentes. Cùm enim & imago Dei ſit homo, & caro noſtra, niſi imaginē Dei violare libeat, ſacroſanctum habere illū: niſi omnes velimus exuere humanitatem, vt carnem propriam fouere debemus. Imaginem ergo Dei in proximo noſtro impreſſam reuereamur, & carnem noſtram amplexemur.

DOROTHEA.

Qui hoc præceptum violant?

THEOPHILVS.

Qui ſimultates exercent cum proximo: qui odio, ira, aut inuidia contabeſcunt: qui litigant, qui ſeditioſi ſunt, alios miſerè vexant: qui ſigna odij quouis pacto oſtendũt, qui proximum inſectantur, qui conuiciantur aliis, obtrectationibus & famoſis epigrammatibus honorem proximi contaminant, qui vlciſcuntur: qui proximi vitia aut errata non tegunt, nec excuſant, imò latius ea ſpargunt: qui non ignoſcunt inimicis, ſed malum malo referunt: non pro iis orãt, nec ipſos officiis proſequuntur. Sub hoc porrò præcepto omnia præcepta continentur, quæ vel ex ira, vel odio promanant: cuiuſmodi ſunt cædes, bella, incendia, iurgia, lites, mœror in alterius rebus ſecundis. Peccant etiam qui officio charitatis etiam erga inimicos non funguntur: qui diſcordias ſerunt aut fouent: qui rixas excitant: qui, cùm poſsint, pacem inter diſcordes non conciliant, nec diſcordiarum tollunt ſemina.

DOROTHEA.

Iam ſextum præceptum aggredere.

THEOPHILVS.

Non mœchaberis, hoc eſt, proximum tuum, vxorem eius ſtuprando, contumelia & mœrore non afficies.

DOROTHEA.

An adulterium tantùm hoc præcepto prohibetur?

THEOPHILVS.

Imò Deus omnem penitus adulterij cauſam & radicem, atque adeò affectus omnes, qui illuc tendunt, vetat. Lex enim cùm ſit ſpiritualis, non tam externo opere, quàm internis animi affectibus eſt adimplenda. Vnde adulterium cordis Chriſtus ipſe apud Deum crimen eſſe docet, à quo, niſi iram eius velimus in nos prouocare, diligenter nobis ſit abſtinendum. Audiſtis (inquit) dictum eſſe antiquis, Non committes adulterium. At ego dico vobis, Quicunque aſpexerit mulierem aut vxorem alterius, ad concupiſcendum eam, iam adulterium commiſit cum ea in corde ſuo. Vides adulterij nomine pariter damnari omnem affectum animi ad illicitas libidines procliuem? Ideò iuxta Chriſti præſcriptum præcidenda eſt omnis concupiſcentia: fugienda prorſus omnis ſcortatio, omnis illicitus coitus, omnîſque fœda libido extra matrimonium.

Grauis enim & pernicioſa peſtis eſt homini libido, quæ omnes animi conatus ſemel occupat, mentem adimit, conſilium omne extorquet, à ratione abducit, nec quietum eſſe, nec alia cogitare permittit, quàm vt totius mẽtis ſubmerſione ad ſuas cupiditates quoquo modo eluctetur. Quamobrem Apoſtolus libidines cæcitate & amentia puniri docet his verbis: Hoc itaque dico, & teſtor per Dominum, ne poſthac ambuletis, quemadmodum & reliquæ gentes ambulant in vanitate mentis ſuæ, dum mentem habent obtenebratam, abalienati à vita Dei, propter ignorantiam quæ eſt in illis, & excæcationem cordis eorum: qui poſtquam eò peruenerunt, vt dolere deſierint, ſemetipſos dediderunt laſciuiæ, ad patrandam immunditiam omnem cum auiditate.

Epheſ.4.

DOROTHEA.

Quid præterea hac lege Deus à nobis exigit?

THEOPHILVS.

Quandoquidem tum corpora noſtra, tum animæ, templa ſunt ſpiritus ſancti, requirit vt caſtam vtriſque puritatem præſtemus, ſanctíque ſimus corpore & ſpiritu. Ac proinde non externi tantùm flagitii abſtinentia ſimus pudici: ſed etiam corde, verbis, geſtu denique corporis, & actione. Poſtremò, corpus ab omni laſciuia purum ſit, animus ab omni libidine: vt nulla pars noſtri impudicitiæ ſordibus ſit inquinata. Virtutes ergo fœdæ libidini contrarias exigit, nimirùm caſtitatem, temperantiam, continentiam, ſobrietatem, verecundiam, non factorum modò, ſed etiam verborum & morum: atque eas exercitationes, quibus hæ virtutes retinentur: veluti ſunt ieiunia, orationes, vigiliæ, & corporis labores.

DOROTHEA.

Quid de iis cenſes, qui ab incontinentia vexantur, & ſuperiores in certamine eſſe nequeunt?

THEOPHILVS.

Si caſtitatis ſe voto non aſtrinxerunt, nec mancipa-runt ſacerdotio, ad matrimonij ſubſidium conferre ſe poſſunt, vt ita in ſuæ vocationis gradu caſtitatem colant. Non ſolùm enim caſtitas virginum aut viduarũ eſt, ſed etiã

coniugum,quemadmodum teſtatur Apoſtolus. Honorabile,inquit,coniugium & cubile immaculatum. Quomodo enim caſtum ac pudicum non erit, quod ſanctificauit & mundauit Deus? Eſt enim matrimonium Dei ordinatio,atque etiam ſacramentum,quo poſſunt vti omnes qui non continent, ſi nec voto ſunt illigati, nec ſacerdotio mancipati. Sicut Paulus inquit: Propter ſtupra vitanda, ſuam quiſque vxorem habeat. Et, Si autem non continent, nubant, Melius eſt enim nubere, quàm vri: id eſt, libidinis incendium moleſtiámque corporis non ſe continentes pati, & illis vinci. Quem ergo ſingulari gratia Dominus ab effreni libidine non exemit, is propoſito, conceſſóque remedio intemperantiæ ſuæ ſuccurrat, voto non impeditus nec ſacerdotio. Verùm vt caſtum & immaculatum ſeruetur matrimonium,eo non quomodolibet, ſed ſanctè vti oportet. Alioqui ſi immodicè ſeruiatur libidini, aut congreſſus ita peragatur inter fœcundos, vt inde nulla ſit ſpes prolis, talis abuſus non procul aberit ab adulterio. Non enim,ſi incontinentiæ turpitudinem velat matrimonij honeſtas, ideo eius irritamentum protinus eſſe debet. Caſta mens & amor ſyncerus coniuges decet. Itaque non omnia ſibi licere exiſtiment: ſed ſuam quiſque vxorem ſobriè habeat, & viciſſim vxor virum:ſic agentes,nequid omnino indignum honeſtate ac temperantia matrimonij admittant: non enim debet coniugium in Domino contractum in extremam quaque laſciuiam exundare.Hanc petulantiam Xiſtus Pythagoricus graui quidem,ſed non indigna ſententia notauit, quum vxoris adulterũ vocauit,qui in vſu coniugali nullã verecundiæ vel honeſtatis curam habet.Adulter etiam(inquit)propriæ vxoris eſt,omnis impudicus,vel amator ardentior.

Heb.vlt.c. *Gen. 2.* *In enchiridio.*

DOROTHEA.

Sed an protinus impudicitiæ damnari debet,qui acerrimis libidinum aculeis extimulatur,vtvt vim illam eluctari contendat?

THEOPHILVS.

Quandiu animus intus libidine non ardet, nec concupiſcentiæ cedit,à peccato vindicatur. Tametſi enim perfecta caſtitas totam cordis munditiem requirit, tamen con-

tinentiæ palmam apud Deum non amittit, qui impudicis deſideriis exagitatus, ſic repugnat, vt quod peruerſa cõcupiſcentia ſuggerit, nec animo decernat, nec corpore perficiat. Imò ſpecioſior eſt & maiori laude digna continentia quæ contra voluptatum ſtimulos pugnans ſuperat, quàm quæ nullis impetita flammis quieſcit. Sicut nemo ſine hoſte præmia victoriæ meretur: ſed qui ancipiti prælio circumuentus, fuſo fugatóque hoſte, victor reddit, triumpho dignus iudicatur. Nemo tamen ſuis viribus contra concupiſcentiam præualet, aut caſtitatem tueri induſtria conſilij poteſt, ſed vbi labore, vigiliis, & varia corporis afflictione cõcupiſcentiam debilitare tentauerit, victoriam caſtitatis à Deo ſupplicibus verbis & precum aſſiduitate impetrare contendat, iuxta Sapientis admonitionem, dicentis: Et vt ſciui quoniam aliter non poſſem eſſe continens, niſi Deus det (& hoc ipſum erat ſapientia, ſcire cuius eſſet hoc donum) adij Dominum, & deprecatus ſum illum. *Sapien.* 8.

DOROTHEA.

Dic, amabò, quinam hoc præceptum violant?

THEOPHILVS.

Qui vitiant virgines, qui adulterium aut inceſtum cõmittunt, aut aliud quippiam huiuſmodi libidinis exercent: qui perſonis ad venerem exercendam alio modo, quàm diuina creatione inſtitutum eſt, vtuntur: qui vel obſcœno ſermone, vel cantionibus, vel hiſtoriis, aut quouis pacto libidinem irritant: qui viſu, tactu, aut cogitationibus carnem contaminant: qui crapulæ, ebrietati, otio, deſidiæ, ſomno nimio indulgent, & occaſiones libidinis & mulierculárum conſuetudinem non vitant: qui vel immodico luxu in veſtitu, vel morum laſciuia alios ad libidinem extimulant: qui aliorum pudorem ac caſtitatem, ſi poſſint, conſilio aut auxilio ſuo non conſeruant: qui intemperata & diſſoluta libidine coniugium conſpurcant: qui coniugem repudiant, aut non ex animo diligunt: qui aduerſus eam amarulenti ſunt: qui debitam beneuolentiam denegant.

DOROTHEA.

Veniamus ad ſeptimum.

THEOPHILVS.

Non furaberis.

DOROTHEA.

Ecquid hoc præcepto prohibetur?

THEOPHILVS.

Non ea tantùm furta prohibet, quę humanis legibus puniuntur, ſed etiam malas omne genus fraudandi circunueniendíque arteis quibus aliena bona aucupamur. Siquidem furti nomine omnem rei alienæ iniuſtam vſurpationem, affectationem, & cupiditatem accipere debemus. Hîc ergo vetamur, tum violenter inuolare in bona proximorum, tum per vafritiem & dolum illis manum iniicere, tum aliis quibuſcunque obliquis rationibus illa interuertere, & ad nos transferre. Cùm autem ſpiritualis ſit legiſlator, intelligere oportet eum non externa tantùm furta coercere velle, ſed omnia ſimul conſilia & ſtudia quæ aliis omnino incommodent, atque ipſam in primis cupiditatem. Nec enim iuſtum eſt vt aliorum damno rem familiarem amplificare, & cum iactura fratrum diteſcere velimus.

DOROTHEA.

Quid poſtulat à nobis Deus hoc præcepto: quídve agendum eſt, vt illi pareamus?

THEOPHILVS.

Summam à nobis exigit ſynceritatem atque iuſtitiam, qua diligenter curemus, vt ſuum cuique ſaluum ſit: deinde benignitatem ac liberalitatem erga proximum egentem, vt quos rerum difficultate viderimus premi, eorum neceſſitatibus communicemus, ac noſtra copia ſubleuemus eorum inopiam: Demus (iuxta Chriſti verbum) omni potenti, & volentem à nobis mutuari non auerſemur. Prohibet etiam iniuſtè lites intendere pro terrenis bonis. Præſtat enim (vt ait Diuus Paulus) iniuriam accipere, quàm litigare. Quod à Chriſto accepit, *1. Cor. 6.* qui monet, vt ſi quis nobiſcum voluerit iudicio contendere, & tunicam nobis eripere, ei permittamus & pallium, & aduerſario conſentiamus. Admonemur etiam laboris & ſedulitatis atq; adeo frugalitatis, ne ſcilicet noſtra culpa ad inopiam redigamur, ſed honeſtis laboribus ma- *Mat. 5.*

nuum ea potius paremus quæ ad victum cultúmque corporis ſuppeditent, ac vnde egenti ſubueniamus, quemadmodum ait Apoſtolus: Qui furto compilabat alios, non amplius furetur: magis autem laboret operando manibus quod bonum eſt, vt poſſit impertiri ei qui opus habuerit. Inſuper præcipit legiſlator, vt reſpiciat vnuſquiſque, quatenus ex officio aliis ſit obligatus, ac quod debet, bona fide perſoluat. Ad poſtremum, vt noſtra ſorte contenti, nullum niſi honeſtum & legitimum lucrum facere ſtudeamus, nec intemperanter vndecunque quo iure quáque iniuria cumulare conemur opes, quò vel expleatur noſtra auaritia, vel prodigentiæ ſatisfiat: quin potius aliorum commodis atque vtilitatibus & tuendis & promouendis ſtudeamus, iuxta illud Chriſti: Omnia quæ volueritis vt faciant vobis homines, eadem & vos facite illis.

Epheſ.4. *Mat.7.*

DOROTHEA.

Quinam in hoc præceptum peccant?

THEOPHILVS.

Qui furantur, prædantur, aut fœnus exercent: qui alio pondere aut menſura, quàm publicis legibus conſtitutum eſt, homines fallunt: qui corruptas merces vendunt: qui per fraudem in aliorum hæreditates inuolant, aut aliorum intercipiunt reditus: qui iuſtam mercedem mercenariis non pendunt, aut negant debitum. Mercenarius item, qui non præſtat quod pollicitus eſt, neque exequitur quod ex officio debet. Similiter ſeruus, qui dominum ludibrio habet, eius diuulgat arcana vllo modo, vitam aut bona eius prodit. Dominus itidem, qui familiam immaniter vexat. Adhæc qui indigenti ita dant mutuum, vt præter ſortem, nonnihil lucri ad ſe inde redeat. Denique omnes auari, quíque feſtinant magnas parare opes: qui monetam publicam adulterant: qui aliorum fortunis inſidiantur: qui cùm poſſint, non caueant ne in calamitatem aliquam ſuarum rerum incidat proximus: qui cùm videant impendere damnum aliis, eos non præmonent: qui occaſionem rei bene gerendæ aliis præripiunt: qui inuident aliis ſecundam fortunam. Breuiter, omnia vitia quæ cum iuſtitia & æquitate pugnant,

Exod.22. *Leuit.25.* *Eze.18.* *Pſal. 15.* *Luc. 6.*

huic

huic præcepto aduerſantur.

DOROTHEA.

Octauum, ſi libet, præceptum explica.

THEOPHILVS.

Non dices contra proximũ tuum falſum teſtimonium.

DOROTHEA.

Ecquid hoc præcepto poſtulat, ecquid prohibet Dominus?

THEOPHILVS.

Prohibet ne proximum calumniemur, néve maledicentia & obtrectationibus lædamus eius famam, aut aliquam illi noxam adferamus in bonis. Falſi enim teſtimonij nomine omnem ſermonem inordinatum, obtrectationem, & abuſum linguæ, atque adeò mendacium omne, quo proximus damno afficitur, comprehendimus. Chriſtus autem perfectionis magiſter vim huius præcepti ad cor ipſum & affectus transfert, docens eum etiam contrà proximum falſum teſtimonium dicere, qui vel dicere cogitauit pro re nata, & oblata occaſione. Quæ, inquit, *Mat.* 15. proficiſcuntur ex ore, ex ipſo corde egrediuntur, & illa impurum reddunt hominem: hoc eſt, ea quæ in corde latent, & quum data fuerit occaſio, foras erumpunt, conſpurcant hominem. Nam ex corde exeunt cogitationes malæ, cædes, adulteria, ſtupra, furta, falſa teſtimonia, conuicia. Deinde hoc præcepto exigi docet, vt non à mendacio *Mat.* 12. ſolùm, ſed ab omni etiam verbo otioſo temperemus. Dico, inquit, vobis, quòd de quocunque verbo otioſo quod loquuti fuerint homines, reddituri ſunt rationem in die iudicij. Et diuus Paulus magiſtri ſui interpres: Omnis ſermo ſpurcus (inquit) ex ore veſtro ne procedat: ſed *Epheſ.* 4. ſi quis eſt bonus ad ædificationem, quoties opus eſt, vt det gratiam audientibus. Atque alibi monet ne obſcœnitas, *Epheſ.* aut ſtultiloquium, aut vrbanitas, quæ non conueniunt, inter nos nominentur. Neque verò à maledicendo tantùm arcere nos vult Dominus, ſed etiam à malis ſuſpicionibus, ſiniſtríſque & iniquis iudiciis: quemadmodum Chriſtus ipſe interpretatur, cùm ait: Nolite iudicare, & *Mat.* non iudicabimini: nolite cõdemnare, & non condemnabimini: his enim verbis omne temerariũ iudiciũ de proximo

prohibet,in iis rebus ſcilicet,quæ poſſunt & bono & malo animo fieri. Tum enim Deo iudicium relinquendum eſt, nec de alterius corde,quod non videmus, temerè proferenda ſententia. At in iis rebus,quæ ita fiunt, vt eas bono animo & caſto fieri non manifeſtum ſit, iudicare licet, vt hoc præceptum non violemus. Sed hîc ad tria reſpicien dum eſt. Primùm,vt rem oratione non exaggeremus, ſed noſtræ quoque infirmitatis memores, cum odio criminis,charitatem perſonæ proximi retineamus. Secundò,ne non ſuo loco & tempore,quũ ſcilicet iudicando nihil profuturi ſumus, iudicemus. Nam qui aliter iudicat, à charitate excidit: tantúmque abeſt vt malum corrigat,vt etiam deteriorem faciat. Tertiò,ſi peccatum in nos priuatũ fuerit,modus iudicandi à Chriſto præſcriptus, ſeruandus eſt. Si peccauerit,inquit,in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipſum ſolũ.Nã hoc eſt opus charitatis,quando fratrem in te priuatim peccantem ita corripis, vt ſaluus fiat. Hanc legem ſi ſemper memori mente tenebimus, ad proximos infamandos non erimus propenſi, nec ad malè de iis ſentiendum: quin potius omnia in meliorem partem interpretabimur, vitia proximi patienter ferentes atque etiam tegentes. Atque hoc eſt,quòd nos miſericordes Chriſtus eſſe vult,id eſt,dextro ac candido corde erga proximum. Ea ergo ſimus æquitate & humanitate præditi, vt de illo, quantum veritas patitur, benè ſentiamus, eíque ſartam & tectam (vt aiunt) ab omni incommodo, detrimento,moleſtia,ſynceram integrámque exiſtimationem conſeruare ſtudeamus. Deus enim hoc præcepto homini famam,honorem,laudem,& bonum nomẽ tueri con tendit, in quibus eum venenata lingua nonnunquam per ſummam iniuriam atrociſſimè lædit. Ideóque requirit in nobis non tantùm linguæ,ſed & cordis veritatem,ſimplicitatem,ac ſynceritatem, vt non aliud lingua loquatur, quàm quod mens ſentit. Nam cùm mentis interpres ſit oratio, fieri non poteſt quin peccetur, ſi aliud ſit in ore promptum,aliud clauſum in pectore.Vnde & Pſalmographus eum demum in domicilio Dei habitaturum pronun- *Pſal. 15.* ciat, qui loquitur veritatem in corde ſuo, qui lingua ſua nõ detraxit,nec fecit proximo ſuo malũ. DOROTHEA.

Qui

Qui tandem peccant in hoc præceptum?

THEOPHILVS.

Qui in iudiciis veritatem aut diſſimulant, aut fraude opprimunt: qui mendacia aduerſus cognitam veritatem committunt. Omnes etiam aſſentatores, delatores, & bilin gues: qui proximi vitam, dicta aut facta calumniantur, aut conuiciis aſpergunt: qui fraude aut mendaciis in calamitates alios coniiciunt: qui calumniatoribus ac obtrectatoribus patefaciunt aures, eos fouent, & ſe illis non oppo nunt: qui proximi famam non defendunt, obtrectatores reprehendendo: qui non candidè omnia interpretãtur, ac aliorum errata non tegunt: qui veritatem non tuentur, ſicubi periclitetur.

DOROTHEA.

Veniamus ad duo poſtrema præcepta.

THEOPHILVS.

Non concupiſces domum proximi tui: nonum præceptum eſt. decimum verò, Non deſiderabis vxorem eius, non ſeruum, non ancillàm, non bouem, non aſinum, nec quicquam eorum quæ illius ſunt.

DOROTHEA.

Quum ſpiritualis ſit tota lex, nec coërcendis tantùm externis operibus, ſed corrigẽdis etiam animi affectibus poſita ſint ſuperiora præcepta, quid hîc amplius additur?

THEOPHILVS.

Nonnulli exiſtimãt reliquis præceptis Dominum volun tates atque affectus regere & moderari voluiſſe: hîc verò etiã cogitationibus, quæ nõnullã cupiditatẽ ſecũ trahant, legem imponere, cùm ex naturæ noſtræ vitio prodeant. Li cèt enim prauæ cogitationes à Deo piis nõ imputentur in peccatũ, niſi accedat cõſenſus: tamen ab oculis Dei procul omnes remouendæ ſunt, ne cor noſtrum ita titillent ac ſol licitent, vt tãdem ad firmam deliberatámque voluntatem pertrahant. Nam (vt diuus Iacobus docet) concupiſcentia vbi conceperit, id eſt, conſenſum ad ſe traxerit, parit peccatum, id eſt, reum agit. Nam conſentiente voluntate ipſi illicito & prohibito, peccatum eſt. Peccatum verò quũ conſummatum fuerit, id eſt, plenè deliberatum, & ex integro ipſi concupiſcentiæ cõſenſerit voluntas, ſiue in actum

exierit externum,ſiue non, generat mortem, hoc eſt,mortale eſt,deducens ad pœnam & damnationem æternam. Itaque illi tam exactam hîc a nobis requiri integritatem ſentiunt,vt nullam peruerſam cupiditatem corda noſtra admittant,qua ad peccatum ſtimulentur & proſiliant. Intelligemus ergo his poſtremis præceptis prohiberi concupiſcentiam,ne quid cupiditate,aut conatu animi, in perniciem aut cōtumeliam proximi moliamur. Hic autem verborum contextus non incommodè in duo præcepta diuiditur,propter duplicem concupiſcentiam, qua homines ad mutua damna &contumelias mouentur.Vna eſt concupiſcentia boni vtilis: altera boni delectabilis. Vna concupiſcentia quæſtus,altera verò voluptatis.Vna eſt cupiditas lucri, altera appetitus rei venereæ.Ad lucri cupiditatē coercendam referuntur hæc verba : Non concupiſces domum proximi tui,non ſeruum,non ancillam,non bouem,non aſinum,nec omnia quæ eius ſunt.Ad refrenādam libidinem iſtud pertinet : Nec deſiderabis vxorem eius . Quod poſt præceptum non mœchandi neceſſariò adiūctum eſt,ne rudis populus crederet, voluntatem ad libidinem explendam procliuem,aut etiam improbum adulterij conatum à peccato eſſe immunem,quandiu nō ſequeretur ſucceſſus. Tametſi verò Deus ſexto præcepto omnem affectum damnat ad illicitas libidines pronum , & cum ipſo malo facinore, malam etiam voluntatē prohibet : tamen hoc præceptum, Non deſiderabis vxorem proximi tui: hoc habet amplius, ne quis, etiam iuſtis & apud homines licitis rationibus,alienam vxorem conetur facere ſuam.Iudæis enim,etſi mœchari vetabantur , licebat tamen ab altero dimiſſam ducere.Inueniebantur itaque qui, licèt vxorem alterius adulterio polluere non auderent, rationem tamen inirent, vt repudiatam,& ab alio dimiſſam ducerēt,nonnūquam ſollicitantes vxorem,aut occaſiones ſubiicientes,quibus offenſus prior maritus vxorē dimitteret, quam dimiſſam mox,qui concupiuerat,occuparet.Chriſtiani autē,quibus repudiandi poteſtas adempta eſt,præceptum hoc violāt,quoties virginem alteri deſponſam, callidis conſiliis præripiunt, aut ne deſpondeatur,impediunt: aut quoties proximo inuidēt vxorem meliorem, locupletiorem , pulchriorem,& magis

pudicã,adeo vt illam ſibi, ſi vlla detur occaſio, vxorem eſſe velint.Similiter alia lucri cupiditas ſeptimo,alia his pręceptis prohibetur.Illo enim iniuſta rei alienæ vſurpatio prohibetur,ne quis furto aut dolis alienas facultates ſurripiat. His autem vetatur,ne quis, etiam licitis & à iure permiſsis rationibus,rem alienã conetur facere ſuam,qua videt proximum ſine dãno carere non poſſe.Itaque affines ſunt ſceleri,non tantùm qui rationibus manifeſtè iniquis proximi facultates ad ſe transferre conãtur,aut etiam affectant: ſed etiam illi,qui quocunque modo locupletari ſe cum alterius iactura & damno cupiunt.

DOROTHEA.

Omnis ergo concupiſcentia mala, quantum intelligo,& ſollicitudo huius ſeculi hîc prohibentur.

THEOPHILVS.

Sic eſt. Sed iubet etiam Dominus oculũ noſtrũ ſimplicem eſſe, hoc eſt,intentionem rectam, in gloriam ſuam, & proximi commodum directam.Poſtulat à nobis cor mundum,ne vitioſis cupiditatibus ſordeſcat,neque deflectamus in amorem inordinatum proximi: ſed habentes alimenta, & quibus tegamur, iis contenti ſimus. Nam qui volunt diteſcere,incidunt in tentationem & laqueum, & cupiditates multas, ſtultas ac noxias,quę demergunt homines in exitium & interitum. Siquidem radix omnium malorum eſt ſtudium pecuniæ. Magnus autem quæſtus, pietas eſt cum animo ſua ſorte contento. Nihil enim intulimus in hunc mundum,videlicet nec efferre quicquam poſſumus. *1.Tim.6.*

DOROTHEA.

A quibus in hæc duo poſtrema præcepta peccatur?

THEOPHILVS.

Qui quouis modo aliorum fortunis inſidiantur: qui ſeruos vel ancillas ad ſe pelliciunt contra voluntatem dominorum: qui quouis pacto, proximo eſſe cogitant incõmodo,vel qui conſentiunt aliis: qui doloſè & iniuſtè cum proximo agunt: qui non reprimunt oratione, ſtudio ſacrarum literarum, & piis exercitationibus prauos concupiſcentiæ motus: qui non vitant omnem peccandi occaſionem: qui non comprimunt oculos, ne videant vanitatem: qui non obſtruunt aures ad cantus impudicos,

ad verba turpia & laſciua, ſed ſinunt ſe allici & capi voluptatum illecebris. Breuiter, contra hæc præcepta militāt auaritia, libido, & omnis mala cupiditas.

DOROTHEA.

Licétne iam breue totius legis compendium colligere?

THEOPHILVS.

Matt.22. Chriſtus eam in duo capita redegit, reſpondens legiſperito. Diliges, inquit, Dominum Deum tuū ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota mente tua. Hoc eſt primum & magnum mandatum. Secundum autem ſimile eſt huic: Diliges proximum tuum perinde atque teipſum. In his duobus mandatis tota lex & prophetæ pendent.

DOROTHEA.

Quid ſub amore Dei continetur?

THEOPHILVS.

Amori Dei adiuncta eſt eius reuerentia, voluntas illi obſequendi, & fiducia quæ in ipſo collocanda eſt. Itaque eum agnoſcere debemus Dominum, magiſtrum, patrem, & ſeruatorem: atque vt talem honorare, colere, & amare.

DOROTHEA.

Quid per totum cor, totam animam, & totam mentem intelligis?

THEOPHILVS.

Eam zeli vehementiam, vt nullis prorſus cogitationibus, nullis deſideriis, nullis ſtudiis ſit in nobis locus, quæ huic amori aduerſentur.

DOROTHEA.

Quis ſecundi capitis eſt ſenſus?

THEOPHILVS.

Quemadmodum natura adeò propenſi ad nos amandos ſumus, vt hic affectus alios omneis ſuperet: ita proximorum charitatē ſic regnare in nobis decet, vt nos omni ex parte gubernet, ſitque omnium & conſiliorum & operum regula.

DOROTHEA.

Quid proximi tibi nomen ſignificat?

THEOPHILVS.

Non cognatos modò & amicos, aut qui aliqua nobiſcum neceſſitudine ſunt coniuncti, ſed eos etiam, qui nobis inco-

incogniti ſunt, atque adeò inimicos : qui etſi peruerſitate cordis nos oderūt, inuiolabili tamen vinculo (quo vniuerſum hominū genus Deus colligauit)nobis coniuncti ſunt, proximíque manent,& eo à nobis loco ſunt habendi.

DOROTHEA.

Iam intelligo, quidnam credere, quídque facere debeā, vt æternam vitam conſequar. Nunc te hortarer, vt cætera perſequereris, ni ſubuererer, ne tibi importunitate moleſta forem. Id enim temporis eſt, vt ſurgendum cenſeam, & requieſcendum.

THEOPHILVS.

Quoniam ita cōmodum tibi videtur, in craſtinum differamus quod diſputationem antegreſſam cōſequitur,poſt meridiem de eo ipſo habituri ſermonem.

DOROTHEA.

Id ſanè mihi perplacet.Iam recedamus.

FINIS.

PETRI BVLENGERII TRECENSIS INSTITVtionum Chriſtianarum liber tertius.

THEOPHILVS.

SVPERIORIBVS diebus, ſuauiſsima ſoror, ſymbolum Apoſtolorum & decalogum explanauimus. Tertius hic diſputationis dies eſt, qui iam in pomeridianum tempus inclinat. Vide ergo, an me velis promiſsi munus conficere.

DOROTHEA.

Ego verò te, mi frater, cupidiſsimè audiam vti ſoleo. Neque enim quicquam iucundius eſſe mihi poteſt, quàm doctiſsimo tuo & maximè pio frui ſermone.

THEOPHILVS.

Agè igitur, expone quod vehementer noſſe cupis, à ſuperiori minimè diſiunctum diſputatione.

DOROTHEA.

Illud in primis ſcire aueo, an innocentiam, quam Deus exigit, meis viribus præſtare poſsim, vt eius opem non implorem.

THEOPHILVS.

Minimè verò id quidem: imò integram vim legis implendę à Deo ardenti precatione ambire oportet, qui ſolus eam præbet, diffundens in corda noſtra charitatem per ſpiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Charitas enim legem implet. Hac qui vacuus eſt, legi non poteſt ſatisfacere. *Rom. 5.*

DOROTHEA.

De oratione & modo orandi Deũ.

Agè igitur, expone, quid precationis nomine intelligas.

THEOPHILVS.

Per precationem, ego hîc accipio inuocationem diuini nominis, ſeu piorũ votorum oblationẽ factam in ſpiritu,

ex fide ſyncera,certa expectatione,ex affectu, & ardēti deſiderio prodeuntem : aut, ſi mauis, pium mentis aſcenſum in Deum. Tum enim orare dicimur, cùm mens noſtra in Deum eleuatur,& ei pia vota offert,ad ipſumque in quauis neceſsitate confugit.

DOROTHEA.

Cur dicis orationem ſiue inuocationem in ſpiritu fieri?

THEOPHILVS.

In ſpiritu quidem fit oratio, quoniam ille ſpirit⁹ ſanctus ſuggerit nobis occulta inſpiratione quid loquamur, aut petamus, & adiuuat infirmitatem noſtram. Nam quid oremus, ſicut oportet neſcimus : ſed ipſe ſpiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus, hoc eſt,ad inuocandum Dei nomen corda noſtra format,ſpiritus noſtros erigit,vt vota ſua exponere Deo audeant, & inenarrabiles in nobis gemitus excitat. In hoc ſpiritu clamamus cum fiducia, Abba,pater. Sicut enim ſine hoc ſpiritu nemo rectè ſapit, nemo rectè credit,aut intelligit,nemo rectè operatur : ita ſine eo nemo piè orabit. Quomodo enim orabimus,niſi adiuti ſpiritu ſancto,per fidem,accedamus ad Deũ, per ſpem erigamur,& per charitatem accendamur? *Rom.* 8.

DOROTHEA.

Cur fidem in oratione requiris?

THEOPHILVS.

Quum precamur, cõſtitutum id certò nos habere oportet,exauditũ nos iri à Domino,& quicquid petierimus,impetraturos,quatenus nobis cõducet. Niſi enim in certa bonitatis Dei fiducia acquieſcamus, nunquam ipſum ritè inuocabimus. Eſt ergò nobis fides neceſſaria,vt Dei benignitatem,veritatem,potentiam,& virtutem, orãtes amplectamur. Quemadmodum Chriſtus nos docuit,vt Deo preces in nomine ſuo offeramus,credentes, quicquid petierimus, id nobis datum iri.

DOROTHEA.

An neceſſe eſt,in vnius Chriſti nomine,Deum inuocare?

THEOPHILVS.

Prorſus. Nam & apertis verbis ita ille præcepit,& addidit promiſſionem,facturum ſua interceſsione vt conſequamur quę petimus. Amen amen (inquit) dico vobis,quęcũque petieritis patrem in nomine meo,dabit vobis. *Ioan.* 16.

DOROTHEA.

Quid eſt in Chriſti nomine petere?

THEOPHILVS.

Chriſtus ſeruatoris nomen gerit, ideóque in Chriſti nomine petit, qui ſalutaria tantùm poſtulat, quæque ad Dei gloriam, & proximi ædificationem faciunt. Qui vana rogat, nomen Ieſu ludibrio habet, & Deũ contemnit: quia ſpem non in Deo, qui non videtur, ſed in diuitiis & inani gloria collocat. Ne ergo petas gloriam ſeculi & diuitias, ex affectu, vt in illis conquieſcas: alioqui, nihil orando proficies, vti diuus Iacobus docet. Petitis, inquit, & non accipitis, eò quòd malè petatis, vt in voluptatibus veſtris inſumatis.

Iacob. 4.

DOROTHEA.

Cur in orationis definitione, eam cum certa expectatione fieri dixiſti?

THEOPHILVS.

Quia omni diffidentia preces noſtræ vacare debent. Vt diuus Iacobus indicat, cùm ait: Si cui veſtrûm deeſt ſapientia, poſtulet ab eo qui dat, nempe Deo: qui dat, inquam, omnibus affluenter, nec exprobrat: ac dabitur ei. Sed poſtulet cum fiducia, nihil hæſitans. Nam qui hæſitat, is ſimilis eſt fluctui maris, qui ventis agitur, & impetu rapitur. Neque enim exiſtimet homo ille ſe quicquam accepturum à Domino: quandoquidem duplici eſt animo, cordéque minimè certo, ſed inquieto, in quod ſe gratia Domini inſinuare non poteſt, quemadmodum maris fluctus non facilè formam vllam recipit, quum vẽto mouetur, & huc atque illuc circumagitur: deinde malè de Deo ſentit, cuius auxilium implorat, quaſi aut non velit, aut non poſſit ſuis promiſſis ſatisfacere. Simplicem ergo & nuſquam vacillantem fiduciam noſtram eſſe oportet, quæ Deum ſemper reſpiciat, qui neminem ſibi fidentem deſtituit, ſiue contingat viuere ſiue mori: eius ſe miſericordiæ & promiſſis committat, credens Deum veracem, fidelem in omnibus verbis, & ſanctum in omnibus operibus ſuis. Quocirca eorum qui hæſitantes orant, ac audiantur necne à Deo incerti ſunt, vanæ ſunt & irritæ preces, quum nulla ſint promiſsione ſuffultæ.

Iac. 1.

DOROTHEA.

Vndenam poterimus tam certam ſpem & confidẽtiam concipere, vt cùm peccatores ſimus, tot modis indigni Dei conſpectu, ſiſtere tamen nos coram ipſo audeamus?

THEOPHILVS.

Quàm plurima ſunt, quæ nos ad tam ſanctam ſpem erigant. Primùm, promiſsiones in Euangelio frequentiſsimæ, quibus certò fore cognoſcimus, vt quicquid credentes petierimus, accipiamus. His ergo ſimpliciter, omiſſa dignitatis noſtræ ratione, ſtandum eſt. Deinde erigit nos patris benignitas, qui denegare non poteſt ſpiritum bonum rogantibus ſe. Animat etiam nos, ſi filij Dei ſumus, ſpiritus eius, atque inſtigat, vt ad eum tanquam ad patrem familiariter nos recipere nihil dubitemus. Poſtremò Chriſtus ſe nobis conciliatorem mediatorémque proponit, qui nobis aditum patefacit ad patrem, ne ideo, quòd conſcientia premimur noſtrorum peccatorum, maieſtatẽ eius glorioſam horreamus, ac de impetranda gratia, iíſque obtinendis quæ cum fiducia petierimus, certos nos reddit.

DOROTHEA.

Poſtremò dixiſti, orationem ex affectu & ardenti deſiderio prodire oportere. Nunquid ſatis eſt, lingua & labiis orare?

THEOPHILVS.

Nequaquam: Si enim lingua det ſine mente ſonum, & inani quodam ſtrepitu feriat aures, perinde atque fluctus littora ferit, Propheticum illud nobis exprobrabitur: Populus hic labiis me honorat: cor vero eorum longè eſt à me. *Eſa. 29.* Licèt ergo lingua non ſemper neceſſaria ſit, mente tamen atque affectu pio oratio vera nunquam carere poteſt. Cùm enim Deus ſpiritus ſit, cùm alias ſemper cor ab hominibus exigit, tum verò in oratione præſertim, qua cum ipſo communicamus. Quamobrem non niſi iis, qui ipſum in veritate inuocauerint, propinquum ſe fore pollicetur: ex aduerſo autẽ execratur omnes & abhorret, qui per fictionem & non ex animo precantur. quemadmodum ſcriptum eſt: Venit hora & nunc eſt, quando veri adoratores adorabunt patrem in ſpiritu & veritate. Nam & pater tales quærit qui adorent eum. *Ioan. 4.* Spiritus eſt Deus, & eos qui adorant

eum, oportet in ſpiritu & veritate adorare, id eſt, vero cordis affectu & pura ſynceráque mente, omni ſepoſito fuco, ſummotáque ſimulatione: non carnalibus vtique ſacrificiis, ſed ſpe, fide, & charitate, viq́ue Dauid ait ſpiritu contrito & humiliato, hoc eſt, affectione animi, qui propter agnitionē, & ſenſum acrem peccati fractus, afflictus & proſtratus, in ſola Dei miſericordia ſpem ſalutis collocet. Hoc enim Deo ſacrificium eſt longè acceptiſsimū, & cultus verè ſpiritualis, quem potiſsimùm à nobis exigit, non craſſas & carnales ceremonias, vt Iudæi etiamnum autumant.

DOROTHEA.

Qualem in oratione affectum exigit Deus?

THEOPHILVS.

Primùm vt in conſpectu Domini ſubmittamus animos, ac nos ipſi deiiciamus exemplo filij prodigi, & Publicani, verè ſentientes inopiam miſeriasq́ue noſtras, vt is ſenſus mœrorem in animis noſtris, & anxietatem generet: deinde vt verè eſuriamus & ſitiamus iuſtitiam, vehementi ſerioq́ue obtinendæ à Deo gratiæ deſiderio æſtuantes: tum vt charitatem Dei, atque proximi excitemus in nobis, & precandi ardorem.

DOROTHEA.

Quomodo hic ardor in nobis accendetur?

THEOPHILVS.

Si Dei ſummam in nos charitatem & ineffabilem bonitatem aſsiduè animo agitemus, nobiſcum reputantes illum noſtra cauſa omnia condidiſſe, nec proprio peperciſſe
Rom. 8. filio, quin illum pro nobis omnibus tradidiſſe, vt nos redimeret, vitamq́ue nobis, iuſtitiam, & ſalutem conferret. Charitatem verò proximi in nobis ſuſcitabimus, ſi nos vnius eſſe naturæ perpenderimus, vnum nos habere patrem vnumq́ue redemptorem in quo renaſcimur omnes, & in Dei filios adoptamur, vnde & fratres inuicem ſumus. Vnus eſt ſpiritus, qui nos viuificat: vnus eſt cœleſtis omnium pater, vna fides, vnum baptiſma, vnus panis, & vnus calix. Nam
1.Cor.10. omnes ex eodem pane participamus, & ex vno calice.

DOROTHEA.

August.in Enchi.c.17 Si talem eſſe oportet orationem, quę fide, ſpe, charitate, & piis affectib⁹ ornata ſit, quis videbitur peccatorib⁹ locus

orandi relictus? Nam iis donis ſpiritus, quæ enumeraſti, deſtituti ſunt.

THEOPHILVS.

Imò peccatores vel maximè orare conuenit, vt hæc dona ſpiritus à Domino impetrẽt, vtque in iis iuſtitia quæ ex fide eſt reueletur. Poterunt itaque cõcepto odio peccati ad miſericordiam Dei cum certa fiducia confugere. Si ſentiant modicam in ſe fidem, ſpem vacillantem, & charitatem tepidam, orent pro auctu fidei, pro ſpei firmitate, & aliorum ſpiritus donorum incremẽto. Hi tantùm ab orãdo repelluntur, qui peccatores ſe eſſe non ſentiunt, qui quærunt peccatorum excuſationem, gloriantur quum ſceleratè egerint, & exultãt in reb⁹ peſsimis. Tales medico nihil egent, neque eos exaudit Dominus, etiam ſi multiplicauerint orationes. At peccator, qui in tempore accepto ad ſe redit, pauper ſpiritu, humilis, contritus, ſuſpirans, credens, ſperans & deſiderans, Deum inuocat, is proculdubio voti compos fiet: quoniam non fallet veritas, ad ſe omnes laborantes quàm mitiſsimè inuitans. Venite (inquit) ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego refocillabo vos. *Eſai. 1.*

DOROTHEA.

Cedò quas comites habere debeat oratio?

THEOPHILVS.

Præcipuas iam diximus, nempe fidem, ſpem, charitatem & pium affectum: verùm ex ſcripturis addere poſſumus ieiunium, eleemoſinam, perſeuerantiam, & ſolitudinem: Bona eſt enim (inquit Tobias) oratio cum ieiunio & eleemoſyna, magis quàm theſauros auri recondere. Nec Chriſtus temerè hæc tria, ieiunium, eleemoſynam, & orationem coniungit. Et Eſaias perinde copulat ac neceſſariò cohærentia. Nec eſt quiſpiam tam ſtupidus, qui non videat illa indiſſolubili propemodũ vinculo colligari, præſertim ſi oratio in deprecanda ira Dei efferueſcere debeat. Oratio enim (vt initio dixi) aſcenſus eſt mentis in Deũ. Sed quum crapula, ebrietate, & curis huius mundi corda noſtra aggrauantur, nec in Deum reſpicere, nec in oratione vigilare poſſunt. Deinde, qui conſpicatus fuerit fratrem ſuum cibo, veſte, potu, tectóve egentem, & habet facultates *Tob. 12.* *Mat. 6.* *Eſai. 58.* *Ioan. 3.*

vnde ſuccurrat illius inopiæ, neque commouetur miſericordia, ſed velut ad ſe non pertineat, negligit eum: quî credi poſsit, quòd in hoc ſit charitas Dei? Et qua tandem fronte, is viſcera miſericordiæ Dei noſtri implorabit, qui
58.cap. viſcera fratri clauſerit? Hāc ob cauſam Eſaias futurum cōfirmat, vt à Domino audiamur, ſi, omni poſita impietate, ita oremus ieiunantes, vt egentium ſubleuemus inopiam. Perſeuerantia verò ſummopere neceſſaria eſt, vt in omni patientia ſalutarem Dei ſemper miſericordis opem præſtolemur, eius voluntati nos totos permittentes, qui etſi protinus noſtris precibus non ſatisfacit, moram tamen illam ad noſtram vtilitatem nouit conuertere. Proinde nec tempus nec modus auxilij Deo ſtatuendus eſt, qui nouit, quando & quomodo nobis opitulari velit, etſi nō eo tempore, vel eo modo quo nos petimus, hoc faciat. Non ergo nos ab eo negligi exiſtimabimus, ſi non ſtatim dederit quæ petimus, aut abſtulerit quæ deprecamur, ſed potius pia malorum toleratione ampliora bona ſperabimus. Quinetiam ſiquid contrà quàm oramus, acciderit: patienter ferendo, & in omnibus gratias agendo, minimè dubitabimus hoc potius fieri oportuiſſe quod Dei voluntas, quàm quod noſtra tulit. Hunc affectum vt nobis inderet Chriſtus, pleriſque parabolis ſupra modum appoſitis vſus
Luc.18. eſt: vt de vidua importunè orante iudicem, & de amico
Luc.11. veniēte noctu ac petenti treis panes: quibus quidem docet ſine intermiſsione orandum eſſe, & Dei miſericordiam patienter expectandam. Huc ſpectant illæ ſententiæ, quæ ſedulò & iuſtanter orare iubent; Semper (inquit Paulus)
1.Theſſ.5. gaudete, indeſinenter orate, in omnibus gratias agite. Multum enim valet deprecatio iuſti aſsidua. Eſt etiam in
Iac.5. oratione ſolitudo apprime vtilis, vt, cùm orabimus, intre-
Mat.6. mus in cubiculū, & clauſo oſtio, oremus patrē in occulto.

DOROTHEA.

Quod iſtud eſt conclaue, in quod nos introire iubet Chriſtus, & occluſo oſtio patrem orare?

THEOPHILVS.

De cordis cubiculo loquitur, quod inter precandum occluſum eſſe oportet iis, quæ foris ſunt, ne per carnalem ſenſum in cogitationes noſtras improbè ſe immergant, &

orationis ſynceritatem maculēt, quò minus ſpiritalis oratio dirigatur ad patrem. Cùm enim clauſum erit oſtium, tum pater, qui videt in occulto, id eſt, qui abdita cordis inſpicit, in propatulo perſoluet oranti. Atque vt Chriſtus in hac re nos attentiores faciat, duos admodum prauos affectus pari cenſura damnat: alterum, hypocritarum, qui orantes conſpicui eſſe hominibus cupiunt, & ſancti videri: alterum, ethnicorum exiſtimantium, Deum (qui non niſi ſyncero cordis affectu permoueri poteſt) vt hominem multis verbis flecti poſſe, & in ſententiam, quamlibet iniquam, tandem adduci. Vnde ait ille: Orantes ne ſitis multiloqui, ſicut ethnici: putant enim fore, vt ob multiloquium ſuum exaudiantur. Eſt autem multiloquium cenſendum, quoties orationem, licèt breuiſsimam, ſtatim tamen intentio & affectus orantis deſerunt. Alioqui, ſi perſeuerans intentio & ſedulus affectus vſque comitetur orationem, non eſt illa multiloqua dicenda oratio, etiam ſi in longas moras producatur, & verbis compluribus efferatur. Aliud eſt enim multum loqui, & aliud prolixius orare. Multum loquitur, qui verba, licèt pauca, tamē inania, & ſine affectu mentis profundit. Prolixius orat, qui diuturna animi intētione ad Deum clamare pergit, nō ſolùm ſermone oris, ſed gemitu cordis: non tantùm affatu, ſed etiam affectu loquens cum Deo. Itaque multam lectionem auerſatur Deus, non autem longam orationem, ſi feruens perſeueret intentio. Sic enim Chriſtus prolixius oraſſe legitur, & in precando pernoctaſſe, quò nos ad prolixas ac diuturnas preces, ex intimo cordis affectu depromptas, exemplo ſuo excitaret. Licèt autem ſine monitore Deus nouerit, & qua parte vrgeamur, & quid nobis expediat: vult tamen precibus noſtris ſollicitari, nō ſua quidem ipſius cauſa, ſed noſtra potius, nimirùm vt ſerio ardentíque eius ſemper quærendi, amandi, colendi deſiderio cor noſtrum inflammetur, dum aſſueſcimus ad ipſum velut ad ſacram anchorā in omni neceſsitate confugere. Deinde, vt nulla cupiditas, nullumque omnino votum animum noſtrum ſubeat, cuius non ipſum teſtem facere audeamus: dum vota noſtra omnia coram eius oculis ſiſtere, atque adeò totum cor effundere diſcimus. Tum vt ad beneficia eius, vera animi gra-

Mat.6.

titudine,atque etiam gratiarum actione excipienda comparemur,quæ ab eius manu nobis prouenire, noſtra precatione admonemur.Ad hæc,quod petebamus conſequuti votis noſtris ipſum reſpõdiſſe cogitemus:ideoque ad meditandam eius benignitatem ardentius feramur : & ſimul maiori cum voluptate amplexemur quæ precibus agnoſcimus fuiſſe impetrata.Poſtremò vt ęius prouidentia animis noſtris,iuxta imbecillitatis noſtræ modum,confirmetur:dum intelligimus ipſum non modò polliceri ſe nunquam nobis defuturum,ſed aditum vltrò ad ſe appellandũ in ipſo neceſsitatis articulo,patefacere.Neque verò ſuperuacuam quis eſſe putabit eorum petitionem,quæ vltrò largiri paratus ſit Dominus, ſi cogitet, illum velle vt ea ipſa, quæ à ſpontanea eius benignitate nobis fluunt, precibus noſtris conceſſa agnoſcantur.

DOROTHEA.

Si in cordis cubiculo à nobis implorari Dominus poſtulat,quid opus eſt templis,ac aliis ſacris locis orationi deſtinatis?

THEOPHILVS.

Auguſt. de ſerm. domini in monte.

Imò maximè neceſſaria ſunt,vt illuc conueniamus omnes ad orandum,ad audiendam Euangelicam doctrinam, & ad ſacramentorum communionem. Propterea oratoria dicta ſunt,quòd ſint domus orationis,adeò vt in illis nihil aliud agi oporteat,quàm id,ad quod ſunt facta.Nam in tẽplum cubicula illa noſtra nobis portanda ſunt , quæ inter orandum occludamus,hoc eſt,corda noſtra, quæ ſunt viua templa Dei.Inuitant autem nos templa ad vnanimem orationem.Et Chriſtus pollicitus eſt ſe in medio illorum fore qui vnanimes in Domino conuenirent, & exauditurum eorum orationes,qui benè conſentirent inter ſe.

2.Cor 6.
Mat.18.

DOROTHEA.

Quid ſentis de piis eccleſiæ ceremoniis?

THEOPHILVS.

Haudquaquam contemnendæ ſunt,cùm poſsint magno cum fructu adhiberi,vel ad incitandum nos, vel ad repræſentandum exterius quod intus agitur,vel ad omnia decẽter & ordine peragenda.Ideo ſanctus Apoſtolus vult nos puras manus attollere abſque ira & diſceptatione:vult etiã nos genua flectere in nomine domini Ieſu.Ad hæc legim⁹

1.Tim.2.
Phil.2.

Publicanū oculos in terrā depreſsiſſe,& percuſsiſſe pect⁹. Chriſtus quoque ſubleuatis oculis in cœlum, ac genibus fixis,totoque geſtu corporis, mentis affectum orando indicauit. Geſtus ergo,qui internam in Deum fiduciam indicant,adhibendi ſunt orationi:ita tamen,vt in illis non collocemus fiduciam,ſed magis in ipſa Dei benignitate, qui ſcrutatur ipſos cordis affectus.

DOROTHEA.

Quid continere debent fidelium preces? Licét ne quicquid in mentem nobis venit à Deo poſtulare? An verò certa hîc tenenda regula eſt?

THEOPHILVS.

Præpoſtera nimis eſſet orandi ratio, ſi propriis deſideriis & carnis iudicio indulgeremus. Nam & rudiores ſumus,quàm vt poſsimus iudicare quid nobis expediat:& ea cupiditatum intemperie laboramus,quæ fræno neceſſariò debeat cohiberi.

DOROTHEA.

Quid proinde opus eſt facto?

THEOPHILVS.

Hoc reſtat vnum,vt Deus ipſe rectam orandi formam nobis præſcribat,vt tantùm manu ducentem ſequamur,& quaſi verba præeuntem.

DOROTHEA.

Quam nobis precandi rationem tradidit?

THEOPHILVS.

Reſpondens diſcipulis,quonam pacto eſſet orandum poſtulātibus,Cum volueritis(inquit)orare,ſic dicite: Pater noſter qui es in cœlis,ſanctificetur nomen tuum, &c. Quæ verba in hoc tantùm tradidit, vt iis memoriæ mandatis rerum à Deo petēdarum recordaremur. Apud Deum enim non agimus verbis,vt impetremus quod volumus, ſed rebus,quas animo gerimus,& intentione cogitationis,idq́ue per fidem & ſpem cum pura dilectione & ſupplici affectu. Licet itaque quibuſcunque aliis verbis precari,modò ne à Chriſti præſcripta forma diſcedamus,aliud petentes quàm quod iuſsit?

Mat. 6.

Auguſt. de ſerm. domini in mō te.

DOROTHEA.

Quando pater cœleſtis nobis per filium ſuum vnigenitum hanc orandi formulam præſcripſit,gratiſsimum mihi feceris,ſi quid ea contineat explices.

THEOPHILVS.

Omnia breuiter complectitur, quæ à Deo petere fas eſt: nihil enim in ea prætermiſſum eſt, quod vel ad Dei gloriam, vel ad noſtram vtilitatem pertineat.

DOROTHEA.

Quò melius ſingula verba intelligam, eam mihi in ſua capita partire.

THEOPHILVS.

Septem petitiones continet, vt ſuo ordine videre eſt. Neque enim quod ſeptimo loco apud Matthęum additum eſt, exegeticè ad ſextam petitionem referri debet, vt ij putant, qui Euangeliſtam aduerſatiua dictione interiecta dicunt duo illa memba voluiſſe inter ſe colligare.

DOROTHEA.

Quid ſibi vult patris nomen, quod in precationis Dominicæ proœmio, primum ſibi locum vendicat? Aut cur patris potius nomen, quàm aliud quoduis Deo tribuis?

THEOPHILVS.

Hoc ſibi nomen aſſumit Deus, quod nihil niſi meram ſuauitatē, bonitatem, & clementiam ſonat, vt excuſſa ex animis noſtris omni anxietate, ad ſe familiariter implorandum nos inuitet. Nam (vt antè diximus) ad rectam orandi rationem ſecura conſcientiæ fiducia in primis requiritur. Audebimus ergo rectà illum adire, vt filij parentes ſolent, imò multo certiore obtinendi quod petimus fiducia. Nam ſi qui mali ſunt parentes, filiis bona negare non poſſunt: nec eos inanes dimittere, nec venenum illis
Mat. 7. pro pane porrigere ſuſtinent, vt Chriſtus admonet: quanto plus beneficentiæ à cœleſti patre expectandum eſt, qui non tantùm ſummè bonus eſt, ſed etiam bonitas? Ex hoc autem nomine intelligi vel maximè poteſt, quod antea diximus, omnem à nobis orationem offerri Deo debere in Chriſti nomine, & oportere eius patrocinio fundatam eſſe. Nam ex quo patrem vocamus Deum, nomen certè Chriſti prætendimus. Qua enim fiducia Deum aliquis patrem nominaret? Quis huc temeritatis prorumperet, vt ſibi vſurparet honorem filij Dei, niſi in Chriſto adoptati eſſemus in filios gratiæ? Qui quum verus ſit filius, nobis in fratrem ab ipſo datus eſt, vt quod natura ipſe proprium habet, adoptionis beneficio noſtrum fiat, ſi tantam beneficentiam

centiam certa fide amplectimur:quemadmodum Ioannes *Ioan.1.* ait datam eſſe poteſtatē iis,qui credunt in nomē vnigeniti filij Dei,vt filij Dei ipſi quoque fiant.Itaque filiorum loco nos habet Deus, quatenus Chriſti ſumus membra, & patrem ſe noſtrum appellat, & ſic à nobis vocari vult: hac tanta nominis ſuauitate omni nos diffidentia eximens, quando nullus alibi maior amoris affectus quàm in patre reperiri poſſit. Meminiſſe porrò debemus cùm Deum patrem dicimus,ei & amorem,& honorem, & obedientiam, à nobis tanquam filiis deberi. Filius honorat patrem, & ſeruus dominum ſuum. Si ergo pater ſum (dicit Dominus)vbi eſt honor meus? Si dominus ego ſum, vbi eſt timor meus? Non eſt autem verus honor patris, ſine obedientia. Quod Paulus innuens, præceptum de honore parentum ſic tradit:Filij obedite parentibus veſtris. Duplici autem vinculo Deus nos ad obtemperandum ſibi aſtrinxit,quia creauit,& redemit nos.Vnde ex creatione obedientiam ei debemus, vt filij patri: ex redemptione,vt ſerui domino. Admonemur etiam caſtigationes Dei patienter ſufferre.Quem enim diligit Dominus caſtigat,& quaſi pater in filio ſibi complacet. Simul vt nō deficiamus animo, ſi orantibus nobis non eueniunt quæ volebamus: quæ vtique non negaret nobis Deus, niſi ſciret ea nobis non expedire, cùm curam patris in nobis adimpleat,omniáque parentis officia affatim exequatur,de cibo, potu,& veſtitu noſtro ſollicitudinem gerēs,& angelorum cuſtodia vitam noſtram muniens, ac vndique nos obſeruans, vt ne capillus quidem de capite noſtro in terram ſine eius voluntate defluat. Quare meritò omnem curam & ſollicitudinem noſtram in eum proiicere nos oportet, qui nos natiuitate gratiæ ſpiritualis reparauit ac ſanctificauit,& ſibi in filios aſſeruit, tales etiam nos perpetuò habiturus, niſi noſtra culpa hac malitia ab eo recedendo, & mandata eius ſpernendo, filij eſſe deſinamus.

Mala. 1. *Epheſ.6.* *Prouer. 3.* *Mat.10.* *1.Pet.5.*

DOROTHEA.

Cur noſtrum potius in commune patrem nominas Deum, quàm tuum peculiariter?

THEOPHILVS.

Quoniam hoc ſoli Chriſto conuenit, qui ſolus eſt fi-

Omnia breuiter complectitur, quæ à Deo petere fas eſt: nihil enim in ea prætermiſſum eſt, quod vel ad Dei gloriam, vel ad noſtram vtilitatem pertineat.

DOROTHEA.

Quò melius ſingula verba intelligam, eam mihi in ſua capita partire.

THEOPHILVS.

Septem petitiones continet, vt ſuo ordine videre eſt. Neque enim quod ſeptimo loco apud Matthęum additum eſt, exegeticè ad ſextam petitionem referri debet, vt ij putant, qui Euangeliſtam aduerſatiua dictione interiecta dicunt duo illa memba voluiſſe inter ſe colligare.

DOROTHEA.

Quid ſibi vult patris nomen, quod in precationis Dominicæ procœmio, primum ſibi locum vendicat? Aut cur patris potius nomen, quàm aliud quoduis Deo tribuis?

THEOPHILVS.

Hoc ſibi nomen aſſumit Deus, quod nihil niſi meram ſuauitatẽ, bonitatem, & clementiam ſonat, vt excuſſa ex animis noſtris omni anxietate, ad ſe familiariter implorandum nos inuitet. Nam (vt antè diximus) ad rectam orandi rationem ſecura conſcientiæ fiducia in primis requiritur. Audebimus ergo rectà illum adire, vt filij parentes ſolent, imò multo certiore obtinendi quod petimus fiducia. Nam ſi qui mali ſunt parentes, filiis bona negare non poſſunt: nec eos inanes dimittere, nec venenum illis
Mat. 7. pro pane porrigere ſuſtinent, vt Chriſtus admonet: quanto plus beneficentiæ à cœleſti patre expectandum eſt, qui non tantùm ſummè bonus eſt, ſed etiam bonitas? Ex hoc autem nomine intelligi vel maximè poteſt, quod antea diximus, omnem à nobis orationem offerri Deo debere in Chriſti nomine, & oportere eius patrocinio fundatam eſſe. Nam ex quo patrem vocamus Deum, nomen certè Chriſti prætendimus. Qua enim fiducia Deum aliquis patrem nominaret? Quis huc temeritatis prorumperet, vt ſibi vſurparet honorem filij Dei, niſi in Chriſto adoptati eſſemus in filios gratiæ? Qui quum verus ſit filius, nobis in fratrem ab ipſo datus eſt, vt quod natura ipſe proprium habet, adoptionis beneficio noſtrum fiat, ſi tantam benefi-

centiam certa fide amplectimur:quemadmodum Ioannes *Ioan.1.*
ait datam eſſe poteſtatē iis,qui credunt in nomē vnigeniti
filij Dei,vt filij Dei ipſi quoque fiant.Itaque filiorum loco
nos habet Deus, quatenus Chriſti ſumus membra, & pa-
trem ſe noſtrum appellat, & ſic à nobis vocari vult: hac
tanta nominis ſuauitate omni nos diffidentia eximens,
quando nullus alibi maior amoris affectus quàm in patre
reperiri poſſit. Meminiſſe porrò debemus cùm Deum pa-
trem dicimus,ei & amorem,& honorem, & obedientiam,
à nobis tanquam filiis deberi. Filius honorat patrem, &
ſeruus dominum ſuum. Si ergo pater ſum (dicit Domi- *Mala. 1.*
nus)vbi eſt honor meus? Si dominus ego ſum, vbi eſt ti-
mor meus? Non eſt autem verus honor patris, ſine obe- *Epheſ.6.*
dientia. Quod Paulus innuens, præceptum de honore pa
rentum ſic tradit:Filij obedite parentibus veſtris. Duplici
autem vinculo Deus nos ad obtemperandum ſibi aſtrin-
xit,quia creauit,& redemit nos.Vnde ex creatione obedi-
entiam ei debemus, vt filij patri: ex redemptione,vt ſerui
domino. Admonemur etiam caſtigationes Dei patienter
ſufferre.Quem enim diligit Dominus caſtigat,& quaſi pa
ter in filio ſibi complacet. Simul vt nō deficiamus animo, *Prouer. 3.*
ſi orantibus nobis non eueniunt quæ volebamus: quæ vti-
que non negaret nobis Deus, niſi ſciret ea nobis non ex-
pedire, cùm curam patris in nobis adimpleat,omniáque
parentis officia affatim exequatur,de cibo, potu,& veſti-
tu noſtro ſollicitudinem gerēs,& angelorum cuſtodia vi-
tam noſtram muniens, ac vndique nos obſeruans, vt ne *Mat.10.*
capillus quidem de capite noſtro in terram ſine eius vo-
luntate defluat. Quare meritò omnem curam & ſollicitu- *1.Pet.5.*
dinem noſtram in eum proiicere nos oportet, qui nos na-
tiuitate gratiæ ſpiritualis reparauit ac ſanctificauit,& ſibi
in filios aſſeruit, tales etiam nos perpetuò habiturus, niſi
noſtra culpa hac malitia ab eo recedendo, & mandata e-
ius ſpernendo, filij eſſe deſinamus.

DOROTHEA.

Cur noſtrum potius in commune patrem nominas
Deum, quàm tuum peculiariter?

THEOPHILVS.

Quoniam hoc ſoli Chriſto conuenit, qui ſolus eſt fi-

lius per naturam: nos autem filij ſumus per gratiam & communem adoptionem. Quod diſcrimen vt Chriſtus oſtenderet: Vado, inquit, ad patrem meum, & patrem veſtrum. Non dicit, Vado ad patrem noſtrum: ſed meum & veſtrum, quoniam ipſe per naturam, nos per gratiam filij. Ex eo etiam admonemur, quantum fraternæ dilectionis affectum inter nos intercedere oporteat, qui talis patris communes ſumus filij. Nam ſi vnus nobis omnibus communis eſt pater, à quo prouenit quicquid omnino boni obtingere nobis poteſt: nihil inter nos diuiſum eſſe decet, quod non magna animi alacritate parati ſimus alter alteri communicare, quantum vſus poſtulat. Iam ſi ita, vt par eſt, viciſſim manum porrigere, atque opem ferre cupimus, non eſt in quo magis commodare fratribus poſſimus, quàm ſi optimi patris curæ & prouidentiæ commendemus: quo propitio ac fauente, nihil omnino deſiderari poteſt. Hanc ergo nobis fraternam dilectionem commendare, & omneis diſcordias ac inimicitias ſecludere volens pacis & vnitatis magiſter Chriſtus, talem orãdi formam præſcripſit, qua nihil ad priuatũ vſum, ſed omnia ad communẽ vtilitatem peteremus, iubens ſic nos orare: Pater noſter, Da nobis panem noſtrum, Dimitte nobis debita noſtra. Quo etiam ſubmiſsionis ac deiectionis animi nos admonet, ne faſtu terrenæ nobilitatis, diuitiarum, ſcientiæ, aut dignitatis inflati, contemptui habeamus eos qui rebus illis nobis ſunt inferiores. Siquidem par omnibus à Deo donata eſt dignitas, qui omnium ſe patrem vocari dignatur, quem verè patrem dicere nemo poteſt, niſi qui ſe alijs eſſe fratrem & ſimilem agnoſcit. Talem dilectionem omnibus quidem hominibus qui ſuper terram agunt, maximè autem domeſticis fidei, hoc eſt, Chriſtianis & verè catholicis debemus: quos nõ modò communis natura, ſed eadem gratia, & idem nouæ regenerationis lauacrum nobis fecit fratres, qui eundem ſacramentorum vſum tenent, & ſimili
Gal. 4. profeſſione fidei cœleſtem patrem nobiſcum colunt, quos Apoſtolus peculiariter nobis omni in re commendauit. Cogimur ergo, cùm vnum nos habere patrem fateamur, ſiue magni & potentes, ſiue humiles & abiecti ſimus, perinde ac fratres inter nos amare, viciſſimq́ue iuuare, atque negle-

neglectui habere neminem qui Chriſto credat, quò ſic intelligamus nobis æquabiliter pro omnibus orandum.

DOROTHEA.

Cur patrem in cœlis eſſe dicis?

THEOPHILVS.

Hac particula Dei celſitudinem, maieſtatem, & potentiam ſignificamus, perinde acſi vocaremus ipſum excelſum, potentem, & incomprehenſibilem. Nam ea ratione in cœlis eſſe dicitur, quòd in cœlis habitet, & inde cœleſtia & terreſtria moderetur ac regat: quamuis vbique adſit, vbique exaudiat inuocantes, & laborantes reſpiciat: in ſumma tamē charitate & gloria eum manere profitemur, & ad eum ſurſum mentes erigimus, qui nihil carnale aut terrenum habet. Nos his verbis patris æterni maieſtatem ſuſpicimus, & noſtram in illo fiduciam confirmamus, qui in cœlis præſidet, vnde omnes noſtras neceſſitates ex alto reſpicit, & videt quibus indigemus, paratus, ſi dicto ipſi audientes, vt morigeri filij, eſſe perrexerimus, & benigna manu à nobis noxia omnia auertere, & vtilia præbere abundanter. Chriſtus itaque quum nos ad orationem accinctos hoc proœmio (Pater noſter qui es in cœlis) Deum compellare iubet, in primis reuocat nos ad veram cognitionem creationis, vt intelligamus, quiſnam is ſit, quantæ quoque potentiæ, ſapientiæ, ac bonitatis, quem rogamus, nempe Deus, qui eſt in cœlis, hoc eſt, qui vt eſt creator cœli & terræ, ita implet, regit, & gubernat cœlos, ac omnia quæ totius cœli ambitu continentur. Non enim ideò in cœlis eſſe dicitur, quòd certa aliqua cœli regione incluſus & circumſcriptus alligetur. Siquidem & Solomon confitetur cœlos cœlorum eum capere non poſſe: Et ipſe per prophetam ait cœlum ſuam ſedem eſſe: terram autem ſcabellum pedum ſuorum. Verùm, quia aliter inenarrabilem eius gloriam mens noſtra, pro ſua craſſitie concipere non poterat, nobis per cœlū deſignata eſt, quo nihil auguſtius, aut maieſtate plenius ſub aſpectum noſtrum venire poteſt. Quando igitur vbicunque rem quampiam apprehendunt ſenſus noſtri, affigere illic ſolent: Extra omnem locum Deus ſtatuitur: vt dum quærere volumus ipſum, ſupra omnem corporis & animæ ſenſum attollamur. Deinde hac formula

3. Reg. 8.
Eſa. 66.

loquendi,ſupra omnem aut corruptionis, aut mutationis aleam euehitur. Demùm vniuerſum orbem complecti & continere, ſuáque potentia moderari ſignificatur. Quare hoc perinde eſt, ac ſi dictus eſſet infinitæ magnitudinis & ſublimitatis, incomprehenſibilis eſſentiæ, immenſæ potentiæ, æternæ immortalitatis.

DOROTHEA.

Primam petitionem huiuſce orationis recita.

THEOPHILVS.

Ea ipſa Dei nomen ſanctificari poſtulamus.

DOROTHEA.

Quid per Dei nomen intelligis?

THEOPHILVS.

Non aliud quàm Dei notitiam, virtutem, maieſtatem, gloriam, & famam, qua inter homines celebratur. Optamus ergo, vt Deum verè agnoſcamus, vtq́ue eius gloria vbique & in omnibus prouehatur, vt Dei nomen rectè inuocetur, ac laus eius toti mundo innoteſcat, & modis omnibus illuſtretur.

DOROTHEA.

Verùm accederéne quicquam poteſt Dei gloriæ, aut decedere, vt nomen eius ſanctus reddatur?

THEOPHILVS.

Deo quidem in ſe nihil accedere poteſt, cumq́ue ſit immenſus & infinitus, eius gloria neque creſcit, neque minuitur. Sed hoc petimus, vt illa, quæ ſemper immenſa eſt, cunctis pateſiat, vtq́ue in nobis magis ac magis Dei nomen ſanctificetur, ac vt omnem vitam noſtram, omnia conſilia, dicta, & facta ad illius gloriam dirigamus: nihílque cogitemus, aut faciamus, quod non ad eius laudem pertineat: ſicq́ue vitam inſtituamus, vt in nobis tandem glorificetur Deus. Petimus ne in ea crimina incidamus, per quæ nomen Dei polluitur & blaſphematur ab infidelibus: vt in toto orbe per veram & puram diuini verbi prædicationem, nomen Dei quod in ſe ſanctiſsimum eſt & maieſtate plenum, ſanctum & celebre omnibus gentibus habeatur: vt omnes hæreſes & impiæ doctrinæ, quibus nomen eius prophanatur & contumelia afficitur, ceſſent ac è medio pellantur: vt quicquid agere agnoſcatur, omnia eius

ope

opera, vt ſunt, ita glorioſa appareant, quò modis omnibus honoretur, & ſiue ipſe puniat, iuſtus: ſiue ignoſcat, miſericors: ſiue præſtet quod promiſit, verax prædicetur: breuiter, vt omnis impietas, quæ hanc ſanctificationem obſcurat aut diminuit, pereat atque aboleatur, & Dei maieſtas magis ac magis in dies clareſcat. In ſumma hęc petitio continet vt nos germanos filios, ſanctos, ablutos, & iuſtificatos ſanguine Chriſti, exhibeamus, vtque Deum, veluti patrem clementiſſimum, verè diligamus, timeamus, ac veneremur.

DOROTHEA.

Veniamus ad ſecundam petitionem, qua petis, vt adueniat regnum. Quid per regnum Dei intelligis?

THEOPHILVS.

Regnum gratiæ, conſolationis, gaudij, & pacis. Quandoquidem tranſtulit nos Deus à regno Satanæ & poteſtate tenebrarum in regnum dilecti filij ſui. In hoc regno pater æternus ſpiritu ſuo nos gubernat, verbóque ſuo regit animis noſtris inſidens. Hoc regnum intra nos eſt, &, vt Apoſtolus ait, gaudium eſt, iuſtitia & pax in ſpiritu ſancto. *Rom.* 14.

DOROTHEA.

Quomodo hoc regnum aduenit?

THEOPHILVS.

Per miniſterium verbi, & per ſpiritum ſanctum, quo deſtruitur & aboletur regnum Satanæ, vt ſolus Deus in nobis viuat, & regnum iuſtitiæ & veritatis in nobis adminiſtret, iniquitatis regnum proſternat, & reprobos, qui ſe illi in obſequium tradere recuſant, nec eius imperio ſubiici volunt, deiiciat ac peſſundet, quò palàm fiat, nullam eſſe poteſtatem, quæ virtuti ipſius reſiſtere queat: Hoc itaque petimus, vt aſſiduè creſcat & augeatur numerus fidelium, & Dei gloria in illis fiat illuſtrior, vtque donis ſpiritus magis in dies ac magis cumulentur, donec ſibi perfectè adiunctos totos impleat: ſimul vt lucem ac veritatem ſuam nouis ſemper incrementis lucidam conſpicuámque reddat, quibus Satanæ, regníque eius tenebræ ac mendacia euaneſcant, diſpellantur, pereant.

DOROTHEA.

Eſtne aliud regnum, præter hoc regnum gratiæ?

THEOPHILVS.

Eſt certè regnum gloriæ, quod hîc inchoatur, ſed poſt hanc vitam perficitur. Hoc regnum paratum eſt ab origine mundi benedictis filiis, qui illius gratis hæredes fient: in illis Deus exaltabitur, & ad illud fideles tantùm, qui incul-
1.Cor. 6. patè viuunt, quóſque malè actæ vitæ pœnitet, peruenient.
Epheſ. 5. Neque enim immundi & ſcelerati hæreditatem habent in regno Chriſti & Dei.

DOROTHEA.

Cuiuſmodi illud eſſe cenſes?

THEOPHILVS.

Nullis id verbis poſſum exprimere, neque vlla cogi-
1.Cor. 2. tatione aſſequi: neque enim oculus vidit, neque auris au-
Eſai. 64. diuit, neque in cor hominis aſcenderunt quæ præparauit Deus diligentibus ſe. In eo regno nullus erit luctus aut dolor: nulla eſuries aut ſitis: nullus æſtus nulláque calamitas: ſed ſempiterna lux, pax, tranquillitas, lætitia inenarrabilis, & certiſſima fœlicitas, copioſiſsimáque laborum merces. Hoc Dei regnum receptis in regnum gratiæ & miſericordiæ Domini ſummoperè optandum eſt atque expectandum, exemplo ſanctorum patrum, qui diem ſupremi aduentus Domini noctu atque interdiu ſummo ſtudio, ieiuniis, vigiliis, lachrymis, ac precationibus vacantes videre cupiebant, ſecurè coronam iuſtitiæ expectantes. Quòd ſi quiſquam eo pietatis nondum promouit, vt eius diei accelerationem ex animo petere poſsit, ſaltem ardentiſsimis votis exoptet, vt in ſe gratiæ & miſericordię Dei regnum adueniat: vt fide, ſpe, & charitate (quę ſunt huius regni præcipuæ partes) de diabolo, mundo, & carne fœliciter triumphet, atque hoc ſpirituale Dei regnum in ſe ſubinde creſcat & augeatur: denique expetat eum ſibi à Deo affectum donari, quo hanc vitam peccatis & periculis plenam contemnat, ac odiſſe incipiat: ad illam verò alteram vitam precipuè exardeſcat, vbi pax eſt & perenne gaudium.

DOROTHEA.

At tertiam huius orationis Dominicæ petitionem aggrediamur. Quid intelligis, dum petis, vt Dei volũtas fiat? Nónne Dominus omnia quæcunque vult, in cœlo & in

terra facit? neque enim eſt quiſquam, qui eius voluntati poſſit reſiſtere. Quomodo ergo petis Dei voluntatem fieri, quum nihil fiat præter eius voluntatem?

THEOPHILVS.

Non petimus, vt quod Deus apud ſe decreuit, eueniat: ſed, vt diuinæ voluntati in omnibus obſequamur, illius iugo & imperio ſubnixi, poſcimus vt noſtræ carnis voluntas omnino deleatur, & omnis contumacia dometur, & euellantur à nobis praua deſideria, nóſque in meliorem naturam reformemur, & ad diuinæ legis obedientiam nos componamus, abnegantes noſmetipſos: rogamus, vt in eius obſequium omnes creaturæ ſubigantur, itáque ex eius nutu pendeant, vt nihil niſi ex ipſius arbitrio fiat: vt omnes omnium voluntates ſuæ ſubiiciat voluntati, nouas in omnibus mentes nouáque corda formans, nequid ipſi à ſe velint, ſed ſpiritus potius eorum votis præſit, vt plenam habeant cum Deo conſenſionem.

DOROTHEA.

Quæ ergo eſt Dei voluntas, quàm in nobis impleri poſtulamus?

THEOPHILVS.

Voluntas Dei eſt, vt nos eius mandata curemus, exequamur, conficiamus: hæc eſt Dei voluntas (inquit Apoſtolus) ſanctificatio noſtra, vt vaſa noſtra poſſideamus in omni honore: vtque Satanæ, mundi, & carnis deſideriis renunciemus, & in voluntate Dei perficienda conſtantiſsimè perſeueremus, quicquid in nobis eſt affectuum Domino reſignantes ac permittentes, rogantéſque, ne res ex voto noſtro nobis fluere, verùm vt ipſe proſpexerit ac decreuerit, ſuccedere faciat. Petimus itaque in aduerſis patientiam, vt iiſdem affectibus tangamur, quibus & Chriſtus, qui ſe totum paternæ voluntati per omnem vitam ſubdidit, factus obediens vſque ad mortem. Oramus, vt in capeſſendis Dei iuſſis quotidie nouos fructus feramus, & ambulemus de virtute in virtutem: poſtulamus vt ſanctus ſpiritus nos confirmet, quò mortificare noſtram voluntatem eámque offerre Deo ceu victimam poſsimus, voluntati eius ſedulò parentes, & ſuſtinentes crucem tam in vita quàm in morte, tam in ſecundis quàm in aduerſis

1. Theſ. 4.

noſtris rebus.

DOROTHEA.

Cur addis, Sicut in cœlo & in terra?

THEOPHILVS.

Petimus talem obediendi promptitudinem, qualis eſt in angelis & cœleſtibus ciuibus, qui Deo in omnibus obſequuntur, vnanimes ſeruiunt, diuinæque voluntati ſummo ſtudio adhærent. Quemadmodum ait Pſalmographus: Benedicite domino omnes angeli eius, potentes virtute ad faciendum verbum eius, ad audiendam vocem ſermonum eius. Ita oramus vt ad obeunda obſequia Domino vltro parati ſimus, & in voluntariam illi ſubiectionem prorſus nos addicamus, nutibus eius & ſermonibus cupidiſsimè obſequentes. Aut per cœlum intellige (quemadmodum Diui Ambroſius & Auguſtinus) ſanctos & iuſtos, qui cœlum ſedéſque Dei dicuntur: & per terram, terrenos & carnales peccatores: vt ſenſus ſit: Perinde voluntas tua fiat à terreſtribus peccatoribus ad te reuerſis, vt in ſanctis & iuſtis impletur.

Pſal.101. *Ambro. in Lucam.* *Auguſt. de ſerm. Domini in monte*

DOROTHEA.

Nunc ad quartam petitionem veniamus, qua panem noſtrum quotidianum hodiè nobis dari poſtulamus.

THEOPHILVS.

Quotidiani panis nomine intelligimus omnia, quæ ſunt nobis ad vitam neceſſaria, quæque ad præſentem vitam tuendam pertinent. Itaque petimus pacem, tranquillitatem, opem in periculis, in rebus gerendis ſucceſſum, in liberis procreandis & educandis fœlicitatem. Item indumenta, ſomnum, & omnia, quibus externæ vitæ neceſſitates fouentur.

DOROTHEA.

Matth.6. Cur iſta petis, cùm ipſe Dominus dicat: Nolite ſolliciti eſſe, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quibus operiemur? & moneat, primùm quærendum eſſe regnum Dei: quoniam hæc omnia adiicientur nobis?

THEOPHILVS.

Chriſtus quidem immodicam victus ſollicitudinem tollendam dicit: verùmtamen huius parandi gratia laborandum, ac ſudandum nobis eſt, non quòd labore ſolùm

noſtro,

noſtro, induſtria, aut ſedulitate alamur: ſed etiam Dei benedictione, qua labor ipſe manuum noſtrarum proſperatur, futurus alioqui inanis. Laborandum itaque eſt iuxta Domini mandatum, ne Deum tentare videamur: ſed in mediis laboribus iactãda eſt in Deum omnis ſollicitudo, qui dat eſcam omni carni, nec animam iuſti inedia confici patitur. Hoc amplius hîc ſignificamus etiam quum ciborum copia nobis ad manum ſuppetit, illíſque veſcimur, non illorum tantùm ſubſtantia, ſed Dei virtute nos ali, qui alimentis, tanquam beneficentiæ ſuæ organis, vim nos enutriendi adminiſtrat.

THEOPHILVS.

Cur noſtrum eſſe dicis, quem à Deo nobis dari poſtulamus?

THEOPHILVS.

Dei benignitate noſter eſt panis, quem Deus pro ſua beneficentia & liberalitate ad vſum humanæ vitæ nobis ſuppeditat. Noſter, quem non fraudibus, dolo, calumniis, aut vi: ſed iuſtis rationibus quærimus, quémque de manu Dei legitimè ſuſcipimus. Hoc verbo admonemur, vt ab alieno pane appetendo nobis temperemus, eóque ſimus contenti, qui legitima ratione ad nos Dei clementia peruenerit. Porrò quòd dicit [Vobis] pluraliter, non [mihi] hoc *ipſo* Chriſtus indicat, Deum, quęcunque dat, non nobis ſolis dare, ſed & aliis per nos: ac proinde partem illorum iis cedere debere, qui victum ſibi parare non poſſunt. Atque eo *ipſo* tenacitatem tollit, rerum communionem (quum neceſsitas proximi poſtulat) liberalitatémq; commendat. Vox autẽ [Quotidianum] ideò adiecta eſt, vt ſtudium ſumptus & delitiarum adimat: ſignificat enim facilè parabilem victum, qualis ſine magna cura & anxia ſollicitudine parari poteſt.

DOROTHEA.

Cur addis, Hodiè? Nónne ſatis fuerat dixiſſe, Quotidianum?

THEOPHILVS.

Hîc admonemur continentiæ, moderationis, ac temperantiæ: ne immodica fluxarum iſtarum rerum cupiditate ardeamus, quas poſtea ambitiosè in voluptatem, in o-

ſtentationem, aut aliam luxus ſpeciem profundamus: ſed petamus duntaxat, quantum noſtræ neceſsitati ſatis eſt, freti patris noſtri bonitate, qui vt nos hodiè nutriuit, ita nobis craſtino nequaquam defuturus eſt. Oſtendimus ergo fiduciam noſtram in Deum quem ſcimus curam noſtri habere, & abiicimus craſtiui ſollicitudinem. Nam abſurdum eſſet, nos in terreniſrebus curam noſtram in longum tempus oſtendere, qui regnum illud cœleſte quotidie optamus acceleratum iri. Stultum eſſet affligi cura ſequentis temporis, cùm omnis vita noſtra in incerto ſit poſita. Cur enim te cura torqueat eius temporis, quo te victurum eſſe
Luc.12. neſcis? Sic redarguitur diues ille, qui de victu & diuitiis in futurum amplificandis deliberabat, cui (tametſi neſcienti) propinquus imminebat interitus. Stulte, inquit Dominus, hac nocte repetam animam tuam àte: quę autem paraſti,
Mat.6. cuius erunt? Nolite ergo ſolliciti eſſe in craſtinum: Nam craſtinus dies curam habebit ſui ipſius. Sufficit ſua diei afflictio. Hoc autem diuites ſibi perſuadere debent, nihil eorum quæ habēt, eſſe profuturum, niſi quatenus & vſum illis Deus conceſſerit, & ſua gratia vt fructuoſus ſit vſus ipſe & efficax, effecerit. Quamobrem omnia de manu Domini cum benedictione, & gratiarum actione ſunt percipienda.

DOROTHEA.

Eſtne alius panis, præter hunc corporalem, quem nobis dari petimus?

THEOPHILVS.

Eſt certè & alia cœleſtis & ſpiritualis alimonia, qua animus & ſpiritus noſter vegetatur. Verbum enim Dei verè ſpiritualis panis eſt, qui animum paſcit & reficit, verus (inquam) & catholicus ſcripturæ ſacræ ſenſus. Hunc à Deo petimus, qui ſolus vtiliter eum date nouit. Fruſtra enim concionatores verbum Dei infundunt auribus noſtris, niſi intus vnctione ſua, corda noſtra præparans Deus nobis germanum verbi ſui intellectum inſtillet, vt & fidei noſtræ myſteria aſſequamur, & verè cognoſcamus Chriſtum carnem ſuam dediſſe pro vita mundi & pro noſtra redemptione. Alioqui, ſi deſit vnctio ſpiritus, panem illum vel ex libris, vel ex auditu etiam ſæpe deuorantes,

nihilo vegetiores erimus,niſi illum Deus ſpiritaliter edendũ porrexerit. Chriſtus etiã ſuperſubſtãtialis eſt & immortalis animæ noſtræ cibus, qui dat vitam mundo, quem in ſacroſanctæ Euchariſtiæ communicatione manducamus. Hunc à Deo nobis dari optamus: quoniam inutiliter ſumitur ore, niſi pura mente capiendum eum Deus ſpiritaliter porrexerit. Quem non immeritò quotidianum vocamus, & hodiè eum dari nobis petimus: quia periculum eſt, ne, ſi interuenientibus grauioribus delictis, à communione eius longo tẽpore abſtinuerimus, à Chriſti corpore ſeparemur. Si enim æternùm viuunt, qui illũ panem edunt, periculum eſt ne ſpiritali fame in anima moriantur, qui diu illum panem non accipiunt.

DOROTHEA.

Quid quinto loco requiris, cùm ais: Remitte nobis debita noſtra? Quid debitorum nomine intelligis?

THEOPHILVS.

Appello hìc debita, commiſſa noſtra in Deum: ſumpta metaphora à creditoribus, qui ſolent debitas pecunias illis remittere, qui ſoluendo non ſunt. Nec malè profectò peccata debitis aſsimilari putabis, ſi animaduertas, quòd non ſecus ac debitor obligationis vinculis obſtrictus, ſoluere quod debet tenetur: ita peccator funibus peccatorum obligatus, pœnæ luendæ obnoxius eſt. Plurima talia ſunt noſtra debita & peccata, quibus Deum ab ineunte ætate ad iram prouocauimus, & ea nobis remitti ſupplices oramus: niſi enim gratuita remiſsione his liberemur, nos reatu mortis obſtrictos tenent. Aut peccata debita vocãtur, quia gratiam & virtutem ſpiritus ſancti ad bene operandum accepimus. Quòd ſi deſides facti, & gratiam Dei in vanum retinentes, non ferimus boni operis fructum: debitores Domini pro accepta gratia ſumus. Tunc verò creſcunt in immenſum debita noſtra, ſi reiecta gratia, ad peccata relabimur, peccata peccatis cumulãtes. Rogamus ergo Dominũ t ea nobis ignoſcat.

DOROTHEA.

Eſtne mortalium quiſquam tam iuſtus, vt hac venia non digeat?

THEOPHILVS.

Nullus omnino. Non enim eſt iuſtus quiſpiam, non eſt

Rom. 3. qui ſuaptè natura faciat bonum, ne vnus quidem. Ideò hãc
Pſal. 13. precandi formulam Chriſtus vniuerſæ eccleſię dedit, vt intelligant omnes ſe debitores & peccato obnoxios eſſe, ac egere venia & gratia Dei.

DOROTHEA.

Quomodo fit hæc peccatorum remiſsio, & à quo imploranda eſt?

THEOPHILVS.

Gratia Dei & miſericordia, peccatorũ veniam conſequimur, idque merito Chriſti, cuius ſanguis emũdat cõſcientiam noſtrã ab omni peccato. Hanc verò peccati remiſsionem fide amplecti neceſſe eſt: & à Deo eam petere, qui noſtras delet iniquitates, & infirmitates omneis perſenat.

1. Ioan. 1.

DOROTHEA.

Quid ex peccatorum condonatione vtilitatis ad nos redit?

THEOPHILVS.

Cùm nobis Deus mera ſua liberalitate commiſſa remiſit, tum illi perinde accepti ſumus, ac ſi iuſti eſſemus & innocentes, ſimulque paternæ eius beneuolentiæ fiducia (vnde nobis certa ſalus) animis noſtris confirmatur.

DOROTHEA.

Cur hæc apponitur conditio, vt nobis remittat, ſicut nos remittimus debitoribus noſtris?

THEOPHILVS.

Docet nos Chriſtus, vt verè mites & miſericordes ſimus in eos qui nos offendunt, qui nos oderunt, qui contumeliis afficiunt: vt iram, odium, vindictæ appetentiam ex animo vltro deponamus, & iniurias omnes volũtaria conteramus obliuione: vt cum inimicis redire in gratiam, ipſosque omni officiorũ genere demereri, nobiſque conciliare nitamur: vt erga omneis, à quibus vlla in re læſi ſumus, ſic nos dilectione non ficta exhibeamus officioſos, vt volumus æterni patris clemẽtiam ac bonitatem in condonandis noſtris peccatis elucere. Hoc ſigno admoniti ſtatuemus nobis eſſe remiſſa peccata, ſi faciles nos ad ignoſcendum inimicis præbuerimus, ſicut & Chriſtus nos, cùm inimici eſſemus,
Rom. 5. patri recõciliauit, pro nobis orauit, & delictorum gratiam fecit. Quòd ſi ad vlciſcendum fuerimus præcipites, ad re-

mittendũ difficiles,odio & liuore pleni : quid aliud, quàm inexorabilem diuinæ animaduerſionis ſeueritatem expectabimus ? Eadem namque menſura,qua menſi fuerimus, metientur nobis alij. Et qua fronte audebimus à Deo grauiſsimorum & plurimorum criminum rogare veniam , ſi fratri implacabiles lenem offenſam non condonemus? An non meritò negandæ veniæ exemplum à nobis Deus ſumet,vt non condonet magna petentibus , cùm ipſi priores minima fratri denegemus ? Hæc porrò petitio commonitionem habet imbecillitatis noſtræ,qua miſeriam noſtram fatemur,& culpam agnoſcimus,& miſericordia gratiáque Dei nos indigere non diſsimulamus,petẽtes remitti debita noſtra. Viciſsim autem bona ſpe fulcit cor noſtrum, remiſsionem peccatorum indubitatam oſtẽdens. Non enim Chriſtus conſiliorum Dei patris conſcius,veniam delictorum petere nos iuſsiſſet,niſi ſciret patrem ad dandam eam ſemper prõptum & paratum eſſe . Sed miſericordiam Dei (vti diximus) nobis ſub conditione petendam propoſuit, vt tum demũ poſtulemus à Deo nobis remitti peccata noſtra,ſi nos etiam peccãtibus in nos ex animó remiſerimus, Hæc autem debitorũ remiſsio ad priuatos affectus coercendos pertinet,nec per illam pecuniç repetitio,aut legitima magiſtratuum vindicta prohibetur : tametſi Chriſtiana pietas ſatis mouere debeat locupletiores, vt largiantur non habentibus,etiam nihil inde ſperantes. *Mat. 7.*

DOROTHEA.

Quid ſexto loco in hac oratione poſtulas?

THEOPHILVS.

Oro, ne inducat nos Dominus in tentationem.

DOROTHEA.

Latius explica quid hac petitione requiras , & quid tentationis nomine accipias. THEOPHILVS.

Auxilium petimus à Domino:quãdoquidem vita noſtra militia eſt,& tentatio ſuper terram : & ſumus in hoc mundo,velut in procelloſo mari,horrendis periculis & formidabilibus hoſtibus circumſepti. Diabolus rugientis leonis in morem nos circuit,vt deuoret: ad malum nos caro ſollicitat aſsiduè, nos vndique oppugnat mundus : per oculos ad ſuperbiam,ad auaritiã, ad libidinem rapimur, cùm *Iob 7.* *1. Petr. 5.*

videmus alios præ nobis honoribus, alios opibus multo beatiſsimos eſſe, formoſis vel puellis oculos adiicimus: per auditionem ad iram prouocamur, cùm publico hominum ſermone vapulamus: per guſtatum, ebrietati indulgemus: per tactum, per odoratū, molles ac diſſoluti efficimur. Affectus item nos diuexant, perturbant, diſcruciant: ſexcenti alij nos circunſident hoſtes continenter inſidias facientes. Proinde vt ne in hæc mala incidamus, diuina ope nobis opus eſt. Itaque ſupplices oramus patrem cœleſtem, vt infirmitati noſtræ ſuccurrat, neque nos in peccatum ruere, & iniquitati conſentire ſinat, neque diabolo, aut carnis noſtræ cupiditatibus nos vincēdos permittat: ſed per gratiam adeſſe velit, ſuáque virtute nos munire, vt potentes ſimus ad reſiſtendum hoſtibus, qui aſsiduum nobis bellum inferūt.

DOROTHEA.

An hoc Dei auxilio omnes egemus? THEOPHILVS.

Nemo ſanè illo carere poteſt. Nam Satanas (qui princeps & Deus huius mundi, & fortis armatus nuncupatur) nos aſtutiis & fallaciis aſsiduè adoritur, & præſto vbique eſt, vt nos ad facinora trahat: facilè autem nos vinceret, niſi nos manu ſua, ſuóque præſidio muniret, & ſpiritualibus armis armaret pater æternus. Ea enim ſumus imbecillitate, vt ſtatim concidamus, niſi Dei ope adiuuemur. Nam & mens noſtra & voluntas ad malum maximè prona eſt. Ideò nos fidei, tutelæ, & protectioni diuinæ oportet committere, & recta fortíque fide diabolo & tentatoribus obuiam ire. In hac fidei virtute eſt omnis victoria noſtra in ſpiritu ſancto, idque per Ieſum Chriſtum, qui vicit mundum, & diſſoluit opera diaboli. DOROTHEA.

Deum videris tentatorem nuncupare, cùm precaris, ne nos inducat in tentationem.

THEOPHILVS.

Deus quidem neminē tentat vt perdat, ſed magis vt probet & exploret fidem noſtram: exercendo, robur cōfirmet: carnem noſtram mortificet & excoquat: quæ niſi hunc in modum coerceretur, laſciuiret, ac ſupra modum exultaret. Sic tentauit Abraham, Prophetas, Apoſtolos, & inuictos martyres: vt aurum in fornace probatur, ita probare & tentare voluit fideles Dominus: & dedit in tentatione pro-

ntum,ſuáque fecit protectione,ne Satanæ fraudibus opmerentur,aut vlla vi ſuperarentur. Aliter verò tentat dia lus,qui mala ſuggerit,vt perdat,damnet,ſubuertat,præitet. Contra hunc vigilandum eſt nobis & orandum, ne remus in tentationem:viriliter illi reſiſtendum,ne quopacto illius ſuggeſtionibus delectemur,vel conſenſum s præbeamus. Orandum eſt aſsiduè,ne nos ſua gratia de uat Dominus, neque Satanæ tyrannidi tradat, & coniit in reprobam mentē, vt prorſus ſimus expoſiti ad oms tentationum inſultus. Orandum vt nos defendat,connet,& erigat in huius vitæ certamine : quò tandem periamus iuſtitiæ coronam.

DOROTHEA.

Quid ſibi vult vltima petitio, dum à malo liberari polas?

THEOPHILVS.

Hæc vltima orationis Dominicę clauſula comprehēdit nia aduerſa,tam interna quàm externa,à quibus liberaetimus,vt tuti à vitæ animique periculis,quæ continenmalorum dæmonum operatione impendent, Domini tute contra omnes aduerſas virtutes, quibus oppugnaır,fortes ſtemus:vt in eius cuſtodiam fidemque ſuſcepti ipſius protectione ſecuri,ſupra peccatum,mortem,infe rum portas,& totum diaboli regnum inuicti duremus. imus à malo culpæ eximi,ne in ſuperbiam,odium,auaam,luxum,& alia crimina incidamus, & diaboli irretiti ueis teneamur. Potiſsimùm ab errore & falſis doctrinis iberemur,petim⁹. Mali enim appellatione,intelligimus n ſolùm diabolum,qui author eſt omnis mali,ſed etiam cquid eſt periculi,aut aduerſitatis,quod corpori vel anie accidere poteſt. Petimus ergo ne calamitatibus pręſen us aut futuris deprimamur, néve perpetuā iram Dei & nēnam ſuſtineamus. Id quod non noſtris viribus,ſed ſodiuina ope conſequi poſſumus.

DOROTHEA.

Cur Græci in calce orationis adiiciunt, Quoniā tuum eſt gnum,tua potentia & gloria in ſecula ſeculorum?

THEOPHILVS.

His verbis erigimur ad Dei laudem & gloriam,admomurque vt in Dei potētia & bonitate preces noſtras ofamus,& ſemper cogitemus, quàm diues, potens, beni-

gnus,bonus &miſericors ſit dominus in omnes qui inuocant illum. Præterea docemur omnes preces noſtras Dei laudibus claudere. DOROTHEA.

Cur finitur oratio hac dictione,Amen?

THEOPHILVS.

Hæc eſt vox ſermonem confirmans, quæ perinde valet, atque ſi dicatur,Certò fiat:vt intelligamus patrem cœleſtē pia filiorum vota exauditurum,ſi iuxta præſcriptam formam à filio ſuo orauerimus. Ea ergo ardor deſiderij exprimitur obtinendi quæ à Deo petita ſunt: & ſpes noſtra confirmatur,huiuſmodi omnia iam impetrata eſſe,& certò nobis conceſſum iri: quando à Deo promiſſa ſunt, qui fallere non poteſt.Atque hic ſenſus erit:Vt iſta omnia nos fidei pleni tuo iuſſu pater orauimus, ſic tua freti bonitate certum habemus noſtri optati fore compotes.

DOROTHEA.

Particulas omnes orationis Dominicæ pulchrè mihi intellexiſſe videor:ſed de te libenter audierim,cur ei peruulgato more ſuccedat angelica illa ſalutatio, Aue Maria. Nam quoſdam video ſiniſtra pietate inductos eam loco mouere.

THEOPHILVS.

Per hanc ipſam eccleſia catholica immenſum illud humanæ redemptionis opus memoria repetit,& ad reddendam Deo gratiarum actionem incitatur pro iis beneficiis, quæ damnato mundo, virginis matris miniſterio Deus elargiri dignatus eſt. Et dum eximias laudatiſsimæ huius virginis laudes recenſet, Dei bonitatem admiratur & extollit,qui per gratiam ſuam ex humili talem fecit,vt ad eā laudandam humanus ſermo non ſufficiat.Vbi igitur oratione Dominica, quæ ad conſeruandam ſalutem noſtram faciunt,poſtulauimus,per ſalutationem nūquam ſatis laudatæ virginis,redemptionisChriſti,quæ ſalutis noſtræ fōs & origo,& beneficiorum Dei caput eſt, gratam in nobis recordationem excitamus. Quoties enim hac ſalutatione virginem Deo dilectam compellamus,ſtatim admonemur illius fauſtiſsimæ horæ,quæ prima poſt infœlicem Adami lapſum,læta humano generi illuxit, qua Deus populi ſui afflictionē miſeratus,miſſo Angelo fœminā ſibi delegit,

: cuius miniſterium mortem aboleret,quam per fœmi-
m diabolus inuexerat. DOROTHEA.

Aſſequor quid velis. Quoties,aìs,redemptionis noſtræ neficium commemoramus,& Deo gratias agimus, qui n benignè & miſericorditer perditos nos adiuuit per riſtum dominum noſtrũ,tunc haud poſſumus obliuiſci ginem Mariam, quæ in obſequio ſalutis noſtræ animo corpore paratiſsima , tam promptum Deo ad commu- n redemptionem obtulit miniſterium.Ecce, inquit,an- a Domini,fiat mihi ſecundum verbum tuum. *Luc.1.*

THEOPHILVS.

Iſtud ipſum aio. Eamque ob cauſam intrepidè ipſam n angelo his verbis ſalutamus, Aue Maria gratia ple- Dominus tecum.Et cum Elizabeth fœmina Deo plena imus:Benedicta tu inter mulieres,& benedictus fructus atris tui.Iſta enim virginis huius encomia in Deum re- ndãt,ſingularum virtutum , quæ in ea refulgent,autho- n.Ac dum Mariam ſalutamus,& tanquam omnis gratiæ ſalutis noſtræ officinam laudamus,in ea ſanè Dei dona gnificamus.Dei patris immẽſam bonitatem recolimus, i virginem per angelum ſalutans reconciliationis gra- m perditis & miſeris hominibus annunciauit. Inſuper monemur dilectionis Ieſu Chriſti,qui pro nobis redi- ndis in virginis vterum deſcendere , & homo naſci,& ortalis fieri non recuſauit.Spiritus ſancti gratiam admi- nur,qui opificium ſalutis noſtræ in vtero huius virginis mirabili virtute contexuit. Breuiter per iſtam virgi- ſalutationem in memoriam cum debita gratiarum ione reducimus omnia illa immenſa beneficia, quæ niſterio huius virginis, per Chriſti filij ſui humanitatẽ, bis exhibere dignatus eſt, qui eſt diues in miſericordia us in ſecula benedictus.

DOROTHEA.

At quid ſibi vult adiecta ſalutationi precatio : Sancta aria mater Dei ora pro nobis peccatoribus, nunc & in ra mortis noſtræ ? An præter Deum (qui primus eſt & us ſalutis noſtræ author) quenquam inuocare & pre- i fas eſt? Te antehac dixiſſe memini, Deum velle ſolum ocari,eũq́ue honorẽ ipſi eſſe propriũ.Blaſphemiæ ergò

proximũ eſt,creaturæ tribuere, quod ſoli creatori cõpetit.

THEOPHILVS.

In vno Deo tota ſpes noſtra hærere & acquieſcere debet:ab ipſo tota expectatio noſtra debet pendere:quicquid nobis neceſſe eſt,inde velut ex vberrimo fonte haurire nos oportet:ab ipſo auxilium, ſalutem,& ſolidam fœlicitatem cõuenit poſtulare.At nihil prohibet quominus,vti eos,qui etiamnum ſunt ſuperſtites & hac fruuntur luce rogamus, vt Deum pro nobis orent,ita virginem matrem oremus, & alios ſanctos, qui in cœlo regnant cum Chriſto Ieſu,vt noſtras precationes apud Deum adiuuent, ac nobiſcum in nomine Chriſti precentur,vt ſua,non ipſorum virtute nobis auxilium det in neceſſitatibus,& ſalutem adferat. Sed & religióſa quadam pietate ac ardore animi, in commemoratione intimæ noſtræ cum illis in Chriſto coniunctionis,eos etiã nominatim appellare poſſumus, vt pro nobis orent:ſed extra preces,quæ ad altare offeruntur: in quibus ad ſolum Deum patrem per Chriſtum dirigi debet oratio, vt habet concilium Carthaginenſe tertium.Certùm enim ſcimus ſanctos (qui cœli ciues ſunt & incolæ) miro teneri ſalutis noſtræ deſiderio, vti vnius eiuſdemque nobiſcum corporis membra,quæ ſine nobis conſummanda nõ ſunt: ideóque perfecta,qua nos proſequũtur, charitate mouẽte, eos Deum pro nobis orare dicimus. Quod vt faciant,nequaquam ea,qua apud Deum nunc pro ſe ſecuri, & ab infirmitatibus defectibuſque immunes viuũt, fœlicitas prohibet.Quare fatemur Deum exaudire ſanctos,qui etiamnum vno ſpiritu & vinculo charitatis nobiſcum colligati, curam noſtri agunt,ſalutem noſtram expetunt,noſtraſque ęrumnas & calamitates miſerantur.Quod cùm ita habeat, piè Deum oramus(quemadmodum cõmuni catholicæ eccleſiæ cõſenſu receptum eſt) vt ſanctorum ſuorum meritis precibuſque concedat,vt in omnibus ſuæ protectionis auxilio muniamur,nõ quidem ipſorum meritis ex ſe, verùm per Chriſtum dominum noſtrum.Neque enim ſanctorum merita talia eſſe affirmamus, qualia in Chriſto inuenimus, qui ſemetipſum pro nobis impendens, & ſuum fundens ſanguinem,plenam apud Deum reconciliationem mundo prometuit.Sanctorũ verò merita ſua,quibus & ipſi ſeruati

Auguſti. lib.22.de ciuit.Dei,capi.10.

Cap.23.

Heb.11.

nt,& nobis opem ferunt,ex eodem ſalutis omnis & to-
ıs meriti fonte,Chriſti videlicet perpeſsione, hauſerunt.
on enim, ſi ius ſummum iuſtitiæque rigorē ſpectemus,
iquam ſanctorū operationes ſuæ,quantumuis fructuo-
,ad propriam ſalutem ſuffeciſſent,iuxta illud:Non iuſti-
cabitur in conſpectu tuo omnis viuens .Et illud Chriſti, *Pſal.1.42.*
ùm feceritis omnia quæ præcepta ſunt vobis,dicite:Serui *Luc.17.*
utiles ſumus.Item:Non ſunt pares afflictiones præſentis *Rom.8.*
mporis ad gloriam , quæ reuelabitur erga nos. Ex Dei
tem miſericordia & liberalitate,& Chriſti gratia,nō ſo-
m ipſis ad ſalutem ſanctorum merita conducūt, ſed etiā
obis ad protectionē,& gratiæ diuinæ impetrationē pro-
nt,Deo in iis miſericorditer implente, quod veraciter
omiſit,cū ait: Ego ſum Deus tuus fortis,zelotes, viſitās *Exod.20.*
iquitates filiorū,in tertiā & quartam generationē eorū
ıi oderunt me,& miſericordiā faciens in millia iis qui di-
gūt me,& cuſtodiunt præcepta mea.Sic defuncti Abrahā
erita filio Iſaac profuerunt.Legimus enim Iſaac Deum
xiſſe:Ero tecū,& benedicā tibi.Tibi enim & ſemini tuo *Gen.26.*
ibo vniuerſas has regiones,complēs iuramentum quod
opōdi Abraham patri tuo: & multiplicabo ſemen tuum
cut ſtellas cœli:& benedicentur in ſemine tuo omnes gē-
s,eòquòd obedierit Abraham voci meæ: & cuſtodierit
æcepta & mandata mea,& ceremonias legeſque ſerua-
erit. Et paulò pòſt eodem capite : Ego ſum, inquit, Deus
braham patris tui:Noli timere,quia ego tecum ſum:Be-
edicam tibi,& multiplicabo ſemen tuum propter ſeruum
eum Abraham.Nonne ex iis verbis,Quia obedierit voci
eæ,&c.cernere eſt Abrahami meritū ? Nō tamē inficior
donum Dei fuiſſe.Quid Iacob?Nónne in religione ne- *Gen.48.*
otes ſuos erudiens,nomen ſuum &patrum ſuorum ſuper
ſos inuocari docuit morti iam proximus?Deus,inquit,in
ius cōſpectu ambulauerunt patres mei Abrahā,& Iſaac:
eus qui paſcit me ab adoleſcentia mea vſque in præſentē
ē:angelus qui eruit me de cūctis malis, benedicat pueris
is:& inuocetur ſuper ipſos nomen meū,nomina quoque
atrū meorū Abraham,& Iſaac:& creſcant in multitudinē
iper terrā.Optat Iacob vt in nepotibus ſuis,nomen ſuum
atrumque ſuorum Abrahā & Iſaac vocetur,id eſt,poſthac

dicantur filij ſui,& filij Abrahæ & Iſaac: nimirum quò bonis iis potiantur, quæ promiſſa erant Abraham & Iſaac meritis. Neque enim magnopere laborat Iacob de propaganda nominis ſui & patrum celebritate: ſed quia totam poſterorum beatitudinem conſtare nouit hereditate fœderis, quod ſecum Deus pepigerat, quod illis bonorum omnium ſummum fore videt, comprecatur, vt genere ſuo cenſeātur. Id enim aliud nō eſt, quàm fœderis ſucceſsionē ad eos tranſmittere. Ex eo tēpore Iſraelitę inuocationem nominis Abraham ſuper ſe, ſemper retinuerunt: vt dum generis ſui originem ad eum referrent, ac celebrem eius memoriam tanquam authoris parentiſque ſui precibus inducerēt, recordarētur fœderis, quo Dominus illis ſe propitium ac beneficum fore, in Abrahæ, Iſaac, ac Iacob gratiam, promiſerat. Quòd autem ad beneficium fœderis animum aduertentes, ſimul in patrum merita reſpexerint, teſtatur publica illa vox eccleſiæ apud Prophetam: Tu pater
Eſa.63. noſter, & Abrahā neſciuit nos, & Iſrael ignorauit nos. Tu Domine pater noſter, & redemptor noſter. Cōuertere propter ſeruos tuos, tribus hereditatis tuæ. Licèt enim patrū fidem non implorauerint, vt eorum precibus apud Deum iuuarentur: Deum tamen obteſtantur, quò ſeruorum ſuorum Abraham, Iſaac, & Iacob meminerit, beneq́ue de ipſis propter illorum merita mereatur. Quod & Moſes plena
Exod.32. fiducia fecit: Quieſcat, inquit, ira tua, & eſto placabilis ſuper nequitia populi tui: Recordare Abrahā, Iſaac, & Iſrael ſeruorum tuorum, quibus iūraſti per temetipſum, dicens, Multiplicabo ſemen veſtrum ſicut ſtellas cœli, &c. Statim autem ſequitur: Placatúſque eſt Dominus ne faceret malū, quod loquutus fuerat aduerſus populum ſuum. Viden Deū audiuiſſe Moſis orationem, qua per Abraham, Iſaac, & Iacob merita rogabatur? quum enim Domino fœderis ſui recordationem obiicit, vnà etiam cauſam cōplectitur, qua impulſus Deus, hoc ipſis promiſerat. Hæc autem ver-
Gen.26. bis ſuperius citatis exprimitur: Eò quòd cuſtodierit præcepta & mandata mea, & ceremonias legeſq́ue ſeruauerit. Sic etiam orauit Azarias in medio ſuccenſæ fornacis. Ne
Daniel.3. auferas, inquit, miſericordiam, domine Deus noſter, tuam à nobis propter Abraham dilectum tuum, & Iſaac ſeruum tuum,

tuum, & Iſrael ſanctum tuum, quibus locutus es, pollicens quòd multiplicares ſemen eorum ſicut ſtellas cœli. Patrum merita Deo obiicit, initi cum ipſis fœderis memoriam renouans: itaque orans vnà cum ſociis è preſenti vitæ diſcrimine ereptus eſt. Sic propter gratiam, qua apud Deum valuit Dauid, vir ſecundum cor Dei, tota eius poſteritas beneficentiam Dei atque miſericordiam in cõmodum ſuum perſæpe ſenſit. Verbi gratia, ait Dominus Salomoni: Quia non cuſtodiiſti pactum meum & præcepta mea quæ mandaui tibi, diſrumpens ſcindam regnum tuum, & dabo illud ſeruo tuo. Veruntamen in diebus tuis non faciam, propter Dauid patrem tuum. Cùm hoc diceret Dominus, reſpiciebat quidem ad ea quæ hiſce verbis Dauidi promiſerat: Cùm completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, ſuſcitabo ſemen tuum poſt te, quod egredietur de vtero tuo, & firmabo regnum eius. Ipſe ædificabit domum nomini meo, & ſtabiliam thronum regni eius vſque in ſempiternũ. Ego ero ei in patrem, & ipſe erit mihi in filiũ. Qui ſi iniquè aliquid geſſerit, arguam eum in virga virorum, & in plagis filiorum hominum: miſericordiam autem meam nõ auferam ab eo, ſicut abſtuli à Saul, quem amoui à facie mea. Et fidelis erit domus tua & regnum tuum vſque in æternum ante faciem meam, & thronus tuus erit firmus iugiter. Atque id eſt, quod promiſſum à Domino Dauidi erat & eius ſemini, hoc eſt, Salomoni, & regiæ ipſius poſteritati. Conſtat enim Deum compluribus regibus ignouiſſe, totique regno, eòſque ſeruaſſe incolumes huius promiſsi cauſa. At non eò tantùm ſpectauit Dominus, verùm etiam habuit rationem fidei atque obedientiæ ipſius Dauidis, quibus ad id promittendum adductus fuerat, vt hęc indicant verba, quibus Ieroboam alloquitur: Non tollam totum regnũ de manu Salomonis, ſed ducem ponam eum cunctis diebus vitæ eius, propter Dauidem ſeruum meum, quem elegi, quia cuſtodiuit præcepta atque ſtatuta mea. Reſpexit ergo Domin' in oratione, & ad promiſſum ſuum, & ad bona Dauidis opera, quæ Deus ex miſericordia ſua & gratuita liberalitate, licèt dona ſua ſint, perinde grata & accepta habuit atq; ſi propria ipſi' merita fuiſſet. Sed videamus quod alibi ſcriptum eſt: Protegam (inquit

3. Reg. 11. cap. — *2. Reg. 7.* — *3. Reg. c 11.* — *Eſai. 37.*

4.*Reg.*19. Dominus Ezechiæ regi) vrbem hanc, & ſeruabo eam propter me, & propter Dauidē ſeruum meum. In his verbis apertè vtramque cauſam coniūgit, nimirum veritatē atque conſtantiam ſuorum dictorum conuētorumque, cùm ait, Propter me: & Dauidis merita, cùm ſubdit, Et propter Dauidem ſeruum meum. Sed hanc malo controuerſiam beati
Hom. 2. *in Pſal.* 50. Chryſoſtomi verbis quàm meis dirimi. Ait ergo: Sanctus Dauid non ſolùm cùm in corpore eſſet, placuit Deo, ſed & poſt mortem ſuam viuis inuenitur præſtitiſſe grande ſolatium. Dauid mortuus eſt, & merita eius vigent. O rem admirandam! O ineffabilem clementiam Dei! Dauid mor-
Hom. 42. *ſuper Geneſin.* tuus eſt, & Ezechiæ viuo patrocinatur. O iuſtorum, etiam poſt conſummationem, inexpugnabilis pugna virorum! Atque idem alibi: Multa, inquit, Domini bonitas eſt, & ſæpe ſolet etiam propter paucos multis dare ſalutem. Et quid dico propter paucos iuſtos? Sæpe quando non inuentus eſt in præſenti vita iuſtus propter defunctorum virtutem, viuentium miſeretur & curam habet: vnde clamat dicens, Protegam ciuitatem hanc propter me, & propter Dauidem puerum meum: Quaſi diceret, Licèt ipſi indigni ſint, & nullam ſalutis habeant occaſionem, verùm quia ſolitus ſum miſericorditer agere, & ad miſerandum promptus ſum, propter meipſum faciam, & propter puerum meum Dauidem, qui ante hos annos è vita migrauit. Hic erit author ſalutis his, qui ſua ſeſe perdiderunt deſidia. Hæc Chryſoſtomi verba ſunt, qui luculentius aſſeuerare nō poterat, Deum tum propter nomē ſuū, tum ob Dauidis merita, propugnaturū ſe ſeruaturumque ciuitatem ſpopondiſſe. Falluntur ergo qui putant Dominū aliud nihil ſibi voluiſſe, quàm ſeruaturum ſe ciuitatē propter ſe & fidem Dauidi datam, ipſius merita planè reiiciētes. Coniungit enim Dominus (vt antè diximus) & gloriā nominis ſui, quæ in veritate & conſtantia promiſſorum ſuorum effulget, & fauorem, quo Dauidem proſequebatur propter integritatem vitæ & virtutum merita. Quare nihil proficiunt, cùm Deum affirmant, ſi vitæ ſanctimoniā ſpectare voluiſſet, oculos potius ad Moſem, Ioſue, aut Samuelem conuerſurum fuiſſe, quàm ad Dauidem. Neque enim tale quid ipſis Deus, vt Dauidi, pollicitus erat: vt in-

terim taceam quòd Dauid permultis in rebus typum figuramque geſſit Chriſti Ieſu ſeruatoris noſtri, in quo quidem promiſsio æternitatis regni eius impleta eſt: id quod præclarè docet apud Prophetam Dominus ipſe. Suſcitabo, inquit, ſuper ea paſtorem vnum, qui paſcat ea, ſeruum meum Dauid: ipſe paſcet ea, & ipſe erit iis in paſtorem. *Ezech.* 34. Ego autem Dominus ero iis in Deum: & ſeruus meus Dauid princeps in medio eorum. Non vtique Dominus de ipſomet Dauide loquebatur, qui multò antè è vita exceſſerat: ſed de Chriſto Ieſu Domino noſtro. Si merita igitur Dauidis mortui tum vigebant, nec ipſi modò proderant, ſed & aliis: nónne piè orabunt fideles, vt ſanctorum meritis & precibus, in omnibus diuinæ protectionis muniantur auxilio, per Chriſtum Dominum noſtrum, qui omnia illa ſanctis ſuis promeruit, impetrauit, obtinuit, propter quæ illi Deo placent acceptíque ſunt?

DOROTHEA.

Sed nónne ſcriptum eſt, vnum eſſe Deum, vnum etiam conciliatorem Dei & hominum, hominem Chriſtum Ieſum? *1. Tim.* 2. Si à patre igitur conſtitutus eſt ſolus conciliator, aduocatus, atque etiam interceſſor: quî ſanctos faciemus intercesſores, vt filij Dei gloriam non obſcuremus, & honorem deteramus? Scribit enim Ioannes Apoſtolus, aduocatum nos habere apud patrem Ieſum Chriſtum iuſtum, qui ſolus ſua ſibi morte hoc officium munuſque comparauit, tanquam verè purus ac innocens. *1. Ioan.* 2.

THEOPHILVS.

Haudquaquam ſanè Diuus Paulus, dum vnum interceſſorem pronunciat, Dominum Ieſum, ſanctorum intercesſionem excludere patat: ſed declarare vult vnum eſſe Deum ſeruatorem omnium, & vnum eſſe reconciliatorem Dei & hominum, Chriſtum videlicet Ieſum (qui pro omnibus, ſine perſonarum exceptione, mortuus eſt) neque cuiquam in alio ponendã eſſe ſalutis ſpem. Nec enim aliud nomen eſt ſub cœlo datum inter homines, in quo oporteat nos ſaluos fieri. Talis interceſſor, qui *Act.* 4. *ta.*

morte ſua Deo mundum reconciliarit, ſolus eſt. Atque ita hoc interpretatur Auguſtinus, dum ſic loquitur: Homines Chriſtiani inuicem ſe commendant orationibus ſuis. Pro quo autem nullus interpellat, ſed ipſe pro omnibus, hic vnus veruſque mediator eſt. Paulus Apoſtolus, quãquã ſub capite præcipuum membrum, quia tamen membrum erat corporis Chriſti, & nouerat, non per figuram in interiora veli ad ſancta ſanctorum, ſed per expreſſam & firmam veritatem in interiora cœli ad ſanctitatem non imaginariam ſed æternam intraſſe maximum & veriſsimum ſacerdotem eccleſiæ, ſe orationibus quoque fidelium ipſe commendat. Nec mediatorem ſe facit inter populum & Deum, ſed rogat, vt omnia corporis Chriſti membra inuicem pro ſe orẽt, quoniam inuicem ſollicita ſunt membra: & ſi patitur vnum membrum, reliqua compatiuntur. Ac ſic membrorũ omniũ adhuc in terra laborantium mutuæ pro ſe inuicem orationes aſcendant ad caput quod præceſsit in cœlum, in quo eſt propitiatio pro peccatis noſtris. Nam ſi eſſet mediator Paulus, eſſent vtique & reliqui Apoſtoli: ac ſic multi mediatores eſſent: nec conſtaret ipſius Pauli ratio, qua dixerat: Vnus enim Deus, vnus mediator Dei & hominum homo Chriſtus: in quo & nos vnum ſumus, ſi ſeruamus vnitatem fidei in vinculo pacis. Vides vt Diuus Auguſtinus Chriſtum aſſeueret ſolum eſſe & vnicum redemptionis mediatorem? Tamen vt is ipſe vnicus eſt Dei filius, neque id obſtat quominus electi, filij Dei vocentur: ita vnus interceſſor, qui ſuper cœlos eſt, vbi interpellat pro nobis, qui pro nobis in terra mortu' eſt, alios interceſſores minimè excludit. Atqui maximum eſt diſcrimen inter conciliatoris officium, quod ſoli Chriſto competit, qui dedit ſemetipſum pretium redemptionis pro omnibus, & officium interceſſoris ſiue precatoris, quod omnibus ſanctis commune eſt, tum ſuperſtitibus & hac vita fruentibus, tum iis qui cum Chriſto regnant, corpore quidem mortui, ſed ſpiritu viuentes. Omnes oramus cœleſtem patrem, alij pro aliorum ſalute, dum tamen fratrum adhuc in terra degentiũ preces expetimus, à Chriſto, vnico mediatore redẽptionis & noſtræ ſalutis opifice neutiquã deſciſcimus. Ad eundem etiã modum, quum ſanctorũ apud Deũ viuentium preces expo-

Lib. contr. Parmen. 2. cap. 8.

1. Cor. 12.

Rom. 12.

Auguſt. in pſal. 94.

1. Tim. 2.

expoſcimus,quos quidem diuinā nobis opem indeſinēter implorare certò ſcimus, tanquam eiuſdem communitatis ciues,vniuſque corporis membra:quum,inquam, eos rogamus,vt Deum cōmunem parentem, per Ieſum Chriſtū cōmunem omnium mediatorem,pro noſtris neceſsitatib' interpellēt:nihil eo facto gloriæChriſti detrahimus,quum eum ſolum ſanguine ſuo Deo nos recōciliauiſſe,æternámque redemptionem inueniſſe fateamur.Neque verò nobis ad Deum acceſſum,extra Chriſtum,qui ſolus via eſt,molimur,quum per ſanctos, velut veriſsima Chriſti membra, commendari Deo poſtulamus. Imò dum ſanctos nobis precatores paramus,eorumque orationes precibus noſtris adiunctas cupimus, tum maximè in Chriſti nomine petimus.Siquidem non alia fiducia ad ſanctorū interceſsionē cōfugimus,quàm ꝙ eos ob fidē & religionemChriſti(quā ſyncerè coluerūt) apud Deum magna flagrare gratia magnique meriti eſſe nō dubitamus.Spes ergo meriti Chriſti eſt,quæ ad ſanctorum preces expetendas nos allicit, confidētes fore vt in Chriſti nomine (cuius amici ſunt ſancti) oratio noſtra Deo grata ſit, tandemque audiatur : ac ſolo Chriſti obtutu ab omnibus malis liberemur,omnibuſque cumulemur bonis.Non hoc ſanè petimus, vt ſancti ſalutē virtute ſua nobis largiantur(ſcimus enim Deum ſolū eſſe, qui de theſauro bonitatis & miſericordiç ſuæ omnia bona ſubminiſtrat) ſed vt ſua interceſsione ſuiſque ſuffragiis nos apud Deum adiuuent,ac diuinum nobis auxilium impetrent.Si enim dum adhuc mortale corpus circūferentes non omnino carent peccatis,& egent alienarum precū interceſſione, tamen audiūtur orantes pro fratribus:quanto magis credendū eſt,eoſdem iam exuta mortalitate,omníque vitæ huius contagio liberos, poſſe aliquid apud Deū, præſertim cùm(vti iam ſuprà monuimus) neque fraternā charitatem,neque noſtri ſtudium cū vita poſuerint? Certè dubitari non poteſt,quin hi,qui iam in cœlis agunt, votis ardentiſsimis optent ſalutem omnium qui Chriſti nomen profitētur.Et ſi,cùm in viuis eſſent,orabant etiam pro iis, qui erāt à Chriſto alieni,atque adeò pro iis à quibus affligebantur & occidebantur: quî conſentaneū eſt eoſdē nūc nec pro fratribus periclitantibus orare, nec quicquā apud

Deum poſſe,pro cuius amore ſeſe tradiderũt in mortem? Et quid tale admiſiſſent ſancti,cur Deus nunc eos,ceu operationum ſuarum organa faſtidiret,per quos adhuc carnis infirmitate circundatos, potentiæ ſuæ opera libenter & crebrò edebat?Aut quid perdidiſſent,cur nũc ciues cœli et domeſtici omnipotẽtis Dei, & angelorũ conſortes effecti, poſt coronas,victorias & triumphos, non idem valerent apud Deum quod potuerunt in corpore? Sed donemus ex ſuperfluo ſanctos otioſos frui Chriſto, neque nobis ſuis orationibus prodeſſe poſſe:certè nõ meretur explodi pius ille hominis affectus,quo ſibi totus diſplicens, non audet attollere oculos ad thronũ gloriæ Dei, ſed ad aliquẽ ſanctorum confugit,quem putat eſſe Deo gratum,ſemperque verſari cum Deo:atque hunc eò maiore fiducia compellat peccator,quòd ſciat illũ quoque fuiſſe peccatorem,ac Dei miſericordiam conſecutum. Neque enim Chriſtus dãnauit affectum mulierculæ,ſanguinis profluuio laborantis, quòd indignam ſeſe iudicaſſet vt Chriſtum ipſum palàm adiret,ſed cõtigit fimbriam veſtis illius,& ſanata eſt. Omnes ſancti Chriſti membra ſunt. Si per fimbriam attactam dat beneficium,mirum eſt ſi dat per ſua membra?Chriſtus nullam ſuam veſtem ſubduxit in cœlum,membra ſua ſubduxit.Legimus ſanatos ægrotos,quos vmbra corporis Apoſtolorũ attigiſſet,& à dæmoniis quoque liberatos, qui
Act.5. contacti fuiſſent ſudariis & ſemicinctiis,quæ contigiſſent corpus Apoſtoli Pauli. Harum rerum licèt tota gloria debeatur Deo,hanc tamen tribuebat diſcipulis ſuis: quia ſic illí viſum eſt, ſic ipſe pater voluit glorificari per filium,ſic filius per diſcipulos, & ſic expediebat nobis, quò magis agnoſceremus illam ab Apoſtolis nobis traditam ſanctorum communionem,quæ non ſolùm viuos, verùm etiam defunctorum animas, atque ipſos etiam angelicos ſpiritus complectitur. Conſtat vtique pium illum affectum non poſſe non eſſe Deo gratiſsimum,quo ſanctos amore Chriſti veneramur,imò in quibus Chriſtũ ipſum honoramus:& ideò imploramus illorum interceſsionẽ, quòd nos iudicemus indignos,qui Deũ ipſum appellem⁹. Ac perſuaſum habeamus,Deo,qui hîc multa nobis per ſanctos ſuos largitur,quæ ꝑ ſe dare poterat, etiã hoc eſſe placitũ,vt per

eos, quos iam dignatus eſt regni ſui conſortio, multa nobis largiatur. Viuos pro viuis orare voluit, vt inter omnes aleret mutuam charitatem: ſic eorum, quos iam dignatus eſt cœlo, vota nobis prodeſſe voluit, quo magis illorum vitam ſtudeamus æmulari, & ad illorum conſortium properemus euolare, quorum interceſſionem ſentimus nobis efficacem. Quòd ſi hîc error eſſet, non iniuſtè cum Auguſtino, ipſi Domino poſſemus dicere: Domine à te decepti ſumus: Nam tot & tantis ſignis confirmata eſt eiuſmodi ſanctorum interpellatio ac intercesſio, vt non niſi per Dominum fidelium animis inſtillata credi queat. Ac beatus quidem Auguſtinus, vt curam pro mortuis gerendam eſſe oſtenderet, duplici vtitur teſtimonio. In primis locum ex Machabæis citat, quo oſtendit oblatum pro mortuis ſacrificium, non abſterritus, quòd hic liber in canonem Iudæorum non ſit receptus: ſed eo ſolo contentus, quòd eccleſia eum librum, certè antiquiſsimum, veluti impium non reiecerit. Deinde totius eccleſiæ vniuerſalem conſenſum adducit, cuius non paruam, ſed longè maximam authoritatem eſſe contendit. Nos itaque iiſdem rationibus, piam ſanctorum interpellationem eſſe tantùm abeſt vt Chriſti gloriam obſcuret, haud omnino ineptè confirmabimus. Nam in Machabæis ad eundem modum de ſanctis legimus, nempe Iudam Machabæum vidiſſe Oniam (qui ſummus fuerat ſacerdos) ſupinas ad cœlum tendentem manus, ac orantem pro toto cœtu Iudæorum: poſt hæc etiam vidiſſe alium virum ætate & gloria eximium, mirabili quadam & excellenti magnificentia vndique adornatum, de quo rogatus Onias dixerit: Hic eſt fratrum amator & populi Iſraël: hic eſt qui multum orat pro populo & vniuerſa ſancta ciuitate, Ieremias ille Dei propheta. Deinde etſi nuſquam in ſcripturis veteribus omnino legeretur, non parua tamen clareret vniuerſalis eccleſiæ tam Grecæ quàm Latinæ authoritas, quæ ſanctorum interpellationes, ad eum quem diximus modum factas adeò non reiicit, vt tanquam piam aprobet ac celebret. Quod idem apud Zachariam angelus Domini, qui audita tranquillitate & pace, quæ erat apud omnes gentes, orabat pro populo Iſraël, apertè docet

Auguſt. de cur. pro mort. ger.

2. Mac. 12.

2. Mach. cap. 15.

Zach. 1.

Domine exercituum (inquit) quouſque tu non miſereberis Ieruſalem & vrbium Iuda, quibus tu ſuccenſes, is iam eſt annus ſeptuageſimus? Dicitúrque Dominus angelo reſpondiſſe bona verba, & ſermones conſolatorios, reuerſurum ſe ad Ieruſalem miſericorditer, in eáque domum

Tob. 12. ſuam ædificaturum. Quid, quòd Raphael Tobiam hoc affatur ſermone? Quando orabas cum lachrymis, & ſepeliebas mortuos, & derelinquebas prandium tuum, & mortuos abſcondebas per diem in domo tua, & nocte ſepeliebas eos: ego obtuli orationem tuam domino. Cùm ergo angeli Deo noſtras orationes offerant, atque adeò pro nobis orent, quis inficias ire poterit, ſanctos hac exutos carne & in Chriſto viuentes (quos ſcriptura angelis aſſi-

Luc. 20. milat: Et erunt, inquit, ſicut angeli Dei in cœlis) pro vi-

Mat. 22. uis orare? Quòd ſi arctiori neceſſitudinis vinculo quàm angeli nobis illi deuinciantur, cùm eiuſdem nobiſcum naturæ fuerint: nunquid dubitabimus, an tales erga nos ſe præſtent, quales angeli, ac eadem charitate atque ſollicitudine noſtram apud Deum ſalutem procurent? Neque tamen velim intelligas, id eadem prorſus fieri ratione.

Heb. 1 Angeli enim pro nobis orant, vt adminiſtratorij ſpiri-

Pſal. 90. tus quibus delegatum eſt miniſterium curandæ noſtræ ſa-

Pſal. 33. lutis, quibus demandata eſt prouincia cuſtodiendi nos in omnibus viis noſtris: qui nos circumeant, moneant, & conſolentur, qui pro nobis excubias agant. At ſancti præſenti defuncti vita, ad preces pro nobis fundendas incitantur communitatis & ſocietatis iure, qua nobis coniũcti ſunt, quia videlicet, eiuſdem nobiſcum (vt anteà dictũ eſt) corpo-

Heb. 11. ris membra ſunt, Dei nobiſcum ciues, Chriſti perinde atq; nos, fratres, omniũ bonorum Dei cõſortes, nobiſcum hæredes & filij Dei, qui tamẽ ſine nobis conſummatã immortalitatis gloriam (quę corpori ſimul & animo obtinget) non aſſequentur. Et ſi iam nunc eorum ſpiritus ſummo bono perfruuntur, cum Chriſto viuentes, lachrymis, mortis metu, dolore, eiulatu, amaritudíne, fame, ſiti, algore, æſtu, atq; omni pro ſe ipſis ſollicitudine immunes & liberi (neque enim iam nobiſcũ infirmitates noſtras participãt, neq;

Apoc. 7. humanis permouentur affectibus: quoniam agnus, qui in medio throni eſt, regit illos, ac deducit ad viuos fontes aquarum,

quarum, abſtergẽs omnem lachrymam ab oculis eorum.) Quia tamen nobiſcum charitatis vinculo etiamnum deuincti ſunt, miro ſalutis noſtræ deſiderio æſtuant:& pericula non ignorãtes, quæ per Dei gratiam declinarunt, quíbúſque expoſiti ſunt qui in terris vitam degunt, pro noſtris neceſſitatibus (eos huc vocante, qua erga nos afficiuntur, eximia dilectione) Deum orare non intermittunt, vt quas ipſi, cùm viuerent, experti fuerint. Neque verò ſingularis illius amoris, quo Deus maximè benignus & miſericors homines complectitur, notitia, quominus id faciant vllo modo prohibet, ſed magis inſtigat & impellit, cùm cognoſcant Deo placere hominibus ſua interceſſione ſuíſq; precibus elargiri quod ſalutare eſt ipſis. Qua in re minimè obſcurant (vti iam diximus) gloriam natiuitatis Chriſti, eius crucem non delent aut in nihilum redigunt, non ſubuertunt laudem eorum omnium quæ fecit & perpeſſus eſt: multóque minus eum titulo vnici meditatoris ſpoliant (vt ſceleratè garriunt veritatis inimici) quaſi ipſi reconciliationis officium (quod in eius incarnatione, morte, perpeſſione, ac precioſi ſanguinis effuſione ſitũ eſt) eripiant. Non enim Deum communem patrem precantur, niſi per vnici conciliatoris ac redemptoris omnium meritum. Ea autem ſollicitudo, qua pro nobis afficiuntur, non talis eſt vt anxiam moleſtámque curam ipſis iniiciat, quę de inſigni eorum beatitudine quicquam decîdat: non aliter ac ea ſollicitudo, quam angeli pro nobis adeunt, nullam ipſis ægritudinem aut anxietatem adfert, quæ eos gaudio interuertat. Ad eundẽ modum fœlicitas ea, qua nunc apud Deum pro ſe ipſis ſecuri, & ab omni imbecillitate liberi & immunes piorum ſpiritus viuunt, nihil obſtat quominus de rebus humanis, vt & angeli, ſolliciti ſint, malíſque noſtris indoleant. Vt autem flagrans illorum erga nos charitas, eos, vt pro noſtra ſalute orent, admonet: ita ad id faciendum Dei præceptum adducit. Orate (inquit Iacobus) pro vobis inuicem, vt ſalui ſitis. Etſi enim ſancti vita functi, quem dederat curſum natura, peregerunt: haud tamen obliuiſcuntur eius, quod à Deo optimo maximo ſibi mandatum norunt, in terris cùm forent: vt ſalutis hęreditatem, qua iam potiuntur, aſſequi valeamus. *Iac. 5. cap.*

DOROTHEA.

Nónne Apoſtoli verba innuunt, debere nos pro iis orare, qui pro nobis orant? Si igitur ſancti, qui mortale corpus exuerunt, pro nobis preces ad Deum funderent: conſectarium eſſet, vt & pro ipſis orare deberemus: quod in illos eſſet admodum contumelioſum.

THEOPHILVS.

Cypr. lib. 3. epiſt. 6. & lib. 4. epi. 5.

Auguſt. de ciuita. Dei, li. 8. ca. 27. & lib. 22. cap. 10.

Galat. 6.

Quemadmodum pro ſanctis Deo gratias agimus, qui eos, cùm natura imbecilles eſſent, gratiæ ſuæ munere ita roborauit, vt vitia carnis ſuperarint, & contra peccatum, diabolum, & mortem, non ſua ſed Dei virtute fortes, viriliter dimicando, à iuſto iudice coronam iuſtitiæ impetrarint: vt nos (inquam) pro eorum victoria, Deo gratias agimus, ac ob eorum fœlicitatem lætamur (quod orationis genus eſt) ita ſancti, qui ærumnas noſtras miſerantur, pro noſtra ſalute Deum orant, vt dum in vita ſumus, ei ſimus ita dicto audientes, vt tandem bona quæ iam poſſident adipiſcamur. Cæterùm hæc Pauli verba (Dum tempus habemus, operemur bonum) non indicant ſanctos mortuos non poſſe nobis abeſſe & opitulari ſuis precibus: at ſolùm docent Deum non aliud conſtituiſſe tempus, quo alij aliis benefacere poſſimus & mutuam ſubleuare inopiam beneficentia & liberalitate, quàm quo hîc agimus. Cùm enim vitam cum morte commutauerimus, nec benefactis locus erit, nec de quoquam benè merendi facultas. Atque ita eſſe intelligi poteſt, ex eo quod proximè antecedit: Communicet autem qui catechizatur ſermone ei, qui ſe catechizat, in omnibus. His enim verbis Apoſtolus eum admonet, qui myſteria Chriſtianæ religionis viua voce docetur, vt ſuis facultatibus & copiis eum iuuet à quo inſtituitur, vitæ miniſtrans neceſſaria, victum (inquam) & veſtitum, nec eum modò, ſed, vt paulò pòſt ait, omnes homines, maximè verò domeſticos fidei, id eſt, eos quibus cum nobis religionis ac fidei contubernium eſt. Nihil igitur agunt, qui rudibus & imperitis vt perſuadeant ſanctos mortali exutos corpore penſum abſoluiſſe, nec nos ſuis precibus iuuare poſſe, ſuperiori ſententia abutuntur. Scriptura certè, rem multo aliter habere ac ipſi putant, teſtatur. Iſtud enim in Apocalypſi legitur: Et cùm accepiſſet librũ,

quatuor

quatuor animalia, & viginti quatuor ſeniores ceciderunt coram agno habẽtes ſinguli citharas,& phialas aureas plenas odoramentorũ,quæ ſunt precationes ſanctorum,& canunt canticum nouum,dicentes: Dignus es accipere librũ, & aperire ſignacula eius: quoniam occiſus es,& redemiſti nos Deo per ſanguinem tuum. Conſtat autem inter omnes,orationis duas eſſe parteis: petitionem, & gratiarum actionem. Petitione cordis noſtri deſideria apud Deum exponimus,poſcentes ab ipſius bonitate,primùm quæ ipſius duntaxat gloriæ ſeruiunt:deinde quæ vſibus etiam noſtris conducunt. Gratiarum actione,eius erga nos benefacta recognoſcimus,& cum laude confitemur, accepta ferentes eius bonitati omnia, que vſpiam ſunt bona. Vtranque vno verſu Dauid complexus eſt,quum in perſona Dei ita ſcripſit:Inuoca me in die neceſsitatis, eruam te,& glorificabis me. *Pſal. 49.* Eaſdem diuus Ioannes hoc etiam loco,citharum & odoramentorum nominibus deſignat. Citharæ, inſtrumenta ſunt muſica, ad concinendas Deo laudes accommoda. Itaque Apoſtolus per citharam fidelium cum Deo regnantium corda intelligit, qui quidem ſine intermiſsione laudes eius celebrant. Quod apertè monſtrant quæ ſequuntur verba, Et canunt canticum nouum. Per odoramenta,vt ipſe contextus explicat,ſanctorum intelliguntur orationes, non quibus Deum pro ſe ipſis orant: ſed quibus regni eius aduentum, ac pœnitentiæ & ſalutis noſtræ accelerationem efflagitant:charitate auro puriſsimo ſynceriſsimóq; pretioſiore, illos eo adigente,qua quidem eorum corda dilatantur, quæ ob eam cauſam aureæ phialæ dicuntur,quæ vaſa ſunt oris ampli latéque patentis: atque ſanctorum orationibus eiuſmodi phialæ plenæ ſunt, quas pro viuis fundunt. Odoramenta autem appellantur, quoniam Deo per Chriſtum oblatæ, ei longè ſunt acceptiſsimæ, & ſuauè fragrantes. Atqui velle hîc has orationis partes confundere, & ambas pro vnica ſumere,nimirùm gratiarum actione, id aliud nihil eſt quàm ſcripturam peruertere. Quare dicimus ſeniores, vt Chriſti gloria lætabantur, eum laude vehebant, eiúſque beneficia prædicabant, ita ſingulos phialas habuiſſe aureas

plenas odoramentorum,quæ ſunt precationes ſanctorum. Sanctorum ergo ſpiritus apud Deum viuentes cum Chriſto,pro nobis preces fundunt.

DOROTHEA.

Quid,ſi ſanctorum orationes,de quibus hîc agitur,precationes eſſe dicam ſanctorum,qui etiamnum in hoc mundo verſantur,qui viua veráque fide Chriſto coniuncti ſunt, & eius ſanguine flagitiorum maculas lauerunt? hos enim ſcriptura ſanctos,aut ſanctificatos appellat.

Ephe.1. & 2.Co.1. & 1.Pe.2.

THEOPHILVS.

Vt hoc tibi concedam,nulla tamen argumentationis vi coactus,te,velis nolis,fateri oportebit,ſeniores,qui aureas illas phialas habebant,earum precationum ſenſum cognitionemque habuiſſe: quandoquidem illarum plenæ ſunt. Inde autem efficietur,ſanctos apud Deum viuentes,ea quæ hîc agimus,cognoſcere, ideóque pro nobis orare.Id quod Græca ſcholia in hunc locum, aſſeuerant his ferè verbis: αἱ δὲ χρυσαῖ φίαλαι, αἱ διάνοιαι εἰσι τῶν ἐργαζομένων τὰ θεοφιλῆ: id eſt,Phialæ autem aureæ,intelligentiæ ſunt eorum, qui pia & Deo placentia agunt opera. Hoc amplius apud prophetam Baruch ſcriptum legimus:Omnipotens domine Deus Iſraelitice, exaudi quæſo preces mortuorũ Iſraelitarum,& filiorum qui peccauerunt in te monitiſque Domini Dei ſui non paruerũt,quamobrẽ malis ſumus impliciti.Nónne propheta coniungit orationem mortuorũ Iſraelitarum,& filiorum ipſorum,qui in Dominum peccauerãt? Innuit ergo quòd,quemadmodum Iſraelitæ ad Deum conuerſi, precabantur vt malorum,quibus tum premebantur, miſereretur: ita qui iam morte occubuerant, id ipſum ab eo poſtulabant petebantque.Quocirca Dominum pium & miſericordem rogat,vt tum Iſraelitarum vita defunctorũ tum filiorum ipſorum,qui diuturnioribus moleſtiis conflictati in luctu & mœrore iacebant,precationes audiat.Concludendum igitur eſt, ſanctos hac exutos mortalitate, pro ſalute & neceſsitatibus viuentium Dominum interpellare.

Baruch,3.

DOROTHEA.

At quo tãdem pacto mortuorum ſpiritus orationes noſtras audire poſsũt,cùm nos in terris degamus,ipſi in cœlo ſint? An eouſque longæ iis inſunt aures,vt ad voces noſtras

porrigantur? Poſſúntne etiam abſentes, priuatas cuiuſque noſtrûm neceſſitates noſſe? Ecquis oculos dedit tam perſpicaces, vt malis noſtris aduigilent?

THEOPHILVS.

Sancti apud Deum viuentes noſſe poſſunt (ita volente ac ſtatuēte Deo) id quod ſpectat vel ad ipſorum gaudium, vel ad auxilium quod à Deo ſuis precibus ac meritis nobis impetrant: ſiue fulgore diuini vultus ipſos illuſtrante, in quo, ceu in ſpeculo, res hominum ex alto deſpiciunt: (quid enim non vident, cum videntes qui omnia cernit & perluſtrat oculis? Nónne qui verbum videt, omnia quæ in verbo ſunt circunſpicit?) ſiue angelorum qui rebus noſtris interſunt denunciantium miniſterio: aut patefaciente Dei ſpiritu, aut certè alia ratione & via, quam Deus (cui omnia parent) ad id idoneam elegit, qui vtique hoc præſtat, vt angeli peccatoris conuerſionem in cœlo cognoſcentes gaudio exultent. *Luc. 15.* Ecquis autem inficiari queat, vita defunctorum ſpiritus rebus viuentium per diuinam potentiam intereſſe poſſe (neque enim id ipſis per propriam naturam liberum eſt) cùm eius ipſius rei Heliç & Moſis exemplum fidem faciat? *Luc. 9.* Ecquis verò diuinæ potentiæ leges imponere audebit, aut ſanctorum ſpiritus ne rebus noſtris interſint, cohibebit? Cùm Dominus dixerit: Ego gloriā quam dediſti mihi, dedi eis. Et, Volo vt vbi ſum ego, & illi ſint mecum. *Ioan. 17.* Et: Vbi ſum ego, illic miniſter meus erit. *Ioan. 12.* Adhæc affirmat ſcriptura ſanctorum ſpiritus ſectari agnum quocūque ierit. Cùm igitur Dominus per omnia infuſus nuſquam nō adſit: vtique & miniſtri, ſecundum voluntatem Domini, & operationem virtutis eius, vbique aderunt. Et ſi agnus vbique eſt, ergo & ij, qui agnum ſemper ſequuntur, vbique eſſe credendi ſunt, non vtique loci circunſcriptione, ſed celeritate percipiendi ea quæ Deus eos ſcire vult. Aut cur de ſanctorum ſpiritibus mirū & incredibile videatur, quod in dæmonibus creditur, qui totum orbem peruagantur & admirabili celeritate vbique præſentes ſunt? Quod ſi eximiā illam capitis Chriſti cum ſuis mēbris vnionem omni acie ingenij cōtemplemur, haud cuiquam noſtrûm mirum videbitur, quî ſancti deſideria noſtra noſſe, & preces audire poſsint: cùm fidelibus (vt beatus Petrus ait) per Chriſtū *2. Petr. 1.*

pretioſa & maxima promiſſa donata ſint, vt per hæc diuinæ efficiantur naturæ conſortes. De hac autem inſigni neceſſitudine & cõiunctione, quæ Chriſto cum ſanctis intercedit, ipſemet dicebat: Rogo te, pater, pro iis qui credituri ſunt in me: vt omnes vnum ſint, ſicut tu pater in me, & ego in te, vt & ipſi in nobis vnum ſint. Ego in eis, & tu in me, vt ſint cõſummati in vnum. Quæ verba diuus Hilarius ſic intelligit, vt dicat, ſanctos vnum cum Chriſto eſſe, non modò voluntate mentis, quia eandem cum ipſo voluntatẽ habeãt, ſed vnum etiã cum eo eſſe vnitate naturali ſanctis per gratiam Dei impertita, ita nimirum, vt quo modo ipſe viuit per patrem, ita viuant ſancti per eum. Magnam etiam hanc vnitatem oſtendit Chriſtus ipſe, cùm ait: Ego ſum vitis, vos palmites. Quem in locum Auguſtinus ſic ait: Vnius quippe naturæ ſunt vitis & palmites: propter quod cùm eſſet Deus, factus eſt homo, vt in illo eſſet vitis humana natura, cuius & nos homines palmites eſſe poſſimus. De eadem & diuus Paulus in hanc ſententiam. Sicut corpus (inquit) vnum eſt, & membra habet multa, ita & Chriſtus.

Ioan.17.

Ioan.15.

DOROTHEA.

Minimè nunc mihi id quidem dubium eſt, quin eius cõiunctionis ratione, quæ Chriſto cum ſanctis intercedit, deſideria noſtra ex orationibus noſtris illi percipere queant. Sed libenter audiero quid de hac tota quæſtione priſci illi doctores eccleſiæ ſenſerint.

THEOPHILVS.

Si omneis, omnium qui ab incunabulis eccleſiæ Chriſtianæ, de rebus diuinis ſcripſerunt, ſentẽtias hac in re perſequi vellem: nullum dicendi finem reperire poſſem. Attamen, vt tuæ morem geram voluntati, quod nonnulli ſuper hac tota quæſtione memoriæ prodiderunt, quàm breuiſsimè potero, referam. Baſilius ille magnus in libro quem de vera virginitate edidit: Virgo (inquit) ſeipſam & cõſcientiam ſuam reuerebitur. Et ſi vel maximè ſola fuerit, habet aſtantem cuſtodem angelum. Præ angelis autem reuereatur ipſum ſpõſum vbique præſentem. Et quid ſingula dicã? angelorum innumerabilem multitudinem, & cum his patrum ſanctorum ſpiritus reuereatur. Nullus enim horum eſt, qui non vbique videat omnia; ipſe quidem corporali-

bus oculis non cernens, verùm incorporali viſu, vniuerſa in cognitionem comprehendens. Idem in ea oratione qua beatum Mamanta laudibus afficit, non author quidem eſt populo apud quem eum laudabat, vt beatū martyrem precaretur, vt eum valetudinem reſtituere poſſe crederet, aut mortuos ab inferis reuocare ad vitam, ſed eorum ad hæc teſtimoniis vtitur, hortaturque eos, vt quæ quiſque de eo comperit, ea ignaris tradāt. Eius hæc ferè verba ſunt: Commemorate mihi quot veſtrum in inſomniis eius ex aſpectu voluptatem cepiſtis: quot in hunc locum venientes, precibus ab eo adiuti ſunt: quàm multis nomine appellatus, re vera affuit: quot viatores reduxit: quàm multorum morbos curauit: quàm multis liberos iam mortuos reddidit: quàm multis tempus vitæ deſtinatum prorogauit. Omnia mihi colligite, eiuſque laudem communi fructu ducti efficite, alij aliis tradite: quæ quiſque de eo comperit, ea tradat ei qui neſcit. Qui neſcit, ab eo qui ſcit accipiat. Has autem eius laudes veras eſſe paulò poſt dicit his verbis: Hæ laudes martyris diuitię ſunt donorum ſancti ſpiritus, idem in oratione qua quadragīta martyres laudauit, eos generis humani communes ac generales hominum cuſtodes appellat, bonos curarum ſocios & participes, precum adiutores, ſtellas orbis terrarum, floreſque eccleſiarū, ὦ κοινοὶ φύλακες τοῦ γένους τῶν ἀνθρώπων, ἀγαθοὶ κοινωνοὶ φροντίδων, δεήσεως συνεργοὶ, πρεσβευταὶ δυνατώτατοι, ἀστέρες τῆς οἰκουμένης, ἄνθη τῶν ἐκκλησιῶν. Quapropter in eadem oratione populū exhortans: Qui rebus, inquit, aduerſis alicunde premitur, ad ſanctorum martyrum fidem auxiliumque confugiat. Qui rurſum proſpero fortunæ flatu vtitur, eos roget: hic, vt iam vrgentibus malis eripiatur: ille, vt ad optatos continenter peruehatur exitus. Gregorius autem illius penè æqualis, conſiliorúmque ac laborum particeps, ſociúſque ſtudiorum, in epitaphio Athanaſij extremo, cum appellat & precatur hic verbis: Tu verò è cœlo nos propitius intuere, populúmque hunc perfectum reddito adoratorem perfectę trinitatis, quę in patre, filio, & ſpiritu ſancto perſpicitur & colitur, noſque, ſi accommodatè ad pacē moderare atque guberna: ſin accommodatè ad bellum, abduc hinc, aut accipe, tecū que colloca, & cum iis, qui tui ſimiles ſunt.

Quanquam magnum eſt quod peto, in ipſo Chriſto Domino noſtro. Eadem propè dicit in epitaphio Baſilij: Tu verò nos è cœlo reſpice, & corp', quod nobis à Deo datum eſt ad caſtigationem, vel coerce tuis legationibus, vel effice vt æquo animo feramus, omnémque vitam noſtram ad id quod ſummam vtilitatem adferat dirige. Quòd ſi hinc migremus, excipe nos iſtic in tuas ædes, vt ſimul viuentes videtéſque ſanctam beatamque trinitatem, purius & perfectius quàm nūc, perenni eam laude cumulemus. Cyprianus porrò multo his antiquior ſanctos hinc migrantes tantùm valere apud Deum precibus ſuis putauit, vt Corneliū Papam hortetur his verbis: Memores noſtri inuicē ſimus, cōcordes atque vnamines, vtrobique pro nobis ſemper oremus, preſſuras & anguſtias mutua charitate releuemus. Et ſiquis hinc noſtrûm prior diuinæ dignationis celeritate præceſſerit, perſeueret apud Deum noſtra dilectio, pro fratribus & ſororibus noſtris apud miſericordiam patris non ceſſet oratio. Non in alia fuit Origenes ſententia: ait enim

Hom. 16. in Ioſue. alicubi: Ego arbitror quòd omnes illi qui dormierunt ante nos patres pugnāt nobiſcum, & adiuuant nos ſuis orationibus. Atque alibi: Bene ſecūdum voluntatem Dei Inno-

Hom. 3. in diuerſos quæ de Innocentibus eſt. centum memoriam ſancti patres celebrari mandauerunt ſempiternam in eccleſiis, velut pro Domino morientium, vt pro ipſis parētibus interceſſio filiorum apud Deum plurimum proſit. Idem quoque ibidem: Sed & omnes ſancti (inquit) qui de hac vita deceſſerunt, habentes adhuc erga eos charitatem qui in hoc mundo ſunt, ſi dicantur curam gerere ſalutis eorum, & iuuare eos precibus ſuis atque interuentu ſuo apud Deum, haud erit abſurdum. Cui ſuccinit

Hom. 44. ſuper Gen. Chryſoſtomus, cùm ait: Idō ſcientes, dilecti, cfugiamus ad ſanctorum preces, & oremus, vt pro nobis intercedant, ſed non illorum tantùm precibus confidamus, ſed & ipſi noſtra diſpenſemus rectè vt oportet, & ad meliora ſemper cō uertamur. Et alio quodam in loco ait in eandem ſententiā:

Hom. 1. in cap. 1. epiſt. ad Theſſ. Bonum eſt ſanctorum precibus frui, ſed quando & ipſi ſeduli & vigiles fuerimus. Non ergo (inquit) quaſi oſcitantes & deſides ex aliorum meritis pendeamus: habent enim

Hom. 5. in Matth. vim pro nobis & quidem maximam orationes ſupplicationeſque ſanctorum, ſed tunc profectò, cùm nos quoque

Id ipſum per pœnitentiam poſtulamus,& ad ſtudia meliora cōfugimus. Quid,quòd nunquàm aliter ſenſit Auguſtinus? ait enim:Attendite chariſsimi, tenete omnes vnanimiter Deum patrem, & matrem eccleſiam. Natalitia ſanctorum cum ſobrietate celebrate,vt imitemur eos qui prę- ceſſerūt,& gaudeāt de vobis,qui orant pro vobis, vt benedictio Domini in æternum maneat ſuper vos. Atque alibi: Ideo ad ipſam menſam non ſic commemoramus ſanctos, quemadmodum alios qui in pace requieſcūt, vt etiam pro eis oremus: ſed magis vt orent ipſi pro nobis, quò eorum veſtigiis inſiſtamus. Alicubi etiam diuum Cyprianum his verbis orat:Adiuuet nos (inquit) orationibus ſuis in iſtius carnis mortalitate, tanquam in caliginoſa nube laborātes, vt donante Domino,quantum poſſumus,bona eius imitemur.In libro etiam meditationum prolixa habetur oratio ad ſanctos,quam ita concludit: Orate omnia agmina ſanctorū, & vniuerſi cœtus beatorum, vt veſtris precibus meritiſque adiuti, ſalua naue & integris mercibus peruenire mereamur ad portum perpetuæ ſalutis & quietis,& continuæ pacis,&nunquam finiendæ ſecuritatis.Ad eūdem modum diuus Hieronymus beatæ Paulæ preces implorat defunctę in vico Bethleem,in epitaphio extremo ſic loquens: Vale ô Paula,&cultoris tui vltimam ſenectutem orationibus iuua.Fides & opera tua Chriſto te ſociant: prę́ſens facilius quod poſtulas impetrabis.Idem aduerſus Vigilantiū de ſanctorum interceſsione (quam vocant) verba faciens: Dicis (inquit) in libello tuo,quòd dū viuimus, mutuò pro nobis orare poſſumus: poſtquam autem mortui fuerimus, nullius ſit pro alio exaudienda oratio,præſertim cùm martyres vltionem ſui ſanguinis obſecrantes impetrare non quiuerint. Si Apoſtoli & martyres adhuc in corpore cōſtituti poſſunt orare pro cæteris,quando pro ſe adhuc debent eſſe ſolliciti: quanto magis poſt coronas,victorias,& triūphos? Vnus homo Moyſes ſexcentis milibus armatorum impetrat à Deo veniam: & Stephanus imitator Domini ſui & primus martyr in Chriſto, pro perſecutoribus veniā deprecatur.Et poſtquam cum Chriſto eſſe cœperint,minus valebunt? Paulus Apoſtolus ducentas ſeptuaginta ſex ſibi dicit in naui animas condonatas, & poſtquā reſolutus eſſe

Pſal. 88.

Auguſt. trac. 84. in Ioan.

Lib. 7. de baptiſ. cont. Donatiſtas cap. 1.

Cap. 24.

cœperit cum Chriſto, tunc ora clauſurus eſt,& pro iis,qui in toto orbe ad ſuum Euãgelium crediderunt , mutire nõ poterit? Sed quid hac de re ſentiat Leo ille magnus,videamus.Is quidem quodam in loco ait : Quarta & ſexta feria ieiunemus,ſabbato apud beatiſsimum Petrum Apoſtolum vigilias celebrem⁹,cuius meritis & orationibus ita nos per omnia credimus adiuuandos , vt miſericordia Dei & ieiuniis noſtris adſit & voci. Rurſum alibi:Sicut & nos experti ſumus,& noſtri probauere maiores,credimus atque confidimus inter omnes labores iſtius vitæ,ad obtinendam miſericordiam Dei, ſemper nos ſpecialium patronorum orationibus adiuuandos,vt quantum propriis peccatis deprimimur,tãtum Apoſtolicis meritis erigamur.Idem quoque alia quadam homelia:Cuius oratione,inquit,& patrocinio adiuuari nos ſine ceſſatione confidimus.Quod idem teſtatur beatus Ambroſius in ea concione quam habuit in natali ſanctorum Octauij,Aduẽtitij,& Solutoris . Cũ omniũ ſanctorum,inquit,martyrum,fratres,deuotiſsimè natalem celebrare debemus , tum præcipuè eorum ſolennitas tota nobis veneratione curãda eſt,qui in noſtris domiciliis proprium ſanguinem profuderunt. Nam licèt vniuerſi ſancti vbique ſint & omnibus proſint,ſpecialiter illi tamẽ pro nobis interueniunt,qui & ſupplicia pertulere pro nobis.Idem paulò infrà de eorum orationibus apertius dicit: Cuncti igitur martyres deuotiſsimè percolendi ſunt,ſed ſpecialiter ij venerãdi ſunt à nobis,quorum reliquias poſsidemus. Illi enim nos orationibus adiuuant,iſti etiam adiuuant paſsione. Cum his autem familiaritas eſt : ſemper enim nobiſcũ ſunt,nobiſcum morantur,hoc eſt,& in corpore nos viuentes cuſtodiunt, & de corpore recedentes excipiunt: hîc, ne peccatorum labes nos aſſumat : ibi,ne inferni horror incidat. Beatus quoque Gregorius de iſta ſanctorum interpellatione non aliter ſentit.Is enim ſic loquitur:Adſunt defenſores noſtri ſancti martyres,rogari volunt, atque vt ita dixerim,quærũt,vt quærantur .Hos ergo adiutores veſtræ orationis quærite : hos protectores veſtri reatus inuenite: quia ne punire peccatores debeat rogari vult & ipſe qui iudicat.Prudentius quoque poeta eximius libro Periſtephanon ſæpe nominat ſanctos martyres patronos orbis, præſidia

Serm. 4. de ieiunio Pentecoſt. in fine.

Serm. de ſanct. Petro & Paulo.

Serm. de anct. Laurentio.

Home. 32.

ſidia noſtra, auxiliatores, ſuffragantes, potentes interceſſores Ac in hymno diui Laurentij iucundo ſimul & pio carmine cecinit:

Indignus agnoſco & ſcio
Quem Chriſtus ipſe exaudiat,
Sed per patronos martyres
Poteſt medelam conſequi.

Et in paſſione ſancti martyris
Caſsiani ita canit.

Audit crede preces martyr proſperrimus omneis,
Ratáſque reddit quas videt probabiles.

Seuerus etiam Sulpitius, cuius dialogũ cui nomen Gallo eſt, quíſque extat, profert Hieronymus (eius enim ferè ęqualis fuit) huius rei teſtis à nobis locupletiſsimus citetur. Is de Martini Turonum põtificis morte ad Euſebium epiſtola extrema ſcribit his verbis: Spes tamen ſupereſt illa ſola, illa poſtrema, vt quod per nos obtinere non poſſimus, ſaltem pro nobis orante Martino mereamur. Paulò antè, eum orare cauſa noſtra dicit, & nos iuuare. Nõ deerit nobis ille, mihi crede, non deerit: intererit de ſe ſermocinãtibus, aſtabit orantibus. Quodq́ue iam hodie præſtare dignatus eſt, videndum ſe in gloria ſua ſæpe præbebit, & aſſidua (ſicut antè paululũ fecit) benedictione proteget. Quid quòd beatus Auguſtinus libro de ciuitate Dei 22. plurima refert à ſanctis martyribus edita miracula? De ſancti enim Stephani reliquiis eo loco ſcribens, Memorati, inquit, memoriam martyris, quę poſita eſt in caſtello Syniceñſi, quod Hipponẽſi Coloniæ vicinum eſt, eiuſdem loci Lucillus epiſcopus populo præcedente atque ſequente portabat: fiſtula (cuius moleſtia iam diu laborauerat, & familiatiſsimi ſui medici, qui eam ſecaret, oppetiebatur manus) illius piæ ſarcinæ vectatione, vbi ſanctas attigit reliquias, repentè ſanata eſt. Eucharius presbyter ex Hiſpania Calamę habitãs, veteri morbo calculi laborabat: ꝑ memoriã ſupradicti martyris, quã Poſidoniꝰ illò aduexit epiſcopꝰ ſaluꝰ factꝰ eſt. Idẽ ipſe poſtea morbo alio prę ualeſcẽte mortuus ſic iacebat, vt ei iam pollices ligarẽtur, opitulatione memorati martyris,

cùm de memoria eius reportata fuiſſet, & ſuper iacẽtis corpus miſſa ipſius presbyteri tunica, ſuſcitatus eſt. Paulò infrà: Sanati ſunt illic per eundem martyrem etiam tres podagrici, duo ciues, peregrinus vnus. Tum ſequitur miraculi expoſitio, quo excitatus eſt puer mortuus, cùm ad locũ, in quo beati Stephani reliquiæ aſſeruabantur, delatus eſſet. Tum alia duo eiuſdem generis exponit: Curatæ ſunt enim duæ, altera, quæ deſperabatur: altera, quæ iam ſpiritum ediderat, cùm earum veſtes in eundem locum delatæ, ac relatæ in illas coniectæ fuiſſent. Narrat deinceps, filium cuiuſdam Hirençi, cùm ęgritudine extinctus eſſet, oleóque eiuſdem martyris eius corpus perfuſum fuiſſet, reuixiſſe. Paulò infrà de Petroniæ cuiuſdam curatione ſcribens, Martyr certè, inquit, ipſe, quo impetrante illa ſanata eſt, in filium permanentis virginis credidit. Atque hęc à beato Stephano edita ſunt miracula. Nunc alia, quæ Auguſtinus aliter edita narrat, exponam. Cancrum ſigno crucis in mamma edito curatum eſſe narrat. Podagra quidam laborãs, cùm vouiſſet ſe aqua ſalutari expiatum iri, expiatus curatus eſt. Rure in domo Heſperij tribunitij viri ſerui à cacodęmone vexabantur: orauit presbyteros vt eò aliquis eorum iret, cuius precibus malum illud deſiſteret: venit vnus, obtulit corporis Chriſti ſacrificium, precibus à Deo contendens, vt malo finem imponeret: ſtatim Dei benignitate deſtitit. Addit & aliud: Acceperat S. Heſperius ab amico ſuo terram ſanctam, de Hieroſolymis allatam, vbi ſepultus Chriſtus, die tertio reſurrexit, eamq́ue ſuſpenderat in cubiculo ſuo, ne quid mali etiã ipſe pateretur: at vbi domus eius ab illa infeſtatione purgata eſt, quid de terra illa fieret, cogitabat, quam diutius in cubiculo ſuo reuerentię cauſa habere nolebat. Fortè accidit, vt ego & collega tunc meus epiſcopus Synicenſis eccleſiæ Maximinus in proximo eſſemus, vt veniremus rogauit, & venimus. Cumq́ue omnia nobis retuliſſet, etiam hoc petiuit, vt infoderetur alicubi, atque ibi locus orationum fieret, vbi etiam poſſent Chriſtiani ad celebranda quæ Dei ſunt cõgregari. Nõ reſtitimus, factum eſt. Erat ibi iuuenis paralyticus ruſticanus, qui, hoc audito, petiuit à parentibus ſuis, vt eum ad illum locum ſanctum non cunctanter afferrent: quô cùm fuiſſet allatus, orauit, atque inde

cõtinuò pedibus ſuis ſaluus abceſsit. Cuius autem virtute miracula ſupradicta facta ſint, idem Auguſtinus eiuſdem libri decimo capite exponit. Faciunt, inquit, iſta martyres, vel potius Deus vel orantibus aut comparentibus eis, vt fides illa proficiat, qua eos non Deos noſtros, ſed vnum Deũ habere nobiſcum credamus. His autem minimè fidem derogabimus, ſi in mentem nobis veniat miraculi eius quo infãs cùm Eliſæi oſſa tetigiſſet reuixit. De eo enim ſcriptura ſic loquitur: Mortuus eſt ergo Eliſæus, & ſepelierunt eũ. Eodem ipſo anno graſſatores Moabitæ irruerũt in terram. Contigit autem quum quidam ſepelirent hominem, viderentq́ue globum graſſatorum, vt proiicerẽt hominẽ illum in ſepulchrum Eliſæi, qui deuolutus attigit oſſa Eliſæi, & reuixit erectus in pedes ſuos. Et alibi, Eliæ ſpiritu repletus eſt Eliſæus. Is temporibus ſuis nihil eſt permotus ob principes, nec imperium cuiuſquam pertulit. Nulla res ſuperauit eum, corpuſq́ue eius prophetam egit etiam poſt obitũ: miracula deſignauit in vita ſua, defunctiſque facta miranda ſunt. Finem faciam, ſi, quid hac de re ſenſerit diuus Bernardus, dixero. Is ſuper cantica de hæreticis ſui temporis loquens: Irrident nos (inquit) quòd in fonte baptizamus, & ſanctorum ſuffragia imploramus, atque Chriſtum in vtroque ſexu tam in mortuis quàm viuis proſcribere volunt: nã & mortuos viuentium fraudant ſuffragiis, & viuentes nihilominus ſanctorum qui deceſſerunt auxiliis ſpoliant. Idem in ſermone habito in vigilia Apoſtolorum Petri & Pauli: Beata, inquit, illa patria charitatem ſanctorum non immutauit, ſed adauxit: neque enim quia impatibiles omnino, ideò & ab omni commiſeratione alieni euaſerunt: ſed nũc potius ſibi viſcera miſericordiæ induerunt, cùm ante fontẽ miſericordiæ obuerſantur. Et alia quadam homelia: Abſit, inquit, abſit à vobis, animæ ſanctorum, Aegyptiaca illa crudelitas pincernæ Pharaonis, qui in gradum priſtinum reſtitutus, ſtatim oblitus eſt Ioſeph ſancti, qui carcere detinebatur. Et paulò infrà: Hęc igitur noſtra & ſanctorum cohærentia eſt, vt nos congratulemur eis, ipſi ærumnas noſtras graueſq́ue caſus miſerentur: nos deuota meditatione regnemus in eis: ipſi in nobis, & pro nobis militent pia interuentione. Id quod perſuaſiſſimum habens Theodoſius

4 Reg. 13. *Eccleſ. 48.* *Hom. 66.* *Ser. de omnibus ſanctis.*

illе verè Chriſtianus imperator, cùm aduerſus Eugenium neceſſaria pro republica, & etiam pro religione Chriſtiana, arma pararet, Nō tam, inquit Euſebius, armorum, telorúmque, quàm ieiuniorum orationumque præſidiis præparatur ad bellum: nec tam excubiarum vigiliis, quàm obſecrationum pernoctatione munitus: circuibat enim omnia orationum loca cum ſacerdotibus & populo, ante martyrum & Apoſtolorum thecas iacebat, cilicio proſtratus, & fida ſibi auxilia ſanctorum interceſsione poſcebat. Vides publicã catholicæ eccleſiæ fidem in imperatore ſapientiſsimo & Chriſtianiſsimo, ſacerdotibus & populo? vt in periculo cõſtituti ſanctorum interceſsione diuinum auxilium quærerent: & ſanctorum orationes, opem, & ſuffragia apud Deũ implorarent & poſcerent?

Lib. hiſtor. eccleſi. 11. ca. 33.

DOROTHEA.

Quæ hactenus à te expoſita ſunt, magnoperè mihi placẽt & probantur. Quid hominem Chriſtianum præter ea, quæ adhuc me docuiſti, noſſe conuenit?

THEOPHILVS.

Verbo ſuo Dominus adiunxit ſacramenta. Itaque ea cognoſcere oportet.

Sed quia ſatis multa à nobis hodie dicta ſunt, de illis cõmodius, vt ego quidem iudico, ſecundum hũc diem diſputabitur. Paulùm interea requieſcamus.

DOROTHEA.

Vt libet. Craſtinò enim amœnum hunc locum nobis pro more repetere licebit.

FINIS.

PETRI BVLENGERII TRECENSIS INSTITVtionum Chriſtianarum liber quartus.

THEOPHILVS.

VIdetur calor multùm eſſe remiſſus. Nihil itaque prohibet, quin in hac hortorum veluti porticu & ambulatione, diſputationem de ſacramentis heſterno die promiſſam ingrediamur.

DOROTHEA.

Agè igitur, dic mihi, quidnam ſacramentum vocas?

THEOPHILVS.

Sacramentum, ſacræ rei ſignum eſt ſenſibile, Euangelicis verbis & promiſsionibus additum ac formatum, quo diuina virtute, ſi rectè illud percipiamus, inuiſibilis gratia congruens ſenſibili ſigno nobis infunditur.

DOROTHEA.

Cur vocas ſacræ rei ſignum ſenſibile?

THEOPHILVS.

Quoniam diuinæ eſt beneuolentiæ erga nos teſtificatio, quæ viſibili ſigno ſpirituales gratias figurat ad obſignãdas cordib⁹ noſtris Dei promiſſiones, quò illarũ veritas meli⁹ in nobis cõfirmetur, & ſpirit⁹ ſanctus cõferatur.

DOROTHEA.

Tantáne vis ſubeſt viſibili ſigno, vt ſalutem adferat, & conſcientias noſtras in ſalutis fiducia ſtabiliat?

THEOPHILVS

Id quidem ex ſe ipſis ſacramenta non habent, ſed ex Dei voluntate, & ſpiritus ſancti virtute: propterea quòd ſint in huius finem inſtituta, vt ſint præſentiſsima remedia cõtra peccatũ, & efficacia ſigna gratiæ Dei, vt quæ nos cõfirmẽt in fide, & certas reddãt cõſciẽtias in Dei promiſsionibus. Nã ſacramẽtis ſpiritus ſanct⁹ tãquã organis vtitur,

vt per illa certiſsimam ſalutem conferat. Neque verò iſtud derogat virtuti ſpiritus ſancti, quæ tota ſe effundit per ſacramenta.

DOROTHEA.

Cur ita nobiſcum agere voluit Deus, qui ex ſe ſolo poteſt efficere, quicquid per externa ſigna agit?

THEOPHILVS.

Hoc ſcilicet modo infirmitati noſtræ conſulit: Nam ſi ſpirituales eſſemus toti, angelorũ inſtar ſpiritualiter tum eum, tum ipſius gratias poſſemus intueri. Verùm vt hac terreni corporis mole circũdati ſumus, figuris indigemus & rebus viſibilibus, quæ nobis ſpirituales cœleſteſque res viſibili quodam modo exhibeant. Neque enim aliter eò perueniremus. Simul etiam noſtra intereſt in Dei promiſſionibus exerceri omnes ſenſus noſtros, quò melius nobis confirmentur. Itaque arrogantiæ damnabitur, qui à ſacramentorum vſu abſtinebit ſua ſponte, perinde acſi iis opus non haberet: Chriſtum contemnet, ipſius reſpuet gratiam, & ſpiritum extinguet, qui ſe illis tanquam non neceſſariis carere poſſe iudicabit. Quandoquidem in illis Chriſtum eiuſque gratiam quærimus, & illorum adminiculis rectà ad Chriſtum dirigimur, ſalutem ab ipſo & ſolidam fœlicitatem conſequuturi.

DOROTHEA.

Quomodo diſcernis ſacramenta veteris legis à nouæ legis ſacramentis?

THEOPHILVS.

Auguſt. in Pſal. 73. & cõtra Fau. lib. 19. cap. 13. 14. & 16.

Illa, vmbra futurorum fuerunt, vt ſignificarẽt: quæ cum ſuo aduentu Chriſtus impleuiſſet, ablata ſunt, & ideo ablata, quia impleta. Hæc verò inſtituta ſũt, virtute maiora, vtilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora, vt non tantùm ſignificarent, ſed etiam mũdarent ac ſanctificarẽt.

DOROTHEA.

Vtrúmne inſtituta ſunt ob eam tantùm cauſam?

THEOPHILVS.

Inſtituta etiam ſunt, licèt minus principaliter, vt ſigna ſint quæ animos noſtros reuocent ad memoriam perpeſſionis ac mortis Chriſti, vtque in nobis fidem excitent, nos ad mutuam dilectionem, alioſque ſanctos & Chriſtianos

mores prouocent & exhortentur. Aliam etiam illorum inſtituēdorum cauſam diuus Auguſtinus adfert: nimirùm vt ſint ſignacula & velut teſſeræ quædam huius magnæ congregationis quæ eſt eccleſia: Nam in nullum nomen aut verum aut falſum coagulari homines poſſunt, niſi aliquo ſignaculorum, vel ſacramentorum viſibilium conſortio colligentur. Quamobrem Dominus Ieſus Chriſtus leui iugo ſuo & leui ſarcinæ nos ſubdens, ſacramentis numero pauciſsimis, obſeruatione facillimis, ſignificatione præſtantiſsimis ſocietatem noui populi alligauit.

Cōtra Fa. li.19.c.11. De doctr. Chriſt. lib. 3.cap.9.

DOROTHEA.

Quomodo ſacramenta fidem in nobis excitare dicis? Nónne hoc infidelitatis indicium eſt, nō habere Dei promiſsionibus ſolidam fidem, niſi aliunde nobis confirmentur?

THEOPHILVS.

Fidei certè imbecillitatem hoc arguit, qua filij etiam Dei laborant: qui tamen fideles propterea eſſe non deſinunt, licèt fide præditi ſint exigua adhuc, & imperfecta. Quandiu enim verſamur in hoc mundo, hærent ſemper in carne noſtra diffidentiæ reliquiæ, quas aliter excutere nō poſſumus, quàm continuo vſque ad vitæ finem profectu. Vlterius ergo ſemper progredi neceſſe eſt.

DOROTHEA.

Quibus rebus conſtat Sacramentum?

THEOPHILVS.

Duabus: verbo ſcilicet, & elemento.

DOROTHEA.

Quo modo id fit?

THEOPHILVS.

Verbum, eſt inuocatio trinitatis, Euangelica promiſſione ſuffulta. Elementum verò, viſibile eſt ſignum, habens ſimilitudinem quādam eius rei cuius eſt ſignum. Verbum auribus percipitur, déque dei volūtate certiores nos facit. Elemētum oculis cernitur, & in ſenſum externū incurrit, admonens & erudiens nos, vt quod foris in ſpecie viſibili geri cernimus, intus per Dei virtutem effici credamus. Vtroque fides excitatur. Cùm audimus & videmus tanquam in ſpeculo, credimus. Neutrum ſine altero totam

Magiſt. in 4. diſtin. 1.

abſoluit ſacramenti rationem. Neque enim ſacramentum eſt, quod vel ſolo ſigno, vel ſolo verbo peragitur: ſed ſi accedat verbum ad elementum, fiet ſacramentum. Quemadmodum ergo verbum inſtrumentum eſt, quo Dei voluntas ſignificatur & apprehenditur, & per quod ſpiritus ſanctus eſt efficax, ſicut Paulus ait: Fides ex auditu, audit⁹ autem per verbum Chriſti: & iterum, Euangelium eſt potentia Dei ad ſalutem omni credenti: Ita per ſacramenta tanquam quædam indicia ſeu teſtimonia Dei (quibus teſtatur ſe nobis placatum propter Chriſtum filium ſuum) ſpiritus ſanctus efficaciter operatur ſalutem, & confert gratiam.

Auguſt. in Ioan. tract. 80.

DOROTHEA.

Quot ſunt ſacramenta?

THEOPHILVS.

Septem in eccleſia Chriſti Ieſu ſeruatoris & Domini noſtri celebrantur: Baptiſmus, Euchariſtia, Confirmatio, Pœnitentia, Extrema vnctio, Ordo, & Matrimonium, quibus ſingulis ſuum verbum & elementum adeſt.

DOROTHEA.

De baptiſmo.

De vnoquoque ſacramento ſeorſum diſſeramus. Primùm igitur oſtende quid ſit baptiſmus.

THEOPHILVS.

Baptiſmus aliud nihil eſt, quàm gratuita totius hominis, ab omnibus cuiuſcunque generis peccatis, per lauacrum aquæ, & fidẽ in verbo, & ſpiritu ſancto, emũdatio.

DOROTHEA.

Vnde colligis hanc definitionem?

THEOPHILVS.

Ex ſcripturis, maximè verò ex doctrina ſancti Pauli, qui baptiſmum vocat lauacrum aquæ in verbo vitæ, et lauacrum regenerationis & renouationis ſpiritus ſancti, quem effudit in nos abundè per Ieſum Chriſtum ſeruatorem noſtrum.

Epheſ. 5. Tit. 3.

DOROTHEA.

Quis eſt author huius ſacramenti?

THEOPHILVS.

Chriſtus ipſe, qui ait: Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & ſpiritu ſancto, non poteſt intrare in regnum Dei. Et a-

pud Matthæum iuſsit Apoſtolos docere omnes gẽtes, baptizãtes eos in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti: & iis verbis addidit promiſsionem: Qui crediderit & baptizatus fuerit, hic ſaluus erit. Duo ergo in hoc ſacramento videntur: Primùm quidem, elementum, deinde verbum: quæ inuocatio eſt trinitatis diuinæ promiſsioni innixa. Vnde miniſter ait: Ego baptizo te in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti. Quod perinde eſt ac ſi dicat: Hoc viſibili ſigno tecum paciſcor ac teſtor te reconciliari Deo, ſanctificari, & à Deo recipi, qui eſt pater, filius, & ſpiritus ſanctus. Nam quid aliud eſt baptiſmus, quàm fœdus Dei cum homine, & hominis cum Deo? Nam quatenus homo Satanæ & mundi gloriæ pompisque abrenũciat, & ſe vero Deo aſtringit, ad mortificandum per omnem vitam membra peccati: eſt fœdus hominis cum Deo. Rurſum quatenus ſe Deus viciſsim homini aſtringit, quòd peccata illi remittat, quòd propter filium recipiat, quòd ſpiritum ſanctum donet, qui viuificet & ſanctificet: fœdus Dei cum homine dici poteſt. Quod grauiſſimis verbis diuus Petrus teſtatur. Sic & vos, inquit, baptiſma ſaluos facit, nõ carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ ἐπερώτημα εἰς θεὸν, per reſurrectionẽ Ieſu Chriſti ex mortuis, qui eſt ad dexteram Dei, deglutiens mortem, vt æternæ vitæ hæredes efficiamur. Significat enim baptiſmum eſſe non tantùm externam ſordium corporis ablutionem, ſed pactum bonę cõſcientiæ erga Deum per viuam fidem mortis & reſurrectionis Ieſu Chriſti: quo quidem pacto Deus teſtatur ſe nobis placatum eſſe propter reſuſcitatum Chriſtum, vt viciſsim hoc fœdere bona conſcientia bene reſpondeat apud Deum, confidens ſe habere placatum Deum propter Chriſtum.

Mat. 28. *Marc. 16.* *1. Petr. 3.* *Auguſt. in Ioan. tract. 80.* *Interrogatio in Deũ, id eſt, bona conſcientia, bene reſpondens apud Deum.* *Tit. 3.* *Act. 3.*

DOROTHEA.

Quod eſt elementum?

THEOPHILVS.

Aqua, quæ ſine verbo inefficax eſt: accẽdẽte autẽ verbo, efficit quod ſignificat: ſicut piſcina per ſe non ſanabat, ſed cùm ab angelo moueretur. Ita in baptiſmo ſimplex aqua, cùm per verbum ſpiritus virtutem accipit, omnia peccata diluit, & ſpiritualiter nos regenerat. Nam baptiſmus duabus conſtat partibus, remiſsione peccatorum, & ſpirituali

Ioan. 5.

noſtra regeneratione ſiue renouatione, eáſque repræſentat aqua. Vt enim aqua ſordes corporis eluuntur: ita baptiſmus lauacrum eſt, quo animæ ſuis maculis abſterguntur. Cùm autem capiti aqua iniicitur, mortificatio, ſeu mortis figura quædam nobis proponitur. Quòd verò ſub aqua demerſi non manemus, ſed ab ea emergimus, id ſignificat nouas nos eſſe creaturas, nouæque vitæ in Deo initiari. Qua in re nobis figuratur carnis noſtræ reſurrectio, quemadmodum beatus Ambroſius docet.

Ambr. in cap. 6. ad Rom.

DOROTHEA.

Iſtúdne animæ lauacrum, aquæ tribuis?

THEOPHILVS.

Nequaquam, ſed Chriſti ſanguini, qui ideò effuſus eſt, vt emundaret conſcientiam noſtram ab omni peccato. Sed huius purgationis fructum percipimus in baptiſmo ad inuocationem diuini nominis, & ſuperbenedictæ trinitatis.

1. Ioan. 1. Apoc. 1. 5. & 7.

DOROTHEA.

Impletúrne hæc gratia in omnibus?

THEOPHILVS.

Sanè quidem in fidelibus: at non in iis, qui neque fidem habent diuinis promiſſis, neque peccatorum pœnitudine ducuntur. Efficiunt enim ſua infidelitate, dum non credunt accipere ſe in baptiſmo puritatem ſpiritualem Chriſti beneficio, vt ſibi inanis ſit baptiſmus & planè infructuoſus: quandoquidem ad ſolos fideles huius ſacramenti vis & efficacitas, atque adeò fructus permanat. Proinde & catechiſmus fidei præmittitur, vt intelligamus baptiſmum vero fidei fundamento niti, & à Chriſti morte ſimul & reſurrectione efficaciam ſumere. Hæc enim vis ſubeſt eius morti, vt per eam crucifigatur vetus homo noſter, & naturæ noſtræ vitioſitas quodam modo ſepeliatur, ne amplius vigeat in nobis. Noua autem vita, in quam reformamur ad obediendum Dei iuſtitiæ, à reſurrectionis beneficio proficiſcitur.

DOROTHEA.

Sed an baptiſmus, vt omneis animæ ſordes eluit, & plenam omnium peccatorum remiſſionem donat: ita om-

nem naturæ vitiatæ languorem atque imbecillitatem aufert?

THEOPHILVS.

In baptizatis concupiſcentia ad malum inclinans remanet,non vt iam ad peccatum imputetur,niſi ei voluntas aſſentiatur:ſed vt certamen in homine continuum excitet. Neque enim deſiſtit concupiſcentia aduerſus bonum in homine ſpiritum pugnare, quandiu in hoc mundo verſatur. Tamen hîc virtus baptiſmi minimè nos deſerit. Vires enim noſtras omni reatu peccati ſemel adempto, contra concupiſcentiam adhuc hærentem in nobis & deſideriorum bella cientem, per ſpiritum ſanctum corroborat, quo ita ſimus eius ope inſtructi atque muniti contra vim omnem concupiſcentię, vt obſiſtere & reluctari queamus, ad poſtremúmque referre victoriã. Quare ſic nos exhortatur Apoſtolus: Spiritu ambulate, & deſideria carnis non perficietis. Et: Debitores ſumus, non carni, vt ſecundum carnem viuamus. Si enim ſecundum carnem vixeritis, moriemini: ſin autem ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. *Gal. 5.* *Rom. 8.*

DOROTHEA.

Quonam pacto hæc in baptiſmo gratia nobis adiungitur?

THEOPHILVS.

Quia in eo Chriſtum induimus, ſpiritúmque eius accipimus: vt ipſius virtute noſtra deſideria mortificante in iuſtitia & ſanctitate ſecundum Dei voluntatem vitam agamus,proximis noſtris ſtudioſæ honeſtæque vitæ exemplum operibus bonis præbentes. Quemadmodum enim optima vita ſine baptiſmo (niſi is prohibente neceſſitate haberi non poſſit) nihil ad ſalutem confert: ſic baptiſmum ſuſcepiſſe nihil prodeſt,niſi vitæ ſanctitas acceſſerit. Quam ob cauſam dicit Apoſtolus: Neſcitis, quia qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt: ſed vnus brabeum accipit? Sic currite, vt comprehendatis. Chriſtus etiam: Omnis arbor non faciens fructum excidetur, & in ignem mittetur. Et: Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnum cœlorum: ſed qui fecerit voluntatem patris mei,qui eſt in cœlis. Paulus itidem: De- *Gal. 3.* *1. Cor. 9.* *Mat. 7.* *Epheſ. 4.*

ponite, inquit, vos ſecundum priſtinam conuerſationem, veterem hominem, qui corrumpitur iuxta concupiſcentias errotis: renouemini vero ſpiritu mentis veſtræ, & induite nouum hominem, qui iuxta Deum conditus eſt per iuſtitiam & ſanctitatem veritatis.

DOROTHEA.

Tu igitur hoc affirmas, baptiſmum iuſtificationem nobis conferre, de eadémque certiores nos facere.

THEOPHILVS.

Prorſus. Effectus enim atque virtus baptiſmi, æterna ſalus eſt, ad quam nemo pertingit, niſi peccatis omnibus (originali in paruulis, in adultis verò etiam actualibus) per Dei miſericordiam remiſſis atque condonatis, iuſtificatus ſit. Nam in baptiſmo ſpiritus ſanctus ſua ſe virtute in interiora hominis infundens, omneis ſordes expurgat, nec vllum quãtulumcunque peccatum relinquit irremiſſum, totum hominem innouans, ac ex filio iræ Dei filium & æternæ vitæ hęredem reddens per Chriſtum: ſicut ait Apoſtolus: Cùm apparuit benignitas & huma-
Tit. 3. nitas ſeruatoris noſtri Dei, non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos: ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit per lauacrum regenerationis & renouationis ſpiritus ſancti, quem effudit in nos abundè per Ieſum Chriſtum ſeruatorem noſtrum, vt iuſtificati gratia ipſius, hæredes ſimus, ſecundum ſpem, vitæ æternæ. Idem etiam Dei ſpiritus eam fiduciam in cordibus renatorum, cer-
Rom. 8. titudine adoptionis in filios Dei, ſuſcitat, vt ad Deum clament, Abba, pater. Ex eadem etiam baptiſmi virtute venit, vt Deo iam opera noſtra (tametſi imperfecta) placeant, adeò vt in quo homo renaſcitur, & nouę vitæ, veræq; iuſtitię originem ſumit, ex eodem etiam omnium in homine virtutum veritas oriatur: & incipiant in nobis opera noſtra ex benigna Dei acceptione, ad perpetuam gloriam proficere ex baptiſmi beneficio, quę ex ſe ipſis vix ad temporalem vanæ gloriæ mercedem peruenirent.

DOROTHEA.

An baptiſmus præteritorum duntaxat peccatorum remiſſionem adfert?

In eorum etiam condonatione, quę poſtea perpetrantur, vim ſuam exercet. Nam & leuiores offenſę, ſine quibus humana vita non agitur, veniales fiunt: & grauiora delicta fiũt remiſſibilia ex vi fœderis, baptiſmi, quod inuicẽ Deus & homo contraxerunt, Domino per prophetã promittente: Remittam eorum iniquitatem, nec iam peccati recordabor. Non enim ad delenda ſubſequentia peccata prodeſſent vlla pœnitentiæ aut pietatis opera, niſi baptiſmus nos in Chriſto renouaſſet. Cuius renouationis virtus, non eo tantum momento valet, dum confertur: ſed per omnem hominis vitam ſe extendens, etiam ea mala, quæ poſterius per ignorantiam aut infirmitatem committuntur, ſanat & condonat: non quòd toties baptiſmus repetendus ſit, quoties peccatur: ſed quia ſemel hoc in baptiſmo datum eſt, vt venia peccatorum per pœnitentiam fidelibus impetretur. Nam ſicut pœnitentia ante baptiſmum nihil profuiſſet, niſi baptiſmus ſubſecutus eſſet: ita pœnitentia poſt baptiſmum nihil prodeſſet, niſi baptiſmus præceſſiſſet. Itaque in omni peccatorum remiſsione virtus baptiſmi operatur, & is qui in baptiſmo deleuit iniquitates noſtras, idem per reliquam vitam infirmitates noſtras ſanat. Sic enim illud Apoſtoli accipiendum: Chriſtus dilexit eccleſiam, & ſe ipſum tradidit pro ea, vt ſanctificaret eam: mundans eã lauacro aquæ in verbo vitæ vt exhiberet ſibi ipſi glorioſam eccleſiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiuſmodi, ſed vt ſit ſancta & immaculata: non vt non peccarent baptizati (Septies enim cadit iuſtus: Et: Si dixerimus quòd peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt) ſed vt peccatum illis ad damnationem non inhæreret, ſubinde etiam poſt baptiſmum eos purgãte & ſanctificante ſanguine Chriſti (cuius per baptiſmum participes effecti ſunt) donec purgati ad beatam vitam emigrent, in qua nemo peccabit, ſed tota perſeuerabit rugæ & maculæ expers eccleſia. Hoc autem dico, filioli mei, vt non peccetis: ſed & ſi quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem Ieſum Chriſtum iuſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris.

Auguſt. de nupt. & cõcup. lib. 1. cap. 33.
Hier. 31.
Epheſ. 5.
Prouer. 24
1. Ioan. 1.
1. Ioan. 2.

DOROTHEA.

Quî fit, vt infantes baptizemus, qui necdum credunt, nec pœnitere ſciunt?

THEOPHILVS.

Non eſt neceſſe vt fides & pœnitentia præcedat in illis: Nam ea exiguntur tantùm ab iis, qui per ætatem iam ſunt vtriuſque capaces, tametſi per eorum verba, à quibus ad baptiſmum offeruntur (eos initiationis arbitros nonnulli, alij ſuſceptores, vulgus patrinos appellat) mundo & Satanæ abrenunciantes, fidem profitentur, ac ſordium ſuarum pœnitentiam, vitæque melioris deſiderium & propoſitum. Vnde Auguſtinus ait: Paruuli fideles rectè vocantur, qui fidem per verba geſtantium quodam modo confitentur, & per eorumdem verba diabolo & mundo abrenunciant: & hoc fit vi ſacramenti, & diuinæ gratiæ quam Deus dedit eccleſiæ. Paruulus autem, qui baptizatur ſi ad annos rationales veniens non crediderit, nec ab illicitis abſtinuerit, nihil ei prodeſt quod paruulus accepit. Idem etiam alibi docet his verbis: Mater eccleſia os maternum paruulis præbet, vt ſacris myſteriis imbuantur, qui nondum poſſunt corde proprio credere ad iuſtitiam, nec ore proprio confiteri ad ſalutem: nec ideo tamen eos quiſquam fidelium infideles dicere poteſt, eò quòd à credendo vtique nomen eſt: quamuis hoc non ipſi, ſed alij pro eis inter ſacramenta reſponderint. Sinautem propterea rectè fideles vocantur, quoniam fidem per verba geſtantium quodam modo profitentur: cur etiam non pœnitentes habeantur, cùm per eorum verba geſtantium diabolo & huic ſeculo renunciare monſtrantur?

Lib. 4. de bapt. paruu. cōtr. Donat capit. 24. allegatur de conſec. diſt. 4. c. Paruuli.

Lib. de meritis & remiſſ. peccat. lib. 1. ca. 28.

DOROTHEA.

An neceſſarium eſſe credis, vt baptizentur infantes?

THEOPHILVS.

Prorſus, quando iræ filij naſcuntur, ac æternæ damnationis hæredes, originaliſque peccati culpam ſecum trahunt. Quemadmodum enim olim neceſſe erat eos circuncidi: ita eos nunc baptizari oportet, vt promiſſionis diuinæ ſint participes.

Epheſ. 2.

DOROTHEA.

Num videntur infantes diuinarum promiſsionum

eſſe

eſſe capaces?

THEOPHILVS.

Cur non? Nónne paruulos ad ſe venire iubet Deus, & illorum eſſe regnum cœlorum affirmat? Quis verò neſcit eos in fide parentum & eccleſiæ benedici? cùm Cananeæ & patris Lunatici fides liberis profuerit? Non ergo denegandum eſt infantibus ſignum adeò ſacrum, quódque promiſſionem continet. *Mat.* 18. *Mat.* 15. *&* 17.

DOROTHEA.

Quia in mentionem incidimus originalis peccati, libenter audiam te fuſius de eo copioſiúſq; paulò differentem, niſi moleſtum eſt. *De peccato originali.*

THEOPHILVS.

Te noſſe iſtud oportet, primum hominem Adamum, cùm Dei mãdatum in paradiſo fuiſſet tranſgreſſus, ſtatim ſanctitatẽ & iuſtitiam in qua creatus fuit, amiſiſſe, incurriſſéque per eiuſmodi præuaricationis offenſam, iram ac indignationem Dei, atque adeò mortem, quam anteà illi cõminatus fuerat Deus: & cum morte captiuitatem ſub eius poteſtate, qui deinde mortis habuit imperium, hoc eſt, diaboli: totúmq; Adam, per illam præuaricationis offenſam, ſecundum corpus & animam in deterius cõmutatum fuiſſe. Neque Adamo ſoli ſua præuaricatio nocuit, verùm etiã omnibus poſteris, vt qui acceptam à Deo ſanctitatem & iuſtitiam non ſibi ſoli perdiderit, ſed etiam nobis. Illo enim contumaciæ inobedientiæq; peccato inquinatus, in omne genus humanũ tranſmiſit mortẽ & pœnas non ſolùm corporis, & ſecũdum cõmunem legem, verùm etiam peccatũ, cui pro pœna debebatur vtraq; mors, corporis videlicet & animę. Quod Apoſtolus docet, cùm ait: Per vnum hominem peccatum intrauit in mundũ, & per peccatũ mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccauerunt. Huius autem originalis peccati morbus (quod vnum eſt, & in nobis propagatione, non imitatione diffuſum reſidet vnicuique proprium) auferri non poteſt, neque per humanæ naturæ vires, neq; per vllum aliud remedium quàm per meritum vnius Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui Deo nos in ſuo ſanguine recõciliauit, factus nobis ſanctificatio, iuſtitia, & redemptio. Quod meritum nobis per ſi- *Ex concil. Trident.* *Rom.* 5. 2. *Cor.* 5.

Act. 10. dem & baptiſmi ſacramentum applicatur. Huic enim omnes prophetæ teſtimonium perhibent remiſſionem peccatorum accipere per manum eius, omnes qui cre-
Act. 4. dunt in eum: neque aliud nomen eſſe ſub cœlo datum hominibus, in quo opotteat nos ſaluos fieri. Vnde illa
Ioan. 1. vox: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Et
Gal. 3. illa: Quicunque baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis. Debent porrò paruuli recentes ab vteris matrum baptizari (vt antea diximus) etiam ſi fuerint à baptizatis parentibus orti. Ideóque baptizantur in remiſſionem peccatorum, cùm ex Adamo originale peccatum trahant, quod regenerationis lauacro expiari neceſſe eſt ad vitam æternam conſequendam. Ex quo efficitur, in eis formam baptiſmatis in remiſſionem peccatorum, veram, non falſam eſſe. Quod enim Apoſtolus ait [Per vnum homi-
Rom. 5. nem peccatum intrauit mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccauerunt] non aliter intelligendum eſt, atque eccleſia catholica vbique diffuſa ſemper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei ex traditione Apoſtolorum, etiam paruuli, qui nihil peccatorum in ſemetipſis adhuc committere potuerunt, ideo in remiſsionem peccatorum veraciter baptizantur, vt in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerant. Niſi enim quis re-
Ioan. 3. natus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei. Hanc fidei & ſanctorum patrum normam ſequentes fateamur, in baptiſmate per Ieſu Chriſti gratiam, quam confert & continet, non modò remitti peccatum originalis peccati, ſed totum etiam id auferri, quod veram & propriam rationem peccati habet. Si quis igitur per Ieſu Chriſti Domini noſtri gratiam, quę in baptiſmate confertur, reatum originalis peccati remitti negaret: aut etiam aſſeueraret non tolli totum id, quod veram & propriam peccati rationem habet, at radi tantùm aut non imputari, is penitus à veritate aberraret. In renatis enim Deus nihil odit, quia nihil eſt damnatio-
Rom. 8. nis iis qui verè conſepulti ſunt cum Chriſto per baptiſma in mortem, qui non ſecundum carnem ambulant, ſed veterem hominem exuentes, & nouum, qui ſecundum Deum

creatus eſt, induentes, innocentes, immaculati, puri, innoxij, ac Deo dilecti effecti ſunt hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti, ita vt nihil prorſus eos ab ingreſſu cœli remoretur. Manere autem (vt ſuprà dixi) in baptizatis concupiſcentiam vel fomitem ſentimus ac fatemur: quæ cùm ad agonem relicta ſit, nocere non conſentientibus, & viriliter per Chriſti Ieſu gratiam repugnantibus, non valet: quinimò qui legitimè certauerit, coronabitur. Atque hanc concupiſcentiam, quam aliquando Apoſtolus peccatum appellat, eccleſia catholica nunquam intellexit peccatum appellari, quòd verè & propriè in renatis peccatum ſit, ſed quia ex peccato eſt, & ad pecatum inclinat, peccatum generans, quando victoriam obtinet. Quiſquis autem contrà ſentit, ſalute prorſus excidit. *Roma.7.*

DOROTHEA.

Tu in hac diſputatione pulchrè mihi ſatisfeciſti. Nunc dicito: Ad quem tandem baptiſmi pertinet adminiſtratio?

THEOPHILVS.

Ad ſacerdotem potiſſimùm, cui Deus verbi ſui prædicandi munus demandauit, & eccleſiæ ſalutis doctrina paſcendæ prouinciam. Vnde ſcriptum eſt: Labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam, legémque ex ore eius requirent, quia angelus Domini exercituum eſt. At laicus tamen rectè etiam & viriliter in caſu neceſsitatis baptizare poteſt. Nec ſi hæreticus, Iudæus, aut Paganus baptizet, ſacramentum hoc iterandum eſt, dum modò debita materia, forma, & intentione vtatur: cùm hoc idem non dignitate aut merito miniſtri, ſed veritate verbi diuini & ſpiritus ſancti virtute conſtet. Nam re vera non homo eſt, ſed Chriſtus, qui baptizat: Sacerdos manus duntaxat & linguæ miniſterium accommodat, vt qui legatione pro Chriſto fungatur, per quem Chriſtus baptizat. *Malach.2. Leo 1. epiſt. 4. de conſec. diſtin. 4. ca. Si qui. et ca. In neceſsitate. Ex Augu. ad Fortunatum. Auguſt. cōtra Creſcēt. Gram. & ſuper Ioan. in part. 1. tract. 5.*

DOROTHEA.

Quid de paruulis cenſes, qui in ædes ſacras minimè deferuntur, vt hoc baptiſmi ſuſcipiant ſacramentum?

ſed aut in hæreticorum conuenticulis aut intra priuatos parietes, nulla etiam vrgente neceſſitate, ab iiſdem baptizantur per contemptum quendam, ac in odium earum ceremoniarum, quas eccleſia catholica in huius adminiſtratione ſacramenti ſemper adhibuit?

THEOPHILVS.

Auguſt. de fide ad Petrum, ca. 34. & ſeq.

Etſi apud hæreticos ſacramenta ſint & miniſtrentur, tamen non præſtantur ad remiſsionem peccatorum ſeu ſalutem, quòd extra eccleſiam ſacramentorum efficacia eſſe non poſſit. Proinde qui in hæreſi quacumque vel ſchiſmate, in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti, baptiſmi ſacramentum acceperit, integrũ quidem ſacramentum accepit, ſed ſalutem (quæ virtus eſt ſacramenti) non habebit, ſi extra eccleſiam catholicam ſacramentum habuerit. Debet ergo ad eccleſiam redire, non vt ſacramentum baptiſmi iterum accipiat, ſed vt eccleſiæ reconciliatus, in ſocietate catholica vitam accipiat.

DOROTHEA.

Quod dicis, rationi admodum mihi conſentaneum videtur. Quia autem de ceremoniis & myſticis ritibus in hoc ſacramento ab eccleſia catholica adhiberi & obſeruari ſolitis mentio iniecta eſt, eos velim mihi ſingillatim declarari.

THEOPHILVS.

Cyprianus lib. 2. epiſt. 8. ad Corn. Pap.

Lib. 1. epiſt 12.

Res ſanè longa: eam tamen, quàm breuiſsime potero, perſtringam. Principiò eccleſia baptiſmum miniſtrat in aqua ſolemnibus verbis, duobus anni diebus, Paſchæ & Pentecoſtes, vna cum ſancti chriſmatis vnctione ſanctificata (quo tempore, in primitiua eccleſia ſacrum vt ſuſciperetur baptiſma, ſolemne & in more poſitum erat) licèt imminente periculo baptiſmus in aqua etiam non conſecrata adminiſtrari poſsit omnibus anni diebus & temporibus. Huius obſeruationis antiquitatem teſtantur Cyprianus, Victor pontifex Romanus, qui florebat annno circiter 190. & diuus Auguſtinus de dictis Baſilij. diſt. vndecima. Priuſquam autem fontem vitæ adeat paruulus, exorciſmo præparatur (qui quidem fit verbo & exuflatione) vt ſpiritus immundus à baptizando expellatur,

vtq́ue per purum ſacerdotis miniſterium, ſpiritui ſancto cedat fugiens malignus. Non enim natura (vt inquit Auguſtinus) exorcizatur aut exuflatur, ſed ille, ſub quo ſunt qui ſub peccato naſcuntur. Adiurantur ergo, vt expellatur ab iis poteſtas inimica, quæ hominem decepit vt eum poſsideret. Quē ritum antiquiſsimū eſſe ex Tertullia no & beato Auguſtino ſatis conſtat. Deinde ſignum crucis fit in principio in fronte infantis, ad ſignificandum quòd baptizandus nomen dat Chriſto crucifixo, in quo confidat, & quem publicitus confiteri nunquàm erubeſcat. Dein ſuper oculos, vt intelligamus baptizandum præparari ad videndum claritatem Dei. Super aures quoque, vt intelligamus eum conſecrari, vt audiat verbum veritatis Dei. Super nares etiam, vt percipiat ſuauitatem odoris Dei. Signatur quoque pectus, vt credat in Deo, quia corde creditur ad iuſtitiam. Scapulæ itidem vt ſuſcipiant iugum ſeruitutis Dei, iuxta Chriſti præceptum: Tollite iugum meum ſuper vos. Os denique, vt confiteatur illi: quia ore confeſsio fit ad ſalutem. Breuiter infans toties ſignatur crucis Chriſti ſigno, vt hoc ſeruatoris noſtri ſignum aſpiciens hoſtis noſter diabolus, nunquam audeat eum violare, quem per baptiſmum in Chriſti ſeruatoris nomen & tutelam tranſiiſſe cognoſcit. Per guſtum ſalis infanti præbitum deſignatur, eum omni iniquitatis fœtore carere debere, vt iam à peccatorum ſordibus non putrefiat: ſed magis illæſus ſeruetur, ad maiorem gratiam accipiendam, ac ad ſapientiæ ſaporem præparetur, quemadmodum Rabanus & Beda docēt. Deinde legitur Euangelium, Oblati ſunt Ieſu paruuli: quo ſignificamus nos paruulos noſtros offerre Chriſto: quia ipſe dicit: Sinite paruulos venire ad me. Et quoniam addit, Talium enim eſt regnum cœlorum: offerimus etiā eos Chriſto baptizandos. Si enim illorum eſt regnum cœlorum, nō negabit eis Chriſtus baptiſmum, quę ianua eſt, qua in eccleſiam, & ſubinde in regnum cœlorum intramus. Pòſt patrini manum infanti imponunt, ſymbolumq́; recitant & orationem Dominicam: quòd eccleſiam referant, quæ Domino pueros offert baptizandos, & in ſuam illos fidem recipit. Offeruntur enim paruuli ad percipiendā ſpiritualem gratiam, non tam ab iis, quorum

Exorciſmus eſt coniuratio maligni ſpiritus.
Lib. 4. de ſymbolo ad catech.
Tert. de cor. mil.
Auguſt. de eccl. dog. cap. 31.
Signum crucis in fronte.
Rom. 10.
Auguſt. de catech. cont. Fauſt. lib. 12. F. ſuper pſal. 141.
De conſecr. diſtinct. 4. ca. Ex hinc
Raba. de inſt. cler.
Bed ſuper lib. reg.
Mat 19.
Lectio Euangelij.
Patrinorū munus.

geſtantur manibus, quamuis & ab ipſis, ſi & ipſi boni ſint ac fideles, quàm ab vniuerſa ſocietate ſanctorum atque fideliũ. Ab omnibus nanq; rectè offerri intelliguntur, quibus placet ꝙ offeruntur, & quorũ ſancta atque indiuidua charitate ad cõmunicationem ſancti ſpiritus adiuuãtur. Tota ergo hoc mater eccleſia, quæ in ſanctis eſt, facit: qua tota omnes, tota ſingulos parit. Vnde nõ fides illa particularis, quę in patrinorũ credentiũ voluntate cõſiſtit, ſed fidei ſacramentũ fidelẽ facit. In eccleſia ergo Christi per alios paruuli credũt, ſicut ex aliis peccata, quę in baptiſmo remittũtur, traxerunt. Deinde patrini ſe quodã modo fideiuſſores cõſtituũt pro baptizatis. Ideoq; ſemper admonere debent eos, vt caſtitatem cuſtodiant, iuſtitiam diligant, charitatem teneãt: ante omnia verò ſymbolũ & orationẽ dominicã edoceant. Deinde illinitur ſputum naribus & auribus infantis, exẽplo Christi, qui prius cæci nati oculos luto è ſputo facto ſubleuit, & ſic ad aquas Siloë miſit. Illitus ſiue vnctio vocationẽ ad gratiam baptiſmi ſignificat. Vnctus nõdũ videt, ſed mittitur, vt lauet, ad aquas Siloë: id eſt, vt baptizetur in miſſo, id eſt, Christo. Id enim Siloë ſignificat. Et dicitur ei verbum Euangelicum, quod Ieſus, quando mutum & ſurdum ſanauit, tangens ſputo linguam eius, & mittens digitos in auriculam eius, dixit: Hephetah, quod eſt adaperire: verbum ſanè ſacramento conueniens. Admonentur enim baptizandi per ſaliuam typicam & ſeruatoris factum vt aperiãtur ipſis nares ad odorem notionis Dei & vitæ æternæ capiendum, quo baptizati dicant: Bonus odor Christi ſumus: vtq́ue aperiantur ipſis aures ad audiendum verbum & mandata Dei. Saliua, typus eſt ſapientiæ & gratiæ Dei, & diſcretionis fidei, cuius acceptio in auditu, & diſcretio in naribus ſignificatur. Poſt peractum exorciſmum ſuccedunt myſteria, quæ apud ipſum fontem celebrantur. In primis quæritur de nomine infantis. Nam vetuſtiſſimo eccleſiæ more, ante baptiſmum, baptizandi nomen ſuum dant, quo ſignificatur eos per abrenunciationem prioris poſſeſſoris, ſe nomen dare Christo, vt in illius dominium tranſeant. A nomine enim quod ab Adamo habebant, ſcilicet fidei Adæ vocati, ad nouum nomẽ, quo filij Dei vocantur, perueniunt: quinimò tum demũ nomen acquirunt,

Auguſt. ad Bonif. de baptiſm.

Illitus ſputi

Ioan. 9.

Marc. 7.

2. Cor. 2.

Myſteriorũ quæ apud fontem celebrantur expoſitio.

Auguſt. in ſer. de ſacr. fidel. fer. ſec. Paſchæ.

Antequam enim baptizaremur, fide & nomine catuimus. Poſtquàm verò inuocatur nomen Dei ſuper nos, ſecũdum nomen eius vocati ſumus. Reddito nomine, baptizandus ter abrenunciat. Nam interrogatus, Abrenuncias Sathanę? reſpondet, Abrenũcio. Et omnibus operibus eius? reſpondet, Abrenũcio. Et omnibus pompis eius, omni vanitati & gloriæ ſeculi, faſtui, luxui, voluptatibus, breuiter, omnibus vitiis? reſpondet, Abrenũcio. Quã eccleſiæ primitiuæ conſuetudinem fuiſſe docent paſsim Tertullianus, Chryſoſtomus, Hieronymus, Ambroſius, & Auguſtinus. Debet ergo baptizatus tota vita eſſe memor ſermonis ſui, & nunquam committere, vt ſibi excidat ſuæ ſeries cautionis. Per verbi enim illius renunciationis, quę in baptiſmo fit, recordationem, diabolicas incantationes, faſtum, voluptates, breuiter, omnia peccata facilè vincemus. Poſt hæc baptizandus oleo cathecumenorum inungitur in pectore, & inter ſcapulas: at poſt baptiſmum, chriſmate in vertice. Prioris vnctionis, quæ ante baptiſmum fit, myſterium Auguſtinus explicat. Vngimur, inquit, in pectore & ſcapulis, quoniam fides mẽte concipitur, & opere perficitur. Vngitur pectus, vt ſignificetur hoc pectus conſecrari Chriſto, & mentem in ſanctæ trinitatis fide confortari, in qua nullas iam latentis inimici reliquias reſidere oporteat. Vngitur inter ſcapulas, vt ſignificetur, baptizãdũ per gratiã vndique muniri ad bona opera facienda, & ad portãdũ onus Domini, fortitudinẽ accipere, quemadmodũ diuus Ambroſi⁹ ait. Vnctus es quaſi athleta Chriſti, quaſi certamẽ hui⁹ ſeculi luctatur⁹. Vnctioni ſuccedit catecheſis, id eſt, inquiſitio de fide trinitatis, idque iuxta Ieſu Chriſti ſeruatoris imperiũ, qui cum ad patrẽ in cœlũ aſcenderet, Apoſtolis mãdauit. Euntes (inquit) docete omnes gẽtes, baptizãtes eos in nomine patris, & filij, & ſpirit⁹ ſãcti. Quòd autẽ interrogamus, Credis ſanctã eccleſiã, remiſſionem peccatorũ, carnis reſurrectionẽ, & vitã æternã poſt mortẽ? nõ eo modo interrogamus, vt quomodo in Deũ creditur, ita & in eccleſiã ſanctã credatur, ſed vt in eccleſia ſãcta verſãtes, in Deũ credam⁹. Nã eccleſia ꝓptereà ſãcta & catholica eſt, quia rectè creditur in Deũ. Proindéq; ĩterrogatur: Vis baptizari? & reſpõdetur: Volo. Nemo enĩ ſeruatur inuit⁹, ſed volẽs, vt ĩtegra ſit forma iuſtitię.

Tertul. de cor. milit. Hier. in 6. cap. Amos circ. fi. Ambr. in epiſt. ad Coloſſ. idem de ſacram. lib. 1. cap. 2. Aug. lib. 2. de ſymbolo. & lib. de Grat. Chriſti & pec. orig.

Oleum catechumenorum.

Lib. de fide & operib⁹. Rabanus de inſtitut. cleric. cap. 27. de cõſec. diſt. 4. cap. Deinde. De ſacr. ca. 1.

Catecheſis. Mat. 28.

Eccleſ.15. Sicut enim homo propria arbitrij libertate ſerpẽti obediẽs
Ex conc. periit: ſic eum vocante gratia Dei, propria mentis conuer-
Tolet. ſione ſeruatur. Quo facto, baptizatur tandem infans in his
Verbũ for- ce verbis Domini: Et ego te baptizo in nomine patris, &
male ba- filij, & ſpiritus ſancti. Ter verò infans vel immergitur, vel
ptiſmi. tingitur aqua baptiſmatis. Baptizamur enim in patrem, &
filium, & ſpiritum ſanctum: ad ſingula nomina, ad ſingulas
Hierony. perſonas tingimur, vt æqualitas, eademque perſonarũ po-
ſuper epiſt. teſtas ac maieſtas declaretur, vt trinitatis vnum appareat
ad Philipp. ſacramẽtum. Tertiò quoque repetita immerſio vel tinctio
De conſecr. typum triduanæ Domini ſepulturæ exprimit, per quã Chri
diſtinct.4. ſto conſepulti ſumus in baptiſmo, & cum Chriſto reſurre-
ca. Eodem. ximus in fide, vt à peccatis abluti, in ſanctitate virtutũ vi-
Auguſt. in uamus imitando Chriſtum. Baptizatus infans ſacro chriſ-
hom.4. de mate in vertice vngitur. Cuius rei rationem tradens Cy-
conſecr. diſt. prianus ait: Vngi quoque neceſſe eſt eũ, qui ſit baptizatus,
4. ca. poſt- vt accepto chriſmate, id eſt, vnctione, eſſe vnctus Dei, & ha-
quam. bere in ſe Chriſti gratiam poſsit. Atque hoc myſteriũ pul-
Lib.1. epiſt. chrè admodum declarat Ambroſius: Memẽto, inquit, quid
12. tibi dixerit ſacerdos, cùm te baptizaret: Deus pater omni-
De ſacr. ca. potẽs, qui te regenerauit ex aqua & ſpiritu ſancto, remisít-
4. que tibi omnia peccata tua, ipſe te vngat in vitã æternam.
Noli ergo hãc vitam illi æternæ vitæ anteferre. Verbi gra-
tia: ſi exurgat inimicus aliquis, ſi velit tibi fidem tuam au-
ferre, ſi minatur mortem vt præuaricеris, vide quid eligas.
Noli eligere in quo non es vnctus, ſed elige in quo es vnctus,
Vnctio quæ & vitam æternam vitæ præfer temporali per Chriſtum Ie-
fit in capite ſum Dominum noſtrum. In capite verò vngitur baptiza-
quid ſigni- tus, vt norit ſe capiti Chriſto inſitum, vt ſciat ſe iam à Chri
ficet. ſto nomen accepiſſe, ſéque Chriſto nomen dediſſe, hoc eſt,
Chriſti militiæ eſſe authoratum: à chriſmate enim nomen
habet Chriſtianus, ſicut & chriſma à Chriſto, in cuius nomi
nis inuocatione, ad eum quem diximus inungendi vſum,
Ambroſ. præparatum eſt chriſma. Poſtremò baptizat⁹ alba veſte ve
de myſt. in- ſtitur, quod eſt ſignũ manumiſſionis & libertatis, teſtibus
carn. Chri- Tertulliano, ac S. Dionyſio Areopagita in hierarchia eccle
ſti, cap.7. ſiaſtica. Notat quoque innocẽtiam & puritatem Chriſtia-
nam, quam poſt ablutas veteres peccatorum maculas ſtu-
dio ſanctæ conuerſationis immaculatam ſeruare debet ad

repræſentandam eam ante tribunal Chriſti. Olim in primitiua eccleſia, baptizati adulti, per totam hebdomadam ſtolis albis ſe veſtiebant. Quamobrem dies ille Dominicus proximus poſt Paſcha, Dominica in albis vocatur: qua ceremonia eccleſia & fidē, & vitæ innocētiā, religioníſque puritatē animis noſtris imprimere ſtuduit. DOROTHEA.

Tranſeamus ad confirmationis ſacramētum. Scire enim aueo quam ob cauſam inſtitutum ſit. THEOPHILVS. *De ſacramento confirmationis.*

Ad corroborationem & cōfirmationē fidei, vtque in fidelibus baptizatis virtus ſpiritus ſancti augeatur. Sicut enim ad vitam corporis nō ſatis eſt naſci, ſed etiam creſcere oportet, & confirmari: ita non ſatis eſt regenerari noua vita, verùmetiā in bono & virtute ſpiritus ſancti nos ſtabiliri oportet. In baptiſmo filij Dei renaſcimur, & cœleſtis hęreditatis promiſsionem accipimus: ſed vt hanc retineamus, pupillis tutore opus eſt. Quare non ſatis viſū eſt Chriſto, in baptiſmo nobis impartiri ſpiritum innouantem, niſi & per confirmationis ſacramentum largiretur ſpiritum tuentem ac defendentem, qui tamen non alius, ſed idem eſt ſpiritus in baptiſmo datus, alius tantùm atque alius ſecundum diuerſas gratiarum donationes & chariſmata. Nam quatenus in confirmatione datur, paracletus eſt, qui regeneratis in Chriſto, & cuſtos, & conſolator, & tutor eſt. Ergo ſpiritus ſanctus, qui ſuper aquas baptiſmi ſalutifero deſcēdit illapſu, in fonte pulchritudinem tribuit ad innocentiā: in confirmatione augmentum præſtat ad gratiam, quia in hoc mūdo tota ætate victuris inter inuiſibiles hoſtes & pericula gradiēdū eſt: quamobrē alia atque alia ſpecie ſubīde viſus eſt. In baptiſmo in ſpecie columbę deſcendit, innocētiam, in quam regenerat, teſtatus: in die verò Pentecoſtes, in diſcipulos in linguis igneis illapſus eſt, quibus Apoſtoli intrepidi loquerētur magnifica Dei. Itaque in baptiſmo regeneramur ad vitā: poſt baptiſmū confirmamur ad pugnā. In baptiſmo abluimur: poſt baptiſmū roboramur. In baptiſmo in milites Chriſti recipimur ac ſignamur: in cōfirmatione ad agones & prȩlia mundi reſeruandi, idoneis & conueniētibus armis inſtruimur pugnaturi. Vtrūque ſacramentum magnum eſt, atque alterum ita coniūctum alteri, vt in renatis ſeiungi, niſi præueniente morte, non poſsint,

Tit. 3. *1. Cor. 12.* *Ex decreto Melchiadis* *Ioan. 16.* *De conſecr. diſt. 5. cap. Spiritus.*

vt pleni Chriſtiani inueniantur. DOROTHEA.

Tu igitur iſtud aſſeuerare non dubitas, hoc ſacramẽtum à Domino noſtro Ieſu Chriſto fuiſſe inſtitutum?

THEOPHILVS.

Chriſtus re vera illud inſtituit, nõ quidem exhibẽdo, ſed promittendo. Poſtquam enim in vltima cœna Apoſtolis (quos prius baptiſmum, & in baptiſmo ſpiritum ſanctum ad emundationem & remiſſionem peccatorum ſuſcepiſſe, conſtat) pedes lauiſſet, & dixiſſet: Qui lotus eſt, nõ indiget niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus: & vos mundi eſtis: tãdem multa ſubiecit, Quum venerit paracletus, quem ego mittam vobis à patre, ſpiritũ veritatis, qui à patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me, & vos teſtimoniũ perhibebitis. Et iterum, Adhuc habeo multa vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò, quum autem venerit ſpiritus ille veritatis, docebit vos omnẽ veritatem. Et, Paracletus autem ſpiritus ſanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia: & ſuggeret vobis quæcunque dixero vobis. Poſt reſurrectionem verò ſuam, adhuc timidos diſcipulos, & de diſceſſu magiſtri triſtes conſolans, ait: Ego mittam promiſſum patris in vos. Vos antem ſedete in ciuitate, quoadusque induamini virtute ex alto. Et iterum, Accipietis virtutẽ ſpiritus ſancti ſuperuenientis in vos, & eritis mihi teſtes in Hieruſalẽ, & in omni Iudæa, & Samaria, & vsque ad vltimum terræ. Has autem promiſsiones, non ad ſolos apoſtolos, ſed ad totam Chriſti eccleſiam per illos congregandam pertinere, ſequẽs ſermo Chriſti oſtẽdit: Non pro eis rogo tantùm, ſed & pro iis, qui credituri ſunt per verbum eorum in me. Idem & donum illud ſpiritus per manus impoſitionem Apoſtolorum, eorundemque ſucceſſorum per totam Chriſti eccleſiam lõgè latéque diffuſum, ſatis manifeſtè conuincit. Quòd verò poſt Chriſti aſcenſionem ſpiritus ſanctus, nouo gratiæ munere in Apoſtolos illapſus, Domini promiſsionem abundè impleuerit, Sanctus Lucas in actis Apoſtolicis locupletiſsimus eſt teſtis. Nõ ergo debemus ambigere, quod in Apoſtolis ſemel in forma ſenſibili factum eſſe cernimus, id in nobis per ſacramentum confirmationis fieri. Nam quod in primitiua eccleſia, ſpiritus ſancti deſcenſio in credentiũ populos do-

Ioan. 13. *Ioan. 15.* *Ioan. 16.* *Ioan. 14.* *Luc. 24.* *Act. 1.* *Ioan. 17.* *Act. 2.*

nauit vniuerſis, hoc in confirmandis neophytis impoſitio manus epiſcoporũ tribuit ſingulis: vnicuique tamen ſecundum menſuram donationis Chriſti. DOROTHEA.

Mihi iſtud ex ſcriptura planum fieri velim, recens baptizatos per impoſitionem manuũ Apoſtolorũ ſpiritum ſanctum accepiſſe. THEOPHILVS.

Legimus apud Lucam hũc in modum: Quum autem audiſſet Apoſtoli, qui erãt Hieroſolymis, quòd recepiſſet Samaria verbum Dei, miſerunt ad eos Petrũ & Ioãnem. Qui quum veniſſent, orauerũt pro ipſis, vt acciperẽt ſpiritũ ſanctũ: nondũ enim in quẽquã illorũ venerat, ſed baptizati tãtũ erãt in nomine Domini Ieſu. tũc imponebãt man⁹ ſuper illos, & accipiebãt ſpiritum ſanctũ. DOROTHEA. *Act. 8.*

Quo tandem pacto diuus Lucas Samaritanos ait in nomine Ieſu baptizatos, neque tamẽ ſpiritũ ſanctũ accepiſſe?

THEOPHILVS.

Non negat eos ſpiritũ ſanctũ in baptiſmo inuiſibili modo accepiſſe, qui & remiſsionem peccatorũ & iuſtificationis gratiã per eum acceperant, vt qui in Chriſtũ corde crederent, & ipſum ore cõfiterentur: ſed intelligit ſpiritus dono non fuiſſe prędítos, quo manifeſtæ virtutes & viſibiles gratiæ percipiebantur. DOROTHEA.

Nullũne aliud teſtimoniũ habes hui⁹ rei? THEOPHILVS.

Etſi vnus hic locus ad fidem rei qua de nunc agitur faciẽdam ſatis eſt, aliũ tamen adferam in hãc ſẽtẽtiam. Eodẽ in libro ſcriptũ legimus: His auditis baptizati ſũt in nomẽ Domini Ieſu: & quum impoſuiſſet illis manus Paul⁹, venit ſpiritus ſanctus ſuper eos, & loquebantur linguis, & prophetabãt. Duos hoſce locos catholici ortodoxíque omnes patres de confirmatione accipiunt. DOROTHEA. *Act. 19.*

Quando Chriſtus hoc ſacramentum inſtituit, cur ipſe fidelibus per ſeſe declarare noluit: ſed primùm per os Apoſtolorum promulgauit? THEOPHILVS.

In hoc ſacramẽto plenitudo ſpirit⁹ cõfertur, quę ante reſurrectionẽ & aſcẽſionem Ieſu Chriſti dari nõ debuerat, vt Ioannes ipſe teſtatur: illud de ſpiritu dicebat, quẽ accepturi erãt, qui in eũ crederẽt: nõdum enim erat ſpiritus ſanctus, quia Ieſus nondum erat glorificatus. DOROTHEA. *Ioan. 7.*

Sed quid profuit Apoſtolis aduentus ſpiritus ſancti poſt

aſcēſionem Chriſti, quem & prius acceperant? Illis enim à
Ioan.20. Chriſto dictum eſt, cùm in ipſos flauiſſet, Accipite ſpiritum ſanctum.

THEOPHILVS.

Profuit ad robur virtutis, qua induti ſunt ex alto. Docuerunt certè nos Apoſtoli, quanta ſit infirmitas noſtra, & quanto ſpiritus profectu etiam poſt baptiſmum indigeamus. Petrus Apoſtolorum princeps Chriſtum vidit, gloriā eius in monte guſtauit, vocem patris audiuit, mira opera ſuis oculis conſpexit: ipſe quoque miracula fecit, ſuper aqua pedibus ambulauit, cum Domino familiariſsimè verſabatur: vbi à Domino lotus eſſet, & mūdus pronunciatus, ſe paratum & in carcerem & in mortem cum eo ire aſſerebat. Sed quid factum eſt? Ad vocem ancillæ territus, ſtatim negauit. venit alia ancilla, & iterum negauit. Quomodo Petrus ſtetiſſet corā regibus & principibus, qui coram mulieribus ſtare nō potuit? Quinimò poſt reſurrectionem viſo etiam Chriſto, ac larga conſolatione recepta, ſimul cū cæteris Apoſtolis propter metum Iudæorū latebat, atque adeò vbi cum cæteris Apoſtolis tam glorioſè aſcendētem vidiſſet, & angelorum aſpectu conſolationeque permul-
Act.4. ſus & recreatus eſſet, in publicum tamen prodire non audebat, ſed expectabat promiſſum patris, ſpiritum ſanctū. Quum primùm verò huc aduenit, ipſe cæteríque Apoſtoli magna fiducia loqui cœperunt, virtuteque magna teſtimonium reſurrectionis Chriſti reddiderunt, atque adeò principes ſacerdotum & reges huius mundi non timuerunt, vt gloriarentur etiam in afflictionibus, & irent à cō-
Act.5. ſpectu concilij gaudentes, quòd digni habiti eſſent, vt pro nomine Ieſu contumelia afficerentur. Hoc ergo in ſacramento confirmationis agitur, vt ſpiritum ſanctum, quem in baptiſmo ad purificationem & emundationem accepimus, ad robur quoque & virtutis incrementū capiamus, quo aduerſus peccatorum, mundi, & diaboli inſultus confirmemur, & facti intrepidi, nullis perturbationibus frangi, nullis calamitatibus ſuccumbere, nullis denique terroribus ac cruciatibus à Chriſto ſeparari valeamus, cupiētes
Gal.6. cum Paulo dicere: Ego autem abſit vt glorier, niſi in cruce domini noſtri Ieſu Chriſti, per quem mundus mihi cruci-

fixus

fixus eſt,& ego mundo. Hoc ſpiritus ſancti robur,eſt illa charitas Dei,quæ in corda noſtra diffunditur per ſpiritum ſanctum,qui certiores nos facit,quòd neque mors, neque vita,neque angeli,neque principat⁹,neque virtutes,neque inſtantia,neque futura, neque fortitudo, neque altitudo poterit nos à charitate Dei ſeparare, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Quam gratiam cùm Chriſto viſum ſit ſanctis Apoſtolis ſuis ſigno quodam viſibili ſupramodum illuſtri impertire : quanto magis neceſſe erat, vt eadem nobis tanto infirmioribus, ſigno quopiam viſibili, ad confirmandam in nobis verbi fidem traderetur? *Rom.5.*

DOROTHEA.

Quod eſt verbum huius ſacramenti?

THEOPHILVS.

Conſigno te ſigno crucis,confirmo te chriſmate ſalutis in nomine patris,& filij,& ſpiritus ſancti.

DOROTHEA.

Cui promiſsioni innititur?

THEOPHILVS.

Illi ipſi,quam ſuperius ex ſancto Ioanne & ſancto Luca retulimus,de gratia ſancti ſpiritus.

DOROTHEA.

Quod elementum eſt,aut materia huius ſacramenti?

THEOPHILVS.

Chriſma,quod manu epiſcopi fronti eius,qui confirmādus eſt,illinitur,cum impreſsione ſigni crucis,& nominis Dei inuocatione:vt interiori ſigno interior ſancti ſpiritus vnctio ſignificetur, qui per hoc myſterium cœlitus datur fidelibus:ſpiritus,inquam,ſapientiæ & intellectus,ſpiritus conſilij & fortitudinis,ſpiritus ſcientiæ & pietatis, & ſpiritus timoris. Sapientia in cognitione & delectatione *Sapientia.* ſummi boni,id eſt, Dei ſita eſt, quam beatus Auguſtinus *In Enchir.* θεοσέβειαν, id eſt, Dei cultum appellat, quia vacat & ſtu- *cap.1.* det Deo, & in Deum fertur, ſyncero affectu totam fiduciam ac ſpem in illum transferēs,ipſumque ex toto corde, tota anima,tota mente,tota virtute diligens:nihil præterea amans aut colens, niſi Dei cauſa,omnia ad illius gloriā *Ambroſ.* referens. Quo fit,vt nihil niſi Deum ſuſpiciat, ac omnia *lib.3. offic.* quæ in mundo ſunt,præ Deo,tāquam ſtercora contemnat, *capi.1.*

vt Chriſtum lucrifaciat:quę ſapiētia plena eſt cœleſtis ſua-
uitatis. Intellectus ſecundum donum in agnitione conſi-
Intellectus. ſtit,ſicut præcedens donum in contemplatione. Hoc do-
no,noui & veteris teſtamēti ſcripturæ,ſynceré & rectè in-
telliguntur, ideóque Chriſtus eo mentes diſcipulorum il-
luſtrauit,vt intelligerent quæ de ipſo erant, aperiens illis
ſcripturas. Neque enim aliter vnquam eas intelligemus,
niſi ille qui ſolus aperit,& nemo claudit, claudit & nemo
aperit, nobis reuelet. Oportet enim nos omnes à Deo do-
ceri,& θεοδιδάκτους εἶναι.hoc dono carent Iudæi,exteriori
legis literæ affixi:hoc etiam carent hæretici,qui ſcripturas
indocti & inſtabiles deprauāt ad ſuam ipſorum perditio-
nem:breuiter,eo deſtituti ſunt, quotquot animales ſunt,
qui non percipiunt ea quæ ſunt ſpiritus Dei. Soli verò ſpi-
rituales,quibus Deus impartitur,hoc donum habent. Iun-
guntur autem hæc ambo dona,quòd minor ſit ſapientia,ſi
intellectu careat,& valde inutilis ſit intellectus, ſi ſapien-
Conſilium. tia non ſubſiſtat. Tertium donum ſpiritus eſt, conſilium,
quod in iudicando & amplectendo conſiſtit: hoc dono
confertur bona voluntas Deum colendi & bene operandi.
Per ſapiētiam guſtamus per intellectum videmus,per cō-
ſilium iudicamus, quòd ſuauis ſit Dominus, ac proinde
beatus qui ſperat in eo. Poſtquam ergo aliquam dei ſua-
uitatē deguſtauimus,& aliquam cognitionem accepimus,
orandum nobis eſt, vt voluntatem etiam ad ſeruiendum
Deo capiamus. Nam niſi hæc adſit, nihil certè proderit
externorum operum facies,quantumuis in ſpeciem bo-
na,quia Deus intuetur cor & ſpontaneā,voluntatem. Huic
dono ſpiritus opponitur humanum conſilium, cuius ſco-
pus non eſt Dei gloria, ſed hæret in rebus externis,& quæ
Fortitudo. ſua ſunt quærit. Fortitudo quartum donum eſt ſpiritus,
quo dei contēplatione res fluxas & fragiles forti magnó-
Ambroſi. lib. off. 1. ca. 31. & ſeq. que animo cōtemnimus,quo nullis illecebris emollimur,
nullis aduerſis perturbamur,quo nō lucro aut diuitiis vin-
cimur,nō adulatione flectimur,nō fauore delinimur, nul-
lius potentiæ terrore proſternimur, ſed inuictum animū
pro conſeruatione Chriſtianæ iuſtitiæ tenemus, quo caſtó
corde,nullius inanis gloriæ cauſa,ſed veri Dei amore quid
uis libenter perferimus, quo dono omnia poſſumus in eo

qui nobis vires & robur addit. Hoc ergo dono nullũ aliud nobis eſt magis neceſſariũ, quandiu in hac vita (quæ militia eſt ſuper terrã) degimus. Huic dono opponitur fortitudo virium humanarum, quatenus ſibiipſi fidit. Nã prior Dei præſidio ſemper innititur: poſterior, viribus humanis, potentia multitudinis, & animi pertinacia conſtat, quæ tãtùm abeſt à virtute, vt vitium ſit peſsimum. Cõſilium autem & fortitudo iunguntur, quoniam valde inutile eſt cõſilium, cui opus fortitudinis deeſt: & valde fortitudo deſtruitur, niſi per conſilium fulciatur. Scientia quintum donũ ſpiritus ſancti, ab Auguſtino ἐπιστήμη, hoc eſt, diſciplina vocatur, ſita in elaboratione boni, idque propter ſummum bonum Deum: qua prudenter verſamur in medio nationis prauæ, ſine noſtro & aliorũ ſcãdalo. Huius finis eſt, declinare à malo & facere bonũ: inquirere pacẽ & perſequi eã: prouidere bona nõ tantùm corã Deo, ſed etiã corã omnibus hominibus, Huic oppoſita eſt ſciẽtia mundana, cuius finis eſt rerũ notitia, in oſtentationẽ, ſeu ob quæſtũ. Sciẽtia ergo quæ donũ ſpiritus eſt, charitate ſemper cõdita eſt, vnde hoc dono carẽt, qui inflati ſcientia traditiones eccleſiaſticas temerè diſſoluũt ininfirmorũ ſcandalũ, ob quos factæ ſunt. Sextũ donũ ſpirit⁹, pietas dicitur: quod ſanè nomẽ cõplectitur omnẽ affectũ, cultum, omniaque officia quæ debemus his vnde vitã accepimus: ſed hoc modo à ſapiẽtia nõ diſtinguitur, quã θεοσέβειαν, id eſt, dei cultũ eſſe dixim⁹. Quaten⁹ verò pietas ab ea diſtinctũ donũ eſt, miſericordiã ſignificat, ac ſita eſt in affectu hominis ab bene merendũ de proximo procliui, idque cauſa Dei, vt ſcilicet eius morẽ gerat volũtati, & Deo pręſtet obſequiũ. Deo enim benificiũ fœnerat, qui proximi miſeretur. Vnde & pietas vulgò pro miſericordiæ operib⁹ accipitur, & pius pro miſericorde. Hoc dono muniti, facilè cõdonam⁹ fratrib⁹, libẽter largimur egẽtib⁹, ſubuenim⁹ oppreſsis, aliaq; miſericordię opera edim⁹. Cõiungũtur porrò ſcientia & pietas, quòd nulla ſit ſciẽtia, ſi vtilitatẽ pietatis nõ habeat: valde verò ſit inutilis pietas, ſi ſciẽtiæ diſcretione vacet. Supereſt ſeptimũ donũ ſpiritus ſãcti, Timor, nõ ſeruilis ille, quo perinde ac ſerui dominos plagarũ metu reformidãt, Deus timetur, ne ſcilicet mittat in gehẽnã, de quo ſcriptũ eſt: Nõ accepiſtis ſpiritũ ſeruitu-

Gregor. l. moral. *Scientia* *Auguſt. de ciuit. Dei, 14. cap. 1.* *Pietas.* *Timor.* *Rom. 8.*

tis iterũ ia timore. Et, perfecta charitas foras mittit timorẽ
1. Petr. 1. ſed caſtus & filialis, hoc eſt, timor ſyncerus, abſque prauo affectu: quo qui præditi ſunt, mandata Dei cum quadam reuerẽtia & ex intimo affectu cuſtodiunt, ſemper ſolliciti, ne alicubi offendant, ſuam ſalutem in timore ac tremore
Pſal. 127. operãtes, quos Dauid beatos pronunciat. Beati (inquit) qui
Pſal. 18. timent Dominum, qui ambulant in viis eius. Et, Timor domini ſanctus permanet in ſeculum ſeculi. Orandum itaque nobis eſt, vt Dominus timorem ſeruilem in nobis extenuet, donec perfecta charitas eum foras mittat: Nam niſi timor charitate fulciatur & cæteris muniatur donis, ad nullum opus bonæ actionis ſurgit. Cæterùm in eccleſia
Gregor. 1. moral. Dei triplex oleum in die cœnæ Domini per epiſcopos cõſeruatur: Oleum infirmorũ, oleum catechumenorum (ſic dicuntur qui imbuuntur elementis Chriſtianæ religionis viuæ vocis miniſterio, prius quàm ad ſacrum baptiſma admittantur) & chriſma, quod ex oleo oliuæ & balſamo componitur: idque nõ ſine inſigni myſterio. Nam oleum, gratiæ pinguedinem, ſplendorem fidei, & ardorem charitatis ſignat: balſamum, ſpiritus ſuauitatem, qua nos Chriſtus ad ſe trahit, & cuius communicatione dicimus: Chriſti bonus odor ſumus. Ideo enim confirmamur, vt recordemur oportere nos intrepidè fidem confiteri, & bonum odorem factorum circunferre, ad ędificationem proximi.

DOROTHEA.

Num recens eſt ſacri chriſmatis inuentio?

THEOPHILVS.

Libr. de eccleſiaſti. hierarchia, capi. 4. Sanctus Dionyſius Areopagita, Clemens diui Petri diſcipulus & martyr, S. Fabianus, Tertullianus, S. Cyprianus, Hieronymus, Auguſtinus, cæteriq́ue omnes orthodoxi patres teſtantur nos ab Apoſtolis accepiſſe conſecrationem chriſmatis, eandemq́ue non tantùm in Romana, ſed per totam eccleſiam catholicam receptam fuiſſe. Quanquam enim veteris legis ceremoniæ, Chriſto illuceſcente, euanuerũt, vnctionis tamen myſterium religio Chriſtiana non contempſit: ſed potius quod regibus & ſacerdotibus eius tantùm gentis, vnde Chriſtus erat venturus, peculiare erat, in omnem populum catholicum propagatum eſt, vt ſicut Chriſtus à chriſmate dictus eſt, eò quòd ſingularis excellentiæ

excellentiæ oleo,hoc eſt, ſpiritu ſancto, præ participibus ſuis vnxerit eũ Deus:ita & participes eius quotquot ſunt, conſortes ſint tam actionis,quàm nominis, & dicantur à Chriſto Chriſtiani,vt ſint ſui,Chriſto duce,rectores & duces,& offerant Deo ſpiritualia ſacrificia, ordinati à Deo ſanctimoniæ ſacerdotes.

DOROTHEA.

Pergratum mihi fuerit audire vnius alicuius eorum, quos modò nominaſti,ſuper hac re ſententiam.

THEOPHILVS.

Sanctus Fabianus pontifex Romanus & martyr (viuebat is anno Domini circiter 240)ad Oriẽtales epiſcopos hac de re huncin modum ſcribit.

Literis veſtris inter cætera inſertum inuenimus, quoſdã regionis veſtræ epiſcopos à veſtro noſtróque ordine diſcrepare, ac nõ per ſingulos annos in cœna Domini chriſma conficere.Errant verò qui talia excogitant, & mente veſana potius quàm recta ſentiẽtes hoc facere audent. Sicut enim ipſius diei ſolemnitas per ſingulos annos eſt celebranda, ita ipſius ſancti chriſmatis confectio per ſingulos annos eſt agenda, & de anno in annum renouanda, & fidelibus eſt tradenda: quia nouum ſacramentum eſt,& per ſingulos annos in iam dicta die innouandum,& vetus in ſanctis eccleſiis eſt cremandum.Iſta à ſanctis Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus accepimus, & vobis tenenda mandamus.Hæc ſancta Romana eccleſia, & Antiochena à tempore Apoſtolorum cuſtodit.Hæc Hieroſolymorum & Epheſianorum tenet,in quibus Apoſtoli præſidentes hæc docuerunt,& vetus chriſma incendi, & non amplius quàm vno anno vti permiſerunt.

De conſecr. diſt.3. cap. Literis.

Ex dec. Fabian. epiſt. 2. ad Oriẽt. epiſc.

DOROTHEA.

Enimuerò haud in actis Apoſtolicis legimus,Apoſtolos in confirmandis baptizatis chriſmate vſos fuiſſe: ſed manuum impoſitione duntaxat,& oratione.

THEOPHILVS.

Verum id quidem eſt:at eccleſia tamen,quæ columna eſt & ſtabilimentũ veritatis,aſſeuerat,per Apoſtolos chriſmatis conſecrationem nobis eſſe commendatam. Cauſa autẽ quamobrem neque Chriſtus Apoſtolos,neque Apoſtoli in

1.Tim.3.

primis eccleſiæ primordiis, populos confirmandos chriſmate vnxiſſe leguntur, hæc ipſa eſt, quòd exteriori chriſmatis inunctione (quę deſignaret inuiſibilem ſpiritus ſancti vnctionem) tantiſper non erat opus, dum ſpiritus ſanctus viſibili ſigno in confirmatos deſcendebat, quod per impoſitionem manuum Apoſtolorũ in primis illis eccleſiæ rudimẽtis factum legimus. Poſteà verò dilatata eccleſia Dei, cùm ſigno illo viſibili diuerſitatis linguarum opus iam non eſſet, ſpiritu ſancto roborandi ac confirmandi, chriſmate ſunt inuncti, vt & ipſi ſigno externo admonerẽtur, excitarenturque ad myſterij interioris fidem & contemplationẽ. Ac ſanctus Auguſtinus affirmat, chriſmatis ſacramentum in genere viſibilium ſacramentorum, ſacroſanctum eſſe, ſicut ipſe baptiſmus eſt. Neque enim (vt idem alibi ait) ſpiritus ſanctus nunc cõfertur per impoſitionem manuum temporariis & ſenſibilibus miraculis atteſtantibus, ſicut anteà dabatur ad commendationem rudis fidei, & eccleſiæ primordia dilatanda. Quis enim nunc hoc expectat, vt hi, quibus manus ad accipiendum ſpiritum ſanctum imponitur, repentè incipiant linguis loqui? Sed inuiſibiliter & latenter intelligitur per vinculum pacis, eorum cordibus diuina charitas inſpirari, vt poſsint dicere: Charitas Dei in cordibus noſtris eſt per ſpiritum ſanctum effuſa, qui datus eſt nobis.

Act. 8. 10

Lib. 2. contra iter. Petiliani. cap. 104.

Auguſt. de bapt. cõt. Donat. cap. 16.

Rom. 5.

DOROTHEA.

Túne igitur aſſeueras, hanc obſeruationem eſſe Apoſtolicam?

THEOPHILVS.

Vniuerſalis conſenſus eccleſiæ omnium temporum nobis huius rei certiſsimum perhibet teſtimonium, maximè quum vno eodemque tempore, idque non multò poſt Apoſtolorũ deceſſum, per omnes fermè eccleſias, hæc ipſa ordinatio, vti Apoſtolica, obſeruata ſit, quemadmodũ ſuprà ex epiſtola S. Fabiani ad Oriẽtales epiſcopos docuim⁹. Quod beatus Hieronymus etiam contra Luciferianos affirmat.

Ireneus lib. 4. cõt. hære. cap. 63.

DOROTHEA.

Ecquid opus eſt inungi chriſmate in cõfirmatione, cùm prius iam in baptiſmo, qui cõfirmatur, eo fuerit inunctus?

THEOPHILVS.

Chriſma aliter datur in baptiſmo,aliter in cõfirmatione.Signatur enim baptizatus chriſmate per ſacerdotẽ in capitis vertice:per epiſcopum, verò in fronte: vt in priore vnctione ſignificetur ſpiritusſancti ſuper ipſum deſcenſio, ad habitationem Deo conſecrandam:in poſteriori verò,vt eiuſdem ſpiritus ſancti ſeptiformis gratia, cum omni plenitudine ſanctitatis & ſciẽtiæ & virtutis in hominem venire declaretur. Quamobrem Dionyſius,hoc ſacramentũ vocatum eſſe ab Apoſtolis τελετὴν ,id eſt, perfectionem & abſolutionem virtutis ſpiritualis, ſcribit.

DOROTHEA.

Cur confirmandus ſignatur in fronte ſigno crucis?

THEOPHILVS.

Vt admoneatur ſuſcepiſſe ſignum imperatoris noſtri Chriſti,quem,omni metu atque pudore poſthabito,palàm & vbique debeat confiteri.Frons enim pudoris eſt ſedes.

DOROTHEA.

Cur poſt confirmationem confirmatus alapa cæditur?

THEOPHILVS.

Vt meminerit ſe deinceps pro nomine Ieſu contumeliam æquo animo pati debere,& percutienti ſe ad dexterã, obuertere & ſiniſtram,hoc eſt, magis eſſe paratum ad nouam accipiendam iniuriam,quàm vlciſcendi deſiderio teneri.

DOROTHEA.

Quid ſuſceptoribus, qui confirmandos offerunt, iniungitur poſt abſolutas diuinas orationes,& inuocationes quæ fiunt ſuper confirmatos?

THEOPHILVS.

Vt confirmatos Chriſtiana religione & orthodoxa fidẽ inſtituant, hoc eſt,ſymbolum Apoſtolorum & Dominicã orationem eos doceant, admoneantq́ue diligenter, vt ab omni peccato in poſterum abſiſtant, & inculpatè viuant, bonum operantes.

DOROTHEA.

Quid verò illis opus eſt catechiſtis ſiue ſuſceptoribus, & patrinis,potiſsimùm ſi adulti ſint, dum confirmantur, eaq́ue nouerint,quæ ad fidem Chriſtianam pertinent?

THEOPHILVS.

Illos adhibent, vt ſeſe in conſpectu Dei deiiciant, & animos ſummittãt, quaſi ſuæ imbecillitatis cõſcij, per eorúmque fidem, qui iam fortes ac robuſti ſunt, ſuſtentari cupiẽtes, ad Deum pro confirmatione & corroboratione per ſpiritum ſanctum accipienda, veniant.

DOROTHEA.

Agè igitur, dic mihi, quis ſit effectus huius ſacramẽti.

THEOPHILVS.

Ex iis quæ ſuprà diximus intelligi poteſt: nimirum hoc ſacramentum dari ad impertiendum donum ſpiritus, quo confirmemur aduerſus omnes tentationes carnis, mundi, & diaboli, quo in fide roboremur ad confitendum & glorificãdum nomen Domini noſtri IeſuChriſti, quo denique charitatis augmen ac perſeuerantiam in bonis operibus capiamus.

DOROTHEA.

Non ſatis aſſequor quid velis. Dixiſti ſuprà virtutem baptiſmi vires noſtras ſancti ſpiritus beneficio corroborare, contra cõcupiſcentiam, quæ nos ad malum procliues reddit, quò ei reſiſtere ac præualere poſſimus: nunc autem affirmas nos in confirmatione ad pugnam armari. Cùm in baptiſmo (vt olim decretum fuit in cõcilio Milenitano, diui Auguſtini tempore) nõ ſolùm offeratur peccatorum remiſsio, ſed adiutorium etiam diuinæ gratiæ, vt peccata iam admiſſa, non admittantur in poſterum: quid opus eſt quærere nouam gratiam? An melius ad certamen inſtrui poſsimus aduerſus diabolum, quàm carnis noſtræ mortificatione, & viuificatione ſpiritus, vetere noſtro homine crucifixo, in nouitate vitæ ambulantes, per gratiam quam in baptiſmo accepimus, Chriſto conſepulti, vt reſurrectionis eius ſimus participes?

Con. Milenit. cap. 3. de conſec. diſt. 4. c. placuit vt.

THEOPHILVS.

Non accuratè quæ diximus expendiſti. Neque enim hîc vllo modo negare volo, quod cum de baptiſmo verba facerem, aſſeueraui: in quo quidem veriſsimum eſt peccata vniuerſa gratuita remiſsione per Dei miſericordiam in Chriſti ſanguine deleri, atque etiam nobis adiumẽtum adeſſe, quo fulti peccare iam abſiſtamus. Sed hoc volo, longè nos amplius in confirmatione robur accipere, quo in via

ſalu-

ſalutis conſtanter progrediamur, alacriter perſeueremus, & fœlici ſucceſſu reſiſtamus inſidiis atque tentationibus carnis, mundi, ac diaboli. In eo enim ſeptiformem ſpiritus ſancti gratiam accipimus, cum plenitudine ſanctitatis, ſcientiæ & virtutis, vt aliis prædicemus donum quod in baptiſmo adepti ſumus, æternæ perenniſque vitæ hæredes facti. Quamuis autem nunc per impoſitionem manuum, manifeſtæ virtutes, & viſibiles gratiæ ſancti ſpiritus minimè nobis conferãtur, vt Apoſtolorum tempore eueniebat: ampliores tamen adiungũtur ſemper gratiarũ ſpiritualiũ, inuiſibiliumque virtutũ acceſsiones iis, qui ritè hoc ſacramentum ſuſcipiũt. Quis verò neſcit Apoſtolos longè ante Pentecoſten ſpiritũ ſanctũ accepiſſe? Illis enim à Chriſto dictum eſt; Non vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus patris veſtri, qui loquitur in vobis. Scriptura tamen teſtatur illos in die Pentecoſtes ſpiritum ſanctum accepiſſe. Quo tandẽ pacto, niſi cum plenitudine gratiarum? Licèt ergo ſpiritum ſanctũ in baptiſmo accepimus, multò plenius tamen ac vberius eum in cõfirmatione ſuſcipimus. Faceſſant igitur calumniæ, quibus nos veritatis hoſtes premunt, rudium imperitorumque animis impias haſce voces inſtillantes, nos promiſsiones baptiſmi proprias, à baptiſmo abſciſſas aliò deriuare & tranſferre. Neque enim docemus, eos, qui in Chriſto ſunt baptizati, nullam in baptiſmo promiſsionẽ percepiſſe, qua in agonibus inſtruãtur. Quare mendacii & blaſphemiæ vocẽ eſſe oportet, quæ aſſerit cõfirmationem, inſignem eſſe baptiſmi contumeliam, quæ vſum ipſius obſcuret & aboleat.

Raban. lib. 1. cap. 31. de inſt. cleric.

Mat. 10.

DOROTHEA.

Quo affectu ad participandum hoc ſacramentum accedendum eſt?

THEOPHILVS.

Pro tanti muneris diuini reuerentia, adulti purgatis per exomologeſin animis ieiuni debent ad huius ſacramenti ſuſceptionem accedere, credereque ſe per eccleſiæ ſanctæ interceſsionem & ſacerdotis miniſterium, accepturos ſpiritum ſanctum, qui ſeptiformi gratia ſua, omnis ſcientiæ, virtutis, & roboris ſpiritalis plenitudinem ac conſummationem in ipſis ſit operaturus, iuxta Domini promiſsionẽ, in vnoquoque tamen iuxta menſuram donationis Chriſti.

Cõcil. Au. ca. 3. de conſecr. diſt. 5. cap. vt ieiuni.

Ioan. 14. & 15.

Epheſ. 4.

DOROTHEA.

Ecquis huius ſacramenti miniſter eſt?

THEOPHILVS.

Act.8. Epiſcopus.Nam vt in actis legimus,Philippus diaconus licèt Samaritanos verbo Dei conuerterit,& baptizauerit: non tamen hoc ſacramentum miniſtrauit, ſed Apoſtoli *Hieronymus cõt.Luciferianos.* miſerunt ad eos Petrum & Ioannẽ,qui cùm deſcendiſſent, orauerunt pro ipſis,vt acciperent ſpiritum ſanctum:quod nunc faciũt epiſcopi,nimirum Apoſtolorum ſucceſſores. *Ambroſi. de ſpi.ſanc. lib.1.cap.7.* Nam vt diuus Ambroſius ait, Non humanum hoc opus, neque ab homine datur,ſed inuocatus à ſacerdote ſpiritus à Deo traditur:in quo Dei eſt munus,miniſterium ſacerdotis.

DOROTHEA.

Sed nónne Ananias,qui Apoſtolus non erat,ad Paulum *Act.9.* miſſus eſt, vt Paulus ipſe viſum reciperet,baptizaretur,& impleretur ſpiritu ſancto?

THEOPHILVS.

Ananias,qui vnus erat ex ſeptuaginta diſcipulis, atque diaconus,nõ vllius hominis imperio ad Paulum miſſus eſt, ſed illum Dei iuſſu adiit, vt baptizaret, aſpectúmq; ei reſtitueret,non autem vnus ex Apoſtolis,ne videretur Paulus ab eo edoctus,ſola inſpiratione diuina,non item. Neque enim illum Ananias docuit,at baptizauit tantùm,cùm ſtatim pòſt futurum eſſet,vt vehementi zelo,inſigníque animi promptitudine & alacritate ingentem ſpiritus gratiã acciperet,Quare quod affers,factum eſt ſpeciale, quod adhiberi neque debet neque poteſt ad fidem faciendam præſentis cõtrouerſiæ, nimirum priuatum ſacerdotem æquè *Cypr. ad Ianua.de hære.bapti. Hieron. aduer.Luc.* hoc ſacramentum adminiſtrare poſſe,ac epiſcopum: cum in primitiua eccleſia ſoli Apoſtoli, ac eorum ſucceſſores illud adminiſtrarent, quemadmodum beati Cyprianus & Hieronymus teſtãtur. Vnde ait Vrbanus papa: Omnes fideles per manus impoſitionem epiſcoporũ ſpiritum ſan- *De conſecr. diſt.5.capi. Omnes.* ctum poſt baptiſmum accipere debent,vt pleni Chriſtiani inueniantur:quia cùm ſpiritus ſanctus infunditur, cor fidele ad prudentiam & conſtantiam dilatatur.

DOROTHEA.

Diſtinct. 95.ver. Peruenit. Si iure diuino proprium hoc munus epiſcoporum eſt, cur auſi ſunt ad plebeios preſbyteros transferre quemadmodum in quadam Gregorij Epiſtola legitur?

THEOPHILVS.

Permiſſum hoc fuit vrgente neceſsitate, cùm epiſcopus haberi non poſſet. At vbi eius copia eſt, nullâque vis externa vrget, huius ſacramenti adminiſtratio plebeio ſacerdoti demandari non poteſt.

DOROTHEA.

Tu in ſuperioribus ſacramentis declarandis ad plenum animo meo ſatisfeciſti. Reliqua, obſecro, mihi explicare perge. Ac primùm omnium de ſacramento pœnitentiæ diſſerito. Curnam illud Chriſtus inſtituit?

THEOPHILVS.

Vt ſit nobis tanquam ſecunda tabula poſt baptiſmum, in naufragio, vt & Tertullianus & Hieronymus docent. Nam homines renati non ſolùm peccata leuia admittunt, quæ iugi & aſsidua ſui ſanctificatione purgentur: ſed etiam in grauia ſæpe crimina, & varios animi lãguores incidunt: de quibus dicit Apoſtolus, quòd qui talia agunt, regni Dei hæreditatem non conſequentur. Et, Timeo ne iterum vbi venero ad vos, humilem me Deus apud vos faciat & lugeam multos eorum qui antè peccauerũt, nec eos pœnituit immunditiæ, libidiniſque & impudicitiæ, quam patrarunt. Ideóque ad medicinam vulneratæ conſcientiæ, hoc ſacramẽtum inſtitutũ eſt. Et Chriſtus, eiúſque præcurſor S. Ioannes, & Apoſtoli, prædicationis Euangelicæ doctrinam à pœnitentia ſemper exorſi ſunt. Hanc etiam prophetæ & ſancti Dei homines docuerunt, quibus nihil in ore magis erat, quàm illud: Pœnitentiam agite, & credite Euangelio. Hec pœnitentia donum Dei eſt, & præclara virtus. Eſt enim vera ad Deum vitæ noſtræ conuerſio, à ſyncero ſerióque Dei timore profecta, quæ carnis noſtræ, veteríſque hominis mortificatione & viuificatione ſpiritus conſtat. Hac confugimus ab ira Dei ad eius miſericordiam: hac conuertimur ab operibus mortis ad Deum viuentem: hac ſubducimur à peccati ac diaboli laqueis, ac vnum cum Chriſto corpus efficimur.

De ſacramento pœnitentiæ. *Hieronymus ſuper Danielem.* *Gal. 5.* *2. Cor. 12.* *Mat. 3. 4.* *Marc. 1.* *Luc. 6.* *Act. 2. & 26.* *Marc. 1.*

DOROTHEA.

Quo pacto hæc in nobis gignitur mortificatio?

THEOPHILVS.

Non tam miniſterio Moſaicæ legis efficitur, quàm lege ſpiritus vitæ, dum hæc in baptiſmo nobis inſita, & peccato rurſus obruta, per Euangelij verbum in nobis reſuſcitatur, cordibus noſtris inclamans: Memor eſto vnde cecideris, & age penitentiam, & prima opera fac: ſin minus, ad te citò veniam. Item, O ſtulti Galatæ, quis vos faſcinauit, vt non crederetis veritati? Quibus præ oculis Ieſus Chriſtus antè fuit depictus, & inter vos crucifixus. Et: Irritam quis faciens legem Moyſi, ſine vlla miſeratione duobus aut tribus teſtibus moritur. Quantò putatis peioribus affectum iri ſupplicijs, qui filium Dei conculcarit? Hæc vox ſpiritum noſtrum præoccupatum peccato, ad contritionem & inenarrabiles gemitus reuocat, qui in cõfeſſionem tandem erumpunt & ſollicitudinem, indignationem, ſatisfactionem, timorem, deſiderium, & vindictam pariunt & operantur. De quibus animi motibus dictum eſt in Dauide propheta: Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies. Huic timori ſuccurrit fides, quæ reſpicit in Chriſtum, quem habemus apud patrem iuſtum, & qui eſt propiciatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem tantùm, ſed & pro totius mundi. Vnde & ſeruare in perpetuum poteſt accedentes per ſemetipſum ad Deum, ſemper viuens ad interpellandum pro nobis: quòd maneat in æternum, ſempiternum habens ſacerdotium. Hac fide rurſus inuouatio ſpiritus accipitur, & viuificatio mortificationi coniungitur. Sic enim precatur Dauid: Quoniam iniquitatem meam ego cognoſco, & peccatum meum contra me eſt ſemper. Aſperges me hyſſopo, & mundabor: lauabis me, & ſuper niuem dealbabor. Auditui meo dabis gaudium & lætitiam, & exultabunt oſſa quæ contriuiſti. Spiritum rectum innoua in viſceribus meis, redde mihi lætitiã ſalutaris tui. Et iterum: Quoniam die ac nocte grauata eſt ſuper me manus tua, conuerſus eſt humor meus in ſiccitates æſtatis. Delictum meum cognitum tibi feci, & iniuſtitiam meam non abſcondi. Dixi: Confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei.

Apoc. 2. *Gal. 2.* *Heb. 10.* *2. Cor. 7.* *Pſal. 50.* *1. Ioan. 2.* *Heb. 7.* *Pſal. 50.* *Pſal. 32.*

Intelligo quid velis. Interpretaris enim mortificationem animæ dolorem & terrorem, ex agnitione peccati, & ſenſu iudicij Dei conceptum.

THEOPHILVS.

Rectè accipis: Vbi enim quis in veram peccati cognitionem adductus eſt, tum verè peccatum odiſſe, & execrari incipit: tum ipſe ſibi ex animo diſplicet, miſerum ſe & perditum fatetur, & alium ſe eſſe optat. Adhæc vbi ſenſu aliquo iudicij Dei tactus eſt (alterum enim ex altero protinus ſequitur) tum verò perculſus ac conſternatus iacet, humiliatus ac deiectus tremit, animum deſpondet, deſperat.

DOROTHEA.

Viuificationis autem nomine conſolationem intelligis, quæ ex fide naſcitur: vbi ſcilicet homo, peccati conſcientia proſtratus, ac Dei timore perculſus, poſtea in Dei bonitatem, in miſericordiam, gratiam, ſalutem, quæ eſt per Chriſtum, reſpiciens, ſeſe erigit, reſpirat, animum colligit, & velut è morte in vitam redit.

THEOPHILVS.

Aliud nihil volo.

DOROTHEA.

Sacramentíne ratione cenſetur eiuſmodi pœnitentia?

THEOPHILVS.

Minimè verò. Sacramentum enim (vti diximus) conſtat verbo, promiſſione, & elemento.

DOROTHEA.

In quo igitur conſiſtit pœnitentia, quatenus eſt ſacramentum.

THEOPHILVS.

Conſiſtit potiſſimùm in abſolutione ſacerdotis, qua quidem ille diuini verbi virtute, & clauium ipſi à Chriſto traditarum, peccatorem pœnitentem, in Deíque miſericordia ſperantem à peccatis abſoluit & liberat.

DOROTHEA.

Expone, ſodes, quid pœnitētia ſit, quatenus eſt ſacramētū.

THEOPHILVS.

Externum & viſibile ſignum eſt pœnitentiæ interioris, ac remiſſionis peccatorum, ſeu gratiæ Dei, quam Deus ipſe efficaciter & certò in hoc ſacramento operatur.

DOROTHEA.

Quodnam eſt verbum?

THEOPHILVS.

Verbum huius ſacramenti, verbum abſolutionis eſt, quod ſacerdos vice Dei ad confeſſum peccata ſua pronunciat: Ego (inquiens) abſoluo te à peccatis tuis, in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti.

DOROTHEA.

Fuſius iſtud explicari mihi velim.

THEOPHILVS.

Chriſtus poſtquam compleuiſſet omnia, quæ pro redẽptione hominum conſummanda prophetæ de illo prænunciauerant, rediturus ac patrem, ne beneficiorum ſuorum in terris memoria periret, aut ſalutaris ceſſaret diſpenſatio meritorum ſuorum, Apoſtolos, eorúmque ſucceſſores, epiſcopos & ſacerdotes inſtituit, qui beneficiorum ſuorum memoriam inter homines docendo & exhortando conſeruarent, & ſacramentorum diſpenſatione ſuſcepta, per illam eadem Chriſti beneficia & merita credẽtibus populis diſtribuerẽt. Quod Apoſtolus innuẽs, ait: Sic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei. Inter reliqua verò ſalutis noſtræ inſtrumẽnta, per quæ merita Chriſti in nos influunt, qualia ſunt, baptiſmus, Euchariſtia, & cætera ſacramenta, quæ Chriſtus Apoſtolis, eorúmque ſucceſſoribus, diſpenſanda commiſit, eiſdem etiam remittendi & retinendi peccata poteſtatem tradidit. Atq; vt homines intelligerẽt, quàm ſeria illa poteſtas eſſet, cui ſe neceſſariò ſubdere debent, quicunq; remiſſionẽ peccatorũ ſuorũ accipere, & ſalutem cõſequi volunt: idem, qui tradidit, poteſtatẽ illã claues regni cœlorũ appellauit, dicens Petro: Et tibi dabo claues regni cœlorum. Et: Quodcũq; ligaueris ſuper terram, erit ligatũ & in cœlis & quodcũque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis. Quibus verbis catholica Chriſti eccleſia intellexit, Dominum ſeruatorémque noſtrum Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus claues dediſſe nõ ſolùm poteſtatis, ſed & ſcientiæ ac diſcretionis. Sine claue enim ſciẽtiæ, poteſtatis clauis cęca foret. Quare ſancti patres, quotquot de hac re ſcripſerũt, concluſerunt ex iis Chriſti verbis, quòd omnis, qui peccatis fuerit

1. Cor. 4.

Mat. 16.

oneratus quæ conſcientiam ſuam ream teneant cruciéntque, debeat adire proprium ſacerdotem, eiuſmodi peccata diſtinctè confiteri, & ab eodem poſcere informationem, medicinam & iudiciũ:& quicquid denique canonicæ ſatisfactionis nomine ſacerdos tanquã medicus ſpiritualis ipſi impoſuerit, animo volũtario implendũ ſuſcipere:imò ante abſolutionẽ relinquere arbitrio iudicióque ſacerdotis, an ſtatim confeſſione facta à peccatis ſit abſoluendus:an verò quouſq; peracta ſit pœnitentia, debeat abſolutio differri:proptereà quòd ſacerdos in hoc ſacramento ſpiritualem quendam medicum agat, cuius munus eſt vitia vulnerum indagare, diligẽtérque proſpicere, vt ab intima radice perſanentur, quò nulla obducantur cicatrice, prius quàm perfectè ſint curata. Ita his de rebus patres omnes tam Orientalis quàm Occidentalis eccleſiæ docuerunt.

DOROTHEA.

Quid? Túne aſſeris Chriſtum neceſſitatem nobis impoſuiſſe confeſſionis apud ſacerdotem edendæ, cum diſtincta peccatorum enumeratione?

THEOPHILVS.

Cùm nos peccatáque noſtra Chriſtus ſacerdotum miniſterio ſubiici voluerit, ſic, vt pro diuerſitate peccatorum, ea vel remittant ipſi, vel retineant, neutram in nos poteſtatem exercere poterunt, niſi arbitrium præceſſerit, & accuratum iudicium: vt ſciant, hácne an illa poteſtate, retinendi videlicet, an remittendi peccata, in nos defungi debeant. Tale autem arbitrium aut neceſſariam iſtam cognitionem, non aliũde, quàm ex recenſione peccatorum haurire poterunt. Quomodo enim ea, quæ tu ſine teſte geſſiſti, & quæ mente occultas, ſacerdotes diiudicabunt, vtrúmne remiſſione, an retentione digna ſint, niſi tu ea protuleris? Sacerdotes quidem certè, niſi velint alienæ poteſtatis temerarij vſurpatores eſſe, continebunt ſe, nec pro commiſſa ſibi poteſtate aut ſoluent aut ligabunt, prius quàm, quid ſoluendum ligandúmve ſit, diiudicatione antegreſſa, probè didicerint. Cùm itaque omnes homines peccatores ſint, nec quatenus peccatores ſunt, diſcerni alij ab aliis vllo modo poſſint niſi ſola diſcretione, quæ ex diuerſa qualitate peccatorum

exiſtit: quis non videt, pro remiſsione peccatorum per ſacerdotis miniſterium conſequenda, neceſſarium eſſe, vt ſinguli coram eo criminum ſuorum qualitatem recenſendo aperiant, vnde diſcat ſacerdos, quorum peccata remittere, & quorum retinere debeat, cùm vtique par ius ligandi & ſoluendi à Domino acceperit?

DOROTHEA.

At mihi quidẽ videtur nihil opus eſſe vt ſacerdos à peccatore delictorum occultorum reuelationem exigat, quò illa ſua ligandi poteſtate in ipſum defungatur: verùm ſatis eſſe, vt eam exerceat contra publicis criminibus infames, qui ſcilicet, dum coarguuntur verbiſque caſtigantur, reſipiſcere nolũt, nec ad frugem bonam ſe recipere ducti pœnitentia.

THEOPHILVS.

Falleris, totáque erras via. Nam vtraque poteſtas, tam ſoluendi quàm ligandi, æquè latè extenditur, & tam ad occulta, quàm ad publica & manifeſta crimina pertinet. Generatim enim de omnibus peccatis pronunciauit Chriſtus: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt: nullum ponens diſcrimen inter ea peccata, quæ in luce, & quæ in occulto fiunt. Quod ita omnino neceſſe eſt. Nam cùm occulta peccata æquè animã ſaucient & occidant, & interdũ manifeſtis non paulò grauiora & perículoſiora ſint: vtique conuenit remedium illud æquè ad occulta adhiberi. Sed nullus ſacerdos tam ineptus eſt aut temerarius, qui de his, quæ ignorat, iudicium ſibi ferẽdum exiſtimet, & occulta tua vel ligare, vel ſoluere audeat, niſi prius per cõfeſsionem, te proferẽte, qualia ſint, cognouerit. Hoc amplius, confitentium vtilitas talem peccatorum recenſionem requirit. Nam qui retentione dignũ peccatum perpetrauit, is procul dubio maiore ſuo commodo ligatur, quàm abſoluitur. Siquidem hoc præſtat eius alligatio, vt & cæteri eius exemplo à peccando deterreantur, & ipſe citius ſanetur. Si enim ſacratiſſimis cœnæ dominicę myſteriis indignus & intempeſtiuus ſeſe ingereret, iudiciũ ſibi grauius, maioremque damnationem accerſeret: aut præmaturè à ſupplicio temporario ſolutus, iuſtã Dei iram, & æternam vindictam in ſe prouocaret.

DORO-

DOROTHEA.

Audiui aliquando, hanc diſcretionis notam debere ſacerdoti ſufficere, vt inter peccatores, qui ligandi, quíve ſoluendi ſint, diiudicet: nimirum fidem, & incredulitatem: vt is ſoluendus ſit, qui credit ſibi per Chriſtũ remiſſa eſſe peccata, etſi non confiteatur eadem ſpeciatim: is verò ſolus ligandus ſit, qui Euangelij promiſſionem reſpuit, verbũq́ue Dei auerſatur aut contemnit, nec ſibi peccata remitti credit. Omnes enim ſerui peccati & mortis ſoluimur ac liberamur, per redẽptionem quę eſt in Chriſto Ieſu. Qui verò Chriſtum liberatorem ac redemptorem non ſuſcipiũt, nec agnoſcũt, ij damnati iam ſunt, æterniſq́ue addicti vinculis. Quod ſi ita eſt, non neceſſe erit ſoluẽdi ligãdíve arbitrium (quod verbi miniſterio cõiunctũ eſt) ex peccatorũ enumeratione & qualitate colligere. Iſtud autem ſcripturis videtur conſentaneum: Chriſtus enim Apoſtolis ſuis, cùm eos ad prædicãdum ſermonem ſalutis emitteret, dicebat: Cùm intrabitis domũ, ſalutate illam, & ſiquidem fuerit domus digna, veniat pax veſtra ſuper illam: ſin minus fuerit digna, pax veſtra ad vos reuertatur. Et quicunque non exceperit vos, neque audierit ſermones veſtros, exeuntes ex ædibus, *Mat.10.* aut ciuitate illa, excutite puluerem pedum veſtrorum. Amẽ dico vobis: tolerabilius erit terræ Sodomorum & Gomorrhæorum in die iudicij, quàm ciuitati illi. Ac apud Marcũ iiſdem ait: Ite in mundum vniuerſum, & prædicate Euan- *Marc.16.* gelium omni creaturę. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.

THEOPHILVS.

Nequaquã inficiamur fidem remiſsionis peccatorum, quam in nobis efficit ſpiritus ſãctus, omnino neceſſariam eſſe in pœnitente, qui velit clauium fructum percipere: niſi enim peccator mentem hac fide præparatam habeat, virtute clauium ſpiritualium non ſoluitur. Sed claues nihil aliud eſſe quàm fidẽ aut ſpiritum ſanctum qui fide datur, id planè negamus: nam Apoſtoli & fidem & ſpiritus ſancti reuelationem habuerunt, priuſquàm Chriſtus ipſis claues vel promitteret vel daret. Ergo claues eſſe oportet aliquid præter fidem, hoc eſt, poteſtatem quandam, qua in eccleſia pœnitentes, quum accedunt per fidem ac confitentur per

eos qui eccleſiæ nomine claues tenent,confeſsi & correpti ſoluuntur vel ligantur. In quam ſententiam diuus Auguſtinus dixit, Chriſtum has claues ligandi ac ſoluendi eccleſiæ dediſſe,ſcilicet vt quiſquis in eccleſia eius dimitti ſibi peccata non crederet,non ei dimitterentur: quiſquis autem crederet, ſéque ab his correptis auerteret in eiuſdem eccleſiæ gremio conſtitutus, eadem fide ac correctione ſanaretur. Quiſquis enim non credit ſibi dimitti poſſe peccata,fit deterior deſperando,quaſi nihil illi melius quàm malum eſſe remaneat, vbi de fructu ſuæ conuerſionis infidus eſt. Hæc ille. Quod autem ad Euangelicos locos attinet,quos protulisti,loquuntur illi quidem de alienis ab Euangelica profeſſione, & infidelibus obſtinatiſque, qui fidem in Chriſtum & Euangelium repudiantes condemnantur, non clauium quidẽ virtute, ſed ſua infidelitate & proprio iudicio, quos tanquam deploratos,niſi reſipuerint, relinquendos Euangelium & Apoſtoli tradiderunt. Cęterùm Chriſtus eccleſię ſuæ,claues regni cœlorum,hoc eſt remittendi & retinendi peccata poteſtatem tradidit, vt illam exerceret,non in alienos & infideles,ſed in fratres,qui eccleſiæ ſubſunt. Quid enim ad eccleſiam attinet de his qui foris ſunt iudicare, & non potius de his qui intus ſunt? Itaque ſi is qui frater nominatur, & eccleſiæ filius, illi ex aqua & ſpiritu ſancto generatus,poſteà incipiat ſcortator eſſe,aut auar⁹, aut ebrioſus, aut conuiciator, aut aliquo peccati læthali vulnere ſauciari,eum eccleſia curare parat, & per clauium remedium de eo ad ſanitatem reducendo ſatagit ſolicitáque eſt. Ex iis ergo qui ſubſunt eccleſiæ, ſi qui poſt delictorum vulnera, ducti pœnitudine,ſollicitæ matris curæ ſe ſanandos ſubmiſerint,illa morbi qualitatem accuratè expendens,& eorum peccata ſolerti diſquirens indagatione,iuxta Domini mandatum iis ſuccurrit aut remiſsionis gratia, aut retentionis ſeueritate,prout iudicauerit vel pro aliorum emendatione cõducere,vel pro rerum ſalute expedire. Proinde ſacerdos ſoluendi aut ligãdi arbitrium non ſumit ex fide,aut incredulitate,cũ increduli nihil ad eccleſiam pertineant: ſed poteſtatem remittendi & ſoluendi inter ſolos fideles exercẽs, cognita peccatorum qualitate diiudicat, qui ſolui ligaríve iuxta Domini ſententiã debeãt. Haud quaquam ergo ſunt

De doctr. chriſt. lib. 1. cap. 17. & 18.

audiẽdi, qui ligãdi & ſoluẽdi verba, vel ad prędicationẽ qua verbi miniſtri fũgũtur, vel ad diſciplinã excõmunicationis, quæ eccleſiæ permiſſa eſt, tãtũ referũt. Licèt enim etiã liget eccleſia, dũ eius quem excõmunicat vitã ac mores dãnat, ac niſi reſipuerit, iã eũ ſuæ dãnationis admonet (neque enim in perpetuã ruinã illũ ac deſperationẽ cõiicit) ſoluat autem quẽ in cõmunionẽ recipit, velut participẽ eũ faciẽs vnitatis quam habet in Chriſto Ieſu: tamẽ in occultis etiã delictis (quę aliquãdo, vt diximus, manifeſtis grauiora & periculoſiora ſũt) remittẽdis vel retinẽdis potiſsimũ locũ habent. Itaque ſic ſtatuẽdũ eſt, clauiũ poteſtatẽ tũ maximè vigere, vel quũ ſolenni recognitione vitiorũ ſuorũ veniã precatur tota eccleſia: vel quũ priuat⁹, qui aliquo notabili delicto cõmune offẽdiculũ peperit, pœnitẽtiã ſuã teſtatur: vel quũ is, qui ob cõſciẽtię inquietudinẽ ſacerdotis ope indiget, ſuam illi infirmitatẽ & occulta delicta aperit. Quũ enim tota eccleſia velut corã Dei tribunali aſtat, reã ſe cõfitetur, vnũ refugiũ habet in Dei miſericordia: nõ vulgare aut leue ſolatiũ eſt, habere illic præſentẽ Chriſti legatũ, recõciliationis mãdato prędítũ, à quo denũciari ſibi abſolutionẽ audiat. Similiter quũ is, qui ſe ab eccleſia quodã modo alienauerat, reſtituitur in fraternã vnitatẽ accepta venia, quãtũ beneficiũ eſt, quòd ſibi ab iis ignoſci intelligit, quibus dixit Chriſtus: Quibuſcũque remiſeritis peccata in terris, remiſſa in cœlo erũt? Nec minoris efficaciæ aut fruct⁹ eſt priuata abſolutio, vbi ab eo petitur, qui & vitiorũ laqueis implicitus, animi ſui lãgores & occulta etiã crimina, quorũ ſibi cõſci⁹ eſt, ſacerdoti detegit. Cũ enĩ illi ſecretũ animi vulnus aperuerit, atque illã Euãgelij vocẽ peculiariter ad ſe directã audierit, Remittũtur tibi peccata, ſua, cõfide: animũ cõfirmat ad ſecuritatẽ omníque trepidatione liberatur. Miniſterij ergo clauiũ tota vis in eo poſita eſt, vt Euãgelij gratia, per eos quos Dominus ordinauit, fidelium animis publicè ac priuatim obſignetur.

DOROTHEA.

Cùm nullum in ſcripturis ſanctis præceptum, ſaltem expreſſum, de priuata confeſsione reperiri poſsit, nondum video, qua tãdem ratione ad eam homines adigi debeant.

THEOPHILVS.

Chriſtus eos, qui perire ſua ſponte volunt, ad confitẽdū de peccatis nullo præcepto alligauit, ſicut ne ad baptiſmum quidem ſuſcipiendum præcepto adigit quemquam. Cùm tamen is, qui veritas eſt, ad cœlorum regnum ſine baptiſmo neminem peruenturum denunciauerit, dicens: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, nõ intrabit in regnum cœlorum: an non qui ſeruari volunt, præcepto ſatis efficaci, nimirum animarum ſuarum ſalute ad ſuſcipiendum baptiſma vrgentur? Sic qui amiſſa baptiſmi innocentia, iteratis delictis aditum ſibi regni cœleſtis præcluſit, cũ audit eccleſiæ miniſtris regni cœleſtis claues à Chriſto traditas, vt quoſcũque illi ſoluerint in terris, ſoluti ſint in cœlis: profectò ſi ſapit, ſatis ſibi præceptum putabit, vt pro ſolutione ſua impetranda ei ſe ſubmittat, qui ſoluendi poteſtatem habet, niſi malit retenta peccatorum ſuorum ſarcina æternis ſuppliciis addici. Miniſtri porrò eccleſię (vti diximus) nulli peccata ſua vel remittere, vel retinere debent, ac ne poſſunt quidem, niſi per confeſsionem ipſis cognita: ne temeritatis incuſentur (cùm diſtinctè remittendi aut retinendi peccata poteſtatem acceperint) ſi in alterutram partem audeant ſententiam proferre, priuſquàm peccati cuiuſque meritum accurata diſquiſitione expenderint. Si quis verò, qui peccatis ſuis ingreſſum regni cœleſtis ſibi præcluſit, neglectis aut contemptis clauibus, aliunde ſibi aditum in cœlum aperire contendat, & remiſsionem peccatorum ſine ſacerdotum aut eccleſię miniſterio ſibi polliceri audeat: is non ſolùm eccleſiam contemptui habet, ſed Chriſti ordinationem in primis vt inanem & ſtultam deridet, quaſi ſine cauſa eccleſiæ claues nulli vſui futuras tradiderit. Quid enim attinebat eccleſiæ miniſtros regni cœlorum claues tenere, ſi iis etiam incõſultis cuilibet prõptum eſt & liberum, ſine harum clauium miniſterio aliunde in cœlum irrumpere? Ad quid in eccleſia ſoluendi & ligandi poteſtas reſidet, ſi qui ligatus eſt, ſolui alia ratione poteſt, etiam ſi pro ſolutione ſua nec orationem eccleſiæ, nec miniſterium eius expertus fuerit? Ergo diſcipulos ſuos inanibus promiſsis decipit Chriſtus, claues cœlorum & ligandi ſoluendíve poteſtatem ipſis tradens, ſi æquè ſine clauibus ingreſſus patet in cœlum, & ſi æquè ſine miniſterio ipſorum, remiſsio-

remiſsio peccatorũ ſperanda eſt. Abſit autem, vt Chriſtum fallacem promiſſorem vel leuis ſuſpicio fingere audeat.

DOROTHEA.

At nonne Deus ob validam & vehementem cordis cõtritionem, aliquando peccatorum condonatione, ſuorum ſacerdotum miniſterium anteuertit?

THEOPHILVS.

Sanè quidem: ſcriptum eſt enim: Quotieſcunque ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor. *Ezech. 18.* Sed ne tunc quidem ſuperuacanea exiſtimanda eſt ſacerdotum remiſsio, nec ſpe diuinę huius condonationis omittenda, præſertim quum contritioni ſuæ nemo confidere tutò queat aut debeat, cùm ignoret an tanta ſit, pro qua Deus peccata ſic dolenti & contrito condonare velit. Contrà verò per ſacerdotum miniſterium indubitata peccatorum remiſsio accipitur, propter Chriſti promiſsionẽ (qui vt falli non poteſt, ita fallere non poteſt nec vult) qua dixit: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Iſta enim peccatorum remiſsio, quam per miniſterium ſacerdotis quærimus, non ex virtute contritionis noſtræ (quę ſemper nobis, vti mãca & inchoata, ſuſpecta eſſe debet) ſed ex merito & gratia Chriſti pendet, & ex eius promiſſione certa eſt & efficax. Ac Dominus ipſe, pro eo ac promiſit, miniſtẽrio eccleſiæ aſsiſtens in diſpenſatione myſteriorum ſuorũ, gratiam largitur confitenti de peccatis cum animi ſubmiſſione, etiam ſi minus plena ſit eius contritio, & remiſſionẽ peccatorum in eo ipſe operatur: ita vt Chriſti miſericordia & ſacramenti virtus per miniſterium ſacerdotum in cõfitente ſuppleant, quod propriæ contritionis imbecillitas non merebatur. Quamobrem is ſalutem ſuam negligit, & animã periculo mortis obiicit, qui ancipiti dubioque fretus remedio, certum quódque in promptu eſt remedium auerſatur & faſtidit. Idem hoc Auguſtinus & Gregorius docent, dum Lazari ſuſcitationem, hominis ex peccato reſurgentis typum faciunt, quem etſi Dominus voce ſua prius ad vitam excitauerat, tamen ſolui per Apoſtolos iuſsit. Sic, ſicui ob vehementem cordis contritionem peccata Deus condonauerit, hunc per ſacerdotum miniſterium eccleſiæ reconciliari, & à delictis authoritate eccleſiaſtica ſolui de-

eorum & vtile eſt, & huic ſententiæ Chriſti admodum cõſentaneum, quam ad eccleſiæ miniſtros locutus eſt: Quorũ remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt.

DOROTHEA.

Sed quî fieri poteſt, vt ſacerdos, præſertim ſi ſcelerata viuendi ratione quàm plurimis ſit offendiculo, ſpiritũ ſanctum habeat? Quòd ſi eo careat, propriis flagitiis impeditus, nunquid alios ſoluere, & iis peccata remittere poterit?

THEOPHILVS.

Animaduertere te oportet, ſacramentorum virtutem à miniſtri ſeu bonitate ſeu malitia prorſus eſſe diuulſam, & ex Deo omnium ſacramentorum authore æſtimandam, qui per diſpares miniſtros dona ſua ſemper æqualia, ſemper bona & ſancta, ritè accipientibus diſpenſat: nec poteſt bonum ſacramentorum vſum malus miniſter facere deteriorem. Atque hoc vt aſſequaris facilius, nonnihil de ſacerdotum miniſterio, quod ad remiſsionem peccatorum attinet, dicam. Duobus omninò modis ſpiritus ſãctus datur & accipitur: Primò: ad perſonalem ſanctificationem eius qui accipit, vt cùm ſpiritus ſanctus quempiã renouans per gratiam ſuam, fide cor eius ad ſalutem purificat. Secundò, datur & accipitur ad vtilitatẽ eccleſiæ, ſine perſonali ſanctificatione eius, per quem ſpiritus ſanctus ad aliorũ vtilitatẽ dona ſua communicat. Huius generis ſũt omnia dona ſpiritus ſancti, quæ vnus & idem ſpiritus ſingulis diuidit ad
1.*Cor.* 12. vtilitatem totius corporis Chriſti, prout vult: de quibus loquitur Apoſtolus. Ea autem dona ſpiritus ſancti dari poſſe ſine perſonali ſanctificatione eius qui illa accipit, teſtis eſt Caiphas, qui de morte Chriſti per ſpiritũ ſãctũ pręſcius lo
Mat. 7. quut⁹ eſt, cũ ſceleſt⁹ eſſet. Teſtes etiã ij ſũt, qui in extremo die Chriſto dicent: Domine, nõne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus? quos tamen vt iniquitatis operarios, à ſe repellet, dicens: Non noui vos. Teſtes item ij ſunt, qui pulcherrima ſpiritus ſancti dona, doctrinam & ſcientiam, in multa malitia & peruerſitate vitæ detinent. Tale etiam donũ eſt miniſterium ſacerdotale, ſeu poteſtas illa prędicandi Euangelij, cõſecrandi Chriſti corpus, & ſoluendi ſeu ligandi peccata hominum, & adminiſtrandi ſacramenta nomine ac authoritate Chriſti? E-

iuſmodi certè poteſtas opus eſt ſpiritus ſācti: nihilominus tamen & accipi, & in alios miniſtrari poteſt ſine perſonali ſanctificatione eius,per quem Domino placuit talē poteſtatem ad vtilitatem eccleſię ſuæ exercere. Itaque & malus ſacerdos ſpiritum ſanctum habet officij ratione,non ad ſuā quidem,ſed eccleſiæ vtilitatem.Et peccata remittit etiā peccator ſacerdos,ſed remittit per ſpiritum ſanctū, cuius hæc tota virtus eſt:ita vt ſolum miniſterium ſit ſacerdotis, donum autem & virtus ſpiritus ſancti per Chriſtū.Atque hoc intelligi manifeſtò poteſt ex iis Chriſti verbis,quibꝰ ſacerdotalem poteſtatem inſtituit. Non enim dixit diſcipulis: Accipite gratiam ſpiritus ſancti, per quam puri,mūdi,idonei & digni efficiamini, vt aliis peccata remittere poſsitis: ſed ita dixit:Accipite ſpiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata,remittuntur eis: & quorum retinueritis,retenta ſunt: hoc eſt, ad Eccleſiæ vtilitatē hoc donū accipite ſpiritus ſancti, vt quorum peccata remiſeritis miniſterio veſtro, eiſdem ſpiritus ſancti munere & virtute remittantur peccata in æternum:atque hanc tantam virtutem non vos, ſed per miniſteriū veſtrū operabitur ſpiritus ſanctus. Nec tamen dubitandum eſt,quin Chriſtus ſimul cum dono iſto gratuito ſācti ſpiritus, Apoſtolis etiam gratiæ charitatiſq; incrementum afflauerit. Sicut hodie etiam ij,qui ſacerdotij officium vel alia ſpiritus ſancti dona ſynceris & purgatis animis ſuſcipiunt & diſpēſant,vnà cum gratuitis donis, etiam ad ſui ſanctificationem gratiam gratum facientem accipiunt, qua iam non aliis tantùm ad vtilitatem,ſed ſibi etiam ad ſalutem cedat donum,quod acceperunt. Hi verò, qui ſacerdotij poteſtatem aliáque ſpiritus ſancti dona indigni accipiunt aut diſpenſant, ſibi quidem damnationem propriam augēt:ſed aliis non obſunt.Nihil enim prohibet quominus Deus benedictionem & gratiā ſuam, iis qui dignè expoſcunt & ritè accipiunt, etiam per indignos miniſtros elargiatur.Quarę Deum glorificemus,qui talem poteſtatem dedit hominibus,& oremus eum,vt miniſtros eccleſiæ ſuę,ſi non vita iuſtos,ſaltē miniſterio bonos & idoneos prouideat. Ex iis ſatis liquet,in ſacerdote quantumlibet propriis peccatis alligato, nunquam poteſtatem miniſterij eſſe alligatam,qua officium ſuum exequitur,& pecca

ta remittit. Hæc enĩ poteſtas non ex ſacerdote,ſed ex Deo pendet.Et beneficiũ remiſſionis peccatorũ, non in ſacerdotis dignitate,ſed in virtute ſpiritus ſancti & Chriſti merito cõſiſtit,verboq́ue Domini innititur,quod Apoſtolis eorũq; ſucceſſoribus ſacerdotib⁹ dixit:quorũ remiſeritis peccata, &c.Ligatur ergo ſacerdos ꝓpriis peccatis ad ſuã ipſi⁹ perniciẽ.Verbũ autẽ Domini,& ſpiritus ſancti virtus,per quæ in ſacerdote remittendi & retinendi peccata miniſterium viget,nullis omnino vinculis alligari poteſt. DOROTHEA.

Quod elementum eſt huius ſacramenti?

THEOPHILVS.

Elementum ſeu externum & viſibile ſignum huius ſacramenti,eſt ille corporis geſtus & actus,quo ſacerdos abſoluit confitentem,ſimilitudinem habẽs cum interiori abſolutione,qua Deus animam à peccatorum nexibus exuit. Nam verba abſolutoria extrinſecus probata, Deum intus remittentem ſignificant. Quòd præterea ex more eccleſiæ manus ſacerdotis ſuper caput pœnitentis imponitur,indicat manum Dei,hoc eſt,diuinam virtutem,ſeu ſpiritus ſancti gratiam emundantem ac ſanctificantẽ,ſacramẽto adeſſe:peccatoréque ipſum,qui ab interno eccleſię cõſortio per peccatum exciderat,Deo & illi recõciliari.Impoſitio enim manus apud veteres ſignum erat recõciliationis. Vnde qui publicam pœnitentiam agebãt, non accipiebant pœnitentiæ perfectionem,niſi per manus impoſitionem epiſcopi.

Impoſitio manus quid ſignificet.

DOROTHEA.

Quot eius pœnitentiæ partes ſunt, quæ vniuerſam hominis conuerſionem amplectitur? THEOPHILVS.

Doctores eccleſiæ tũ Grecæ, tum Latinæ,ab Apoſtolorum tẽporibus in hunc vſque diem tres eſſe docuerunt,nimirum Contritionem,Confeſsionem, & Satisfactionem, aut fructum pœnitentia dignum: adeò vt eius pœnitẽtiam perfectam dicere non dubitent,cuius in corde eſt cõtritio, in ore confeſsio,in actionibus cunctis animi inſignis deiectio. Quòd autem nonnulli fidem pœnitentiæ partem adnumerant,verum quidem eſt,eam in omni ſacramento requiri,ſed non tanquam ipſius partem.Proinde radix & fundamentum veræ pœnitentiæ eſt fides,quæ omnis bonæ actionis initiũ & baſis eſt, & ſine qua nihil boni eſſe poteſt.

Omnis itaque pœnitẽtia, quæ ex fide non proficiſcitur, velut inutilis reiicienda eſt. Siquidem vbi fides deeſt, ibi nec Chriſtus adeſt. Extra Chriſtum autem remiſsionem peccatorum, quam per pœnitentiam ambimus, quærere velle, & impium & inane exiſtimandum eſt. DOROTHEA.

Tres haſce partes, niſi moleſtum eſt, paucis declara.

THEOPHILVS.

Contritio, acerbus eſt animi dolor, & vehemẽs conſcientiæ amaritudo, quæ ſe peccatis ſuis iram Dei promeruiſſe ſentit, & peccaſſe grauiter dolet, ac peccata ſua deteſtãs vitam in melius mutare ſtatuit: iam non preces ad Dominũ pro delictis ſolùm præteritis fundens, ſed & pœnam, quãcunque iuſta Domini miſericordia & miſericors iuſtitia irrogare voluerit, perferre ac pati parata. Tria enim hæc ſimul iuncta, veram contritionem conſtituunt: diſplicentia ac tædium peccati præteriti, propoſitum non iterandi, & voluntas in pœnam parata, quæ odio peccatorum ſuorum in vltionem ſui inſurgens, proclamet ad Dominum: Peccaui: quid faciam tibi? quaſi dicat, adeò me peccatorũ meorum, & te offẽdiſſe pœnitet, vt ipſemet peccatum, quod in te admiſi, velim vlciſci. Oſtẽde ergo quid à me ſupplicij exigas, quod pro offenſa mea tibi ſatis ſit. DOROTHEA. *Iob 7.*

Quid eſt priuata confeſsio, quam ſacramentalem vocant? THEOPHILVS.

Confeſsio, legitima eſt peccatorum, quorum quis ſibi conſcius eſt, quæque animum angunt & fodicant, corã paſtore, aut proprio ſacerdote, cum pudore & modeſtia enumeratio. Quia enim (vt ſuprà monui) ſacerdotis eſt, vt miniſtri Chriſti, peccata remittere & condonare: remittere autem ea non poteſt, niſi ſint ei patefacta & cognita: cognita verò ei eſſe non poſſunt, niſi eorum grauitatem cognitam habeat: idque fieri non poteſt, niſi ſingula mortalia exponat & explicet, eáque omnia quæ ea grauiora efficiant; profectò eà cognoſcat ſingula neceſſe eſt, eorúmque grauitatem, vt poſsit peccatorem abſoluere. Aliter enim cũ lepram à lepra internoſcere nõ poſſit, nec legitimam ſatisfactionem imponere poterit, nec delictorum gratiam facere. Niſi fortè in ſacerdote aut pontifice doctrina nulla maior, quàm in populo, requiritur. DOROTHEA.

At quî fieri poteſt, vt omnia quis peccata enumeret, cũ Dauid, qui ſecum probè meditatus erat peccatorum confeſsionem, exclamet: Errores quis intelliget? Ab occultis meis munda me Domine. Et alibi: Iniquitates meæ trãſierunt ſuper caput meum, & ſicut onus graue, grauatæ ſunt vltra vires meas. Nimirùm intelligebat quanta eſſet peccatorum noſtrorum abyſſus, quàm multæ ſcelerum facies, quot capita ferret, & quàm longam caudam traheret hæc hydra. Non ergo ad recenſendum catalogum ſe conferebat: ſed è profundo malorum clamabat ad Dominũ, Obrutus ſum, ſepultus ſum & ſuffocatus: inferorum portæ circundederunt me: immerſum alto puteo, deficiẽtem & moribundum manus tua extrahat. Quis ſuorum peccatorum nunc ſupputationem cogitet, vbi Dauidem videt ſuorum numerum inire non poſſe?

Pſal. 19.
Pſal. 38.

THEOPHILVS.

Aſtringitur peccator eccleſiæ pręcepto ad enumeranda tantùm letalia peccata quæ in mentem ipſi veniunt, dum per interiorem confeſsionem diligenter animi ſui complicatam notionem euoluit, & conſcientiam diſcutit ſuorum delictorum pondere preſſam atque grauatam. Cętera verò quorum memoria excidit, aut quæ non eiuſmodi ſunt vt animum vrant & crucient, generali in confeſsione includuntur, & nihilominus condonantur, quàm ſi ea cõfitendo peccator enumeraſſet. Cùm autem hîc ex abſolutione venia quæratur, nõ tantum oneris imponit confeſsio, quantum conſolationis affert abſolutio credenti. DOROTHEA.

Nullúsne præterea locus in diuinis ſcripturis occurrit, qui priuatam hanc confeſsionem fulciat & corroboret?

THEOPHILVS.

Iac. 5. Diuus Iacobus nobis hanc cõmendat, dum ait: Cõfitemini inuicem alius alij delicta, & orate pro vobis inuicem, vt ſalui ſitis. Nã cũ abſolutionis virtus & dignitas tanta ſit quantam eſſe diximus, nec eam quiſquã, niſi ea cõfeſsione, quæ corã ſacerdote fit, antegreſſa, cõſequi & obtinere poſſit nemini ambigẽdũ eſt, quin Apoſtolus hominẽ mortalem coram homine mortali, ac potiſsimùm corã ſacerdotibus de peccatis velit confiteri, qui quidem non vulgari conſolatione poſſunt animos conſcientia ſcelerum afflictos & iacentes

iacentes permulcere, & per verbum abſolutionis erigere. Neque enim illi neceſſe fuit nominatim dicere ſacerdotibus: Cõfitemini: quoniam alibi Chriſtus cõmonſtrauerat quinam ſint qui poteſtatem habeãt remittendi & retinẽdi peccata. Vt interim taceam ipſum Apoſtolum eodem penè contextu ſermonis presbyterorum meminiſſe, quos iubet accerſi, vt orent ſuper ægrotos, vngentes eos oleo in nomine Domini, non ſine promiſsione ſalutis, leuationis, & remiſsionis peccatorum. Cui ſententiæ ſtatim ſuprà dicta verba ſubuerrit in hunc modum: Confitemini ergo inuicẽ alius alij delicta. Quòd ſi diuus Iacobus præcepit, nimirùm ex Chriſti inſtitutione, vt confiteamur alius alij delicta, frater fratri, à quo tanta conſcientiæ conſolatio non ſperatur: quanto magis idem poſtulat, vt grauatam habentes peccatorum mole conſcientiam (cui priuatus, poteſtate clauium carens, mederi non poteſt) ſacerdotibus confiteantur Chriſti vice fungentibus, in quorum manus ſalutem noſtrã quodã modo videtur poſuiſſe? Neque enim τὸ [inuicem alius alij] ſacerdotes excludit. Nam qui præcipit vt alij aliorum infirmitatibus medeamur, omnino vult, vt pro ratione morbi medicus deligatur.

DOROTHEA.

Audiueram hanc eſſe Apoſtoli mentem, ſimplicem atque apertam, nempe, vt noſtras infirmitates viciſsim alter in alterius ſinum deponamus, mutuum conſilium, mutuam commiſerationem, mutuamque inter nos conſolationem accepturi. Deinde vt fraternis infirmitatibus mutuò conſcij pro illis ad Dominum oremus. Atque etiam hunc locum ab aliis ad fraternam reconciliationẽ referri: verbi gratia: Siquis proximum iniuria laceſsiuerit, Iacobum velle aiunt, vt illius animum agnito confeſſoque peccato ſibi reconciliet, veniam ſupplicibus verbis orans: qui verò læſus eſt, vt ei facilè ignoſcat, iniuriam voluntaria conterat obliuione, & cum eo redeat in gratiam. Deinde mutuis vt precibus ſe iuuent, quò ſalui fiant. De eiuſmodi confeſsione Chriſtum etiam loqui aſſeuerant, dum ait: Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid ad- *Mat. 5.*

uerſus te, relinque ibi munus tuum, & vade: prius reconciliare fratri tuo: & tunc veniens offeres munus tuũ. Hæc autem mutua inter fratres reconciliatio & condonatio (vt ex te ſuprà didici) tã eſt neceſſaria, vt ſine illa fruſtra delictorum noſtrorũ veniam à Deo ſperemus. Quid, quòd non deſunt qui aliò etiam ſuperiorem locum trahant, nimirum ad eam confeſsionem, qua quis à fratre correptus, culpam ſuam confitetur, & emendat conſilium? Atque hãc nos viciſsim alios ab aliis exigere Chriſtus (vt accepi) iubet. Si peccauerit (inquit) in te frater tuus, vade & corripe
Mat.18. eum, inter te & ipſum ſolum. Quæ niſi & ipſa remiſsionem peccatorum apud Deum impetraret, non addidiſſet Dominus: Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.

THEOPHILVS.

Non me præterit, quantoperè huius loci authoritatem pro confeſsione eccleſiaſtica, quæ fit ſacerdoti, fortiter facientem, eneruare contendant ſua interpretatione, qui veritatem ſolentes ſuo more oppugnant: vtcunque tamen hac in re tergiuerſentur, hoc nobis dare coguntur, ad confeſsionem peccatorum ſuorum, non ſoli Deo, ſed etiam homini faciendam, Chriſtianos hoc Apoſtoli præcepto aſtringi, ſi criminum ſuorum condonationem aſſequi velint. Hoc ipſo autem, quod neceſſariò fatentur, confeſsionem coram homine faciendam: illam, quæ coram ſacerdote fit, confeſsionem velut neceſſariam approbant. Si enim homini eſt cõfitendum, nõ vtique cuiuis homini, ſed ſoli ſacerdoti confeſsionem fieri debere, neceſſariò conſequitur, cùm apud ſolos ſacerdotes pœnitentiæ miniſteriũ, & abſoluendi poteſtatẽ reſidere Chriſtus voluerit, quibus ſolis dixit: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt. Cùm itaque per confeſsionem conſolatio & tranquillitas cõſcientiæ ex verbo abſolutionis quæratur, ius autem abſoluendi ſolis ſacerdotibus à Deo permiſſum ſit: vtique qui à peccatis ſolui poſtulat, ſacerdotes abſoluendi poteſtate vtentes adire debet, ne ſi alium quemlibet ſibi hominem deligere velit, cui peccata ſua aperiat, ſine ſpe remedij vulnera ſua medico imperito, ac nõ ſanaturo, in vanũ denudet. Quod nobiſcũ

illi quidem certè ingenuè faterentur, niſi inſano rixandi ſtudio laborarent, cùm aſſeuerent diuum Iacobum neminem nominatim aſsignando, in cuius ſinum nos exoneremus, liberum quidem permittere delectum, vt ei confiteamur, qui ex eccleſiæ grege maximè idoneus fuerit viſus: ſed paſtores tamen, quia præ aliis magna ex parte iudicãdi ſunt idonei, potiſsimùm eſſe nobis eligendos: quòd ipſa miniſterij vocatione nobis à Domino deſignentur, quorũ ex ore erudiamur ad ſubigenda peccata, & conſolationem percipiamus. Quid, quòd ſuadẽt, vt ſe ſiſtant paſtori oues, quoties ſacram cœnam participare volũt, hócque maximè volunt vbique obſeruari? Nam & qui habent (inquit) impeditam conſcientiam, referre inde poſſunt ſingularem fructum: & qui admonendi ſunt, monitionibus ita locum præbent. Cur ergo tam acerbè inſectantur conſtitutionem illam concilij generalis, qua ſtatuitur, vt omnes vtriuſque ſexus, ſimulatque ad diſcretionis annos peruenerint, ſaltẽ ſemel in anno, omnia ſua delicta, mortalia ſcilicet, quæ nõ quidem anxiè nimis, ſed tamen diligenter cogitanti & ſeſe excutienti in mentem veniunt, proprio ſacerdoti confiteãtur, & Euchariſtiæ ſacramentum reuerenter ſuſcipiant, ſaltem in Paſchate? Neque enim aliud ſtatuit cõcilium, quàm quod illi ipſi eccleſiæ diſciplinam exigere, & plenum eſſe pietatis perſuadent; neque aliter cogit fideles id ipſum facere, quàm vt contemnentes ab ingreſſu templi arceat, & vita functos eccleſiaſtica ſepultura prohibeat. At illi non ſolùm depellunt à ſacramentis, abſolutionis, theſauri (vt verè dicunt) nõ æſtimandi, contemptores, ſed & Chriſtiani nominis appellatione indignos cenſent. Vide ergo vtra ſit coertio aſperior, eccleſiæne, an eorum qui eccleſiam criminantur & ſugillant. Sed his omiſsis ad inſtitutum ſermonem reuertor. Nõ is profectò ſum, qui negẽ, ſuperiorẽ beati Iacobi locum, ad cõfeſsionem fraternam trahi poſſe. Quis tamen negauerit eundem de ſacramentali cõfeſsione, quæ coram ſacerdote editur, potiſsimùm intelligẽdũm? Non dubitauit vtique Beda ille venerabilis locum huius de ſacramentali & eccleſiaſtica confeſsione intelligere, dum eundem de fraterna confeſsione explicauit. Eius ipſius verba accipe. In hac ſententia (inquit) illa debet eſſe *Beda in verb. Apo. Iac.*

diſcretio, vt quotidiana leuiaque peccata, alterutrum coæqualibus confiteamur, eorumque quotidiana credamus oratione ſaluari. Porrò grauioris lepræ immundiciam iuxta legem ſacerdoti pandamus, atque ad eius arbitrium qualiter & quanto tempore iuſſerit purificari curemus. Vides vt confeſsionem vtramque coniungat? Idem paulò antè eadem pagina ita ſcribit in eandem ſententiam: Si infirmi in peccatis ſint, & hæc preſbyteris eccleſiæ cõfeſsi fuerint, ac perfecto corde ea relinquere atque emendare ſategerint, dimittentur eis. Neque enim, ſine confeſsione emendationis, peccata queunt dimitti.

DOROTHEA.

Doceréne me potes, priuatam hãc confeſsionem perpetuum totius eccleſie Chriſtianæ conſenſum habere, quo ſe aduerſus furioſos hæreticorum latratus ſuſtentet ac tueatur?

THEOPHILVS.

Epiſ. 1. ad Iacobum fratrem Domini.

Res eſt ſanè longa: ſed eam tamen, quia tibi ita placere video, quàm breuiſsimè potero, expediam. Diuus Clemens ſancti Petri ſucceſſor, idemque martyr, de hac confeſsione in hanc ſententiam concionatur. Quòd ſi fortè in cor alicuius vel liuor, vel infidelitas, vel aliquod malum ex iis quæ ſuperius memorauimus, latenter irrepſerit, non erubeſcat, qui animæ ſuæ curam gerit, confiteri hæc ei, qui præeſt, nimirùm ſacerdoti, vt ab ipſo per verbum Domini & ſalubre conſilium curetur, quò poſsit integra fide & operibus bonis pœnas æterni ignis effugere, & ad perpetuæ vitæ præmia peruenire. Apertè vides eum de occultis peccatis loqui, quæ vel ſola cogitatione perpetrantur. Ea autem debẽt ſpe impetrandæ veniæ ſacerdoti reuelari per confeſsionem, quemadmodum ipſe docet: Sequitur enim: Intrinſecus latens amaritudo peccati, abiicienda prorſus & euomenda eſt.

In epiſtola Dionyſij Areopagitæ ad Demophilum monachum, fit mentio veteris moris, quo peccatores ſolebãt ad genua ſacerdotis accidere, confiteri, & peccatorum remedia quærere. Dicit autem vir ille ſanctiſsimus, increpãs Demophilum, quòd impium ad ſacerdotis pedes procidẽtem, ac confitentem verecundè ſe ad peccatorum remedia

quærenda

quærenda veniſſe, calce reiecisſet: Non eſſe rationi conſentaneum, Dei cauſa peruertere diuinitus traditum ordinē: quibus verbis hanc confitendi rationem ex iure diuino manare iudicat. Atque vt nonnulli contendant opera Clementis apocrypha eſſe, huncq́ue Dionyſium negent eundem eſſe quem Paulus Athenis conuertit, nihil (quod ad præſentem rem attinet) refert. Neque enim poſſunt inficiari ambos illos authores, quales nunc in eccleſia extant, vetuſtiſsimos eſſe: quod ſatis eſt ad euincendem hanc cōfeſsionem eſſe longè vetuſtiſsimam. Nec interim quæcunque apocrypha ſunt, falſa ſunt. Tertullianus vicinus Apoſtolicorum tēporum exigit, vt non ſolùm facti, ſed & voluntatis delicta, quæ in latebris occuluntur, detegantur, & purgentur pœnitentia: conſuetudinéque receptum fuiſſe ætate ſua dicit, vt qui verè & ex animo ſeſe peccatorum cauſa deiicerent, veniam à Deo flagitantes, ſacerdotum genibus aduoluerentur. Origenes, qui ſecundum Apoſtolos (vt S. Hieronymus ait) magiſter & rector eccleſiarum erat, docet non eſſe cælandum intrinſecus peccatum: quòd qui illud occultat & intra ſe retinet, in periculo ſit ne phlegmate vel humore peccati ſuffocetur. Sin autem ipſe ſui accuſator fiat, & peccatum confiteatur: ſimul euomat delictum, atque omnem morbi cauſam digerat. Tantummodò (inquit) circunſpiciat diligentius, cui debeat peccatum confiteri: probet prius medicum, cui debeat lāguoris c[illegible]ſas exponere, qui ſciat cum infirmo imbecillus eſſe, flere cum flente, qui condolendi, ac compatiendi nouerit diſciplinam, vt ita demum ſiquid ille dixerit, qui ſe prius eruditum medicum oſtenderit & miſericordem, ſiquid conſilij dederit, faciat & ſequatur. Atque alibi ait peccatorem, niſi prius animæ ſuæ vitia & peccatorum ſuorum nouerit mala, ac proprij oris confeſsione prodiderit, purgari abſoluiq́ue non poſſe. S. Cyprianus modis omnibus hortatur, vt non modò manifeſta, ſed & latentia peccatorum vulnera detegamus, & occulta ſoláque cogitatione perperrata delicta confiteamur. Et vt planè videas, eum confeſsionem ſecretam, quæ fit ſacerdoti, admodum probaſſe, eamdemq́ue tum in vſu fuiſſe, ſic ait: Denique quādo & fide maiore & timore meliore ſunt,

Tert. de pœnitent.

In pſal. 37.

Lib. 3. peri archon. c. 1.

Serm. 5. de lapſis.

qui quamuis nullo ſacrificij aut libelli facinore conſtricti, quoniã tamen de hoc cogitauerunt, hoc ipſum apud ſacerdotes Dei dolenter & ſimpliciter confitentur, exomologeſin conſcientiæ faciunt, animi ſui pondus exponunt, ſalutarem medelam paruis licèt & modicis vulneribus exquirunt, ſciẽtes ſcriptum eſſe, Deus non irridetur. Idem paulò pòſt eadem fere pagina: Confiteantur ſinguli, quæſo vos fratres, delictum ſuum, dum adhuc qui deliquit in ſeculo eſt, dum admitti confeſſio eius poteſt, dum ſatisfactio & remiſsio facta per ſacerdotes apud Dominum grata eſt. Et alibi hunc rectè agere pœnitentiam ait, qui diuinis præceptis mitis, & patiens, & ſacerdotibus Dei obtemperans, obſequiis ſuis & operibus iuſtis Dominum promeretur.

Epiſt. 17. lib. 3 ad Clerum, de modo agendi pœnitentiam.

Nicephorus Carthophylax hac de re ſic ad Theodoſium monachum ſcribit: Ligandi ſoluendíque prouincia pontificibus ipſis à clementiſsimo Deo noſtro demãdata eſt. Siquidem ad Petrum ait: Quæcunque ligaueritis, ligata: & quæcunque ſolueritis, ſoluta erunt. Vnde (vt ſubiicit) olim omnes oportebat ad ipſos pontifices accedere, ſuáq; illis occulta prodere, & ſic vel reconciliationem vel repudium ferre. Ignoro autem quî factum ſit, vt hæc minus obſeruentur, quamuis exiſtimem pontifices negotij tædio, frequentiq́ue multitudinis turbulentia defatigatos id operæ ad monachos tranſmiſiſſe, ad eos ſcilicet, qui verè probati ſunt, aliisq́ue valent eſſe vtiles. Ibidem latius docet, quomodo ad confeſſionem veniendum ſit, & quid ſacerdoti agendum.

In reg. monach. c. 21.

Baſilius ille magnus, & ipſe Græcus, præclarum dat huius ſecretæ confeſſionis teſtimonium. Ait enim: Neceſſarium videtur iis, quibus diſpenſatio myſteriorum Dei commiſſa eſt, confitenda eſſe peccata. Quemadmodum olim qui pœnitentiam agebant, peccata ſua ſanctis hominibus confitebantur; iuxta illud Euangelij, Qui ad Ioannis baptiſmum veniebant, confitebantur peccata ſua. In actis itidem, Qui baptizabantur, Apoſtolis confitebantur peccata ſua. Idem alibi monet, vt parua etiam delicta per confeſsionem detegantur. Nihil oportet (inquit) tanquam paruum contemni; Nam de omni verbo otioſo,

Mat. 3. Act. 9. Eiuſdem libri cap. 18.

quod

quod locuti fuerint homines, rationem in die iudicij reddituri ſunt. Diuus Hieronymus in commentariis ſuis in Matthæum, huius confeſsionis meminit, quum epiſcopum vel presbyterum aliter ligare vel ſoluere peccatorem prohibet, niſi primùm peccatorum audierit varietates, & iam hinc ſciat quis ligandus ſit, quiſve ſoluendus. Qui locus apertè conuincit, & diui Hieronimi tempore confeſſionem ſacerdotibus cum enumeratione delictorum factam fuiſſe. Idem alibi perſpicuum eius teſtimonium tribuit: Si quem (inquit) ſerpens diabolus occultè momorderit, & nullo conſcio, eum peccati veneno infecerit, ſi tacuerit qui percuſſus eſt, & non egerit pœnitentiam, nec vulnus ſuum fratri & magiſtro valuerit confiteri, magiſter, qui habet linguam ad curandum, facilè ei prodeſſe non poterit: ſi enim erubeſcat ægrotus vulnus ſuum medico confiteri, quod ignorat medicina non curat. Nec in alia eſt diuus Auguſtinus ſententia. Scribit enim: Mortuus in corde tuo tanquàm in ſepulchro iacebas, & tanquam ſaxo malę conſuetudinis grauabaris: ſurge, & procede: crede, & confitere. Qui enim credit, ſurrexit: qui confitetur, proceſſit. Quare proceſſiſſe dicimus confitentem? quia antequam confiteretur, occultus erat: quum autem confitetur, procedit de tenebris ad lucem: & cùm confeſſus fuerit, quid dicetur miniſtris? quod dictum eſt ad funus Lazari: Soluite illum, & ſinite abire: Quomodo dictum eſt miniſtris Apoſtolis, Quæ ſolueritis in terra, ſoluta erunt & in cœlis. Idem alibi ita ſcribit: Lætentur & exultent gentes. Vnde? per ipſam confeſsionem. Quare? Quia bonus eſt cui confitentur. Ad hoc exigit confeſsionem, vt liberet humilem: ad hoc damnat non confitentem, vt puniat ſuperbum. Ergo triſtis eſto antequam confitearis: confeſſus exulta, iam ſanaberis. Non confitentis ſaniem conſcientia collegerat, apoſtema tumuerat, cruciabat te, requieſcere non ſinebat. Adhibet medicus fomenta verborum, & aliquando ſecat medicinale ferrum tribulationis. Tu agnoſce medici manum, confitere, exeat in confeſsione & defluat omnis ſanies. In libris etiam de vera & falſa pœnitentia, libro item de ſalutaribus documentis, præterea de viſione infirmorum (qui quidē libri catholici ſunt,

Cap. 16.

Hiero. in Eccleſ. c. 10.

Augu. in cap. 5. Ioan. tract. 22.

In pſal. 66.

& admodum antiqui Auguſt. aſcripti) peccatori neceſſariũ eſſe dicitur, vt quęrat ſacerdotẽ ſcientẽ ligare & ſoluere: cuius iudicio & poteſtati ſe totũ ꝑmittat, iuſsisq; pareat. Nec dico (inquit) vt ſoli Deo, ſed & ſacerdoti vicario Dei confitearis. Aperi ei penetraliũ tuorũ abditiſsima latibula, conſcientiarum verecundarum penitiora reuela repagula.

Cyrillus libro in Leuiticum ſecundo, poſtquam lex obtinendæ veniæ modos declarauit, addit: Eſt adhuc & ſeptima licèt dura & laborioſa, per pœnitentiam remiſsio peccatorum, quũ lauat peccator lachrymis ſtratum ſuũ, & fiunt ei lachrymæ ſuæ panes die ac nocte, quum non erubeſcit ſacerdoti Domini indicare peccatũ, & quęrere medicinã, hoc eſt, abſolutionẽ. In hanc ſententiã ait Ambroſius, eos Dei mandatũ abolere, ipſumq; cõtumelia afficere, qui abſoluẽdi poteſtatẽ ad ſacerdotem pertinere negãt. Sic enim loquitur: Cùm ipſe Dominus Ieſus in Euãgelio dixerit, Accipite ſpiritũ ſanctum: quorũ remiſeritis peccata, remittũtur eis: & quorũ retinueritis, retenta erũt: quis eſt qui magis Deũ honorat, vtrũ qui mandatis obtẽperat, an qui reſiſtit? Eccleſia in vtroque ſeruat obedientiã, vt & peccatũ alliget, & relaxet. Nam Dominus ei par ius & ſoluẽdi eſſe voluit, & ligandi, qui vtrunq; pari cõditione permiſit. Hæc ille. Cùm autem nemo ligare aut ſoluere poſſit quod ignorat: nónne ſanctus hic doctor per eiuſmodi verba peccati cognitionẽ requirit, quę ex confeſsione habetur? Capite verò ſeptimo pœnitẽtiæ ſacramentum æquat baptiſmi ſacramẽto. Quid (inquit) intereſt, vtrũ per pœnitẽtiã, an per lauacrũ, hoc ius remittendorũ peccatorũ omniũ ſacerdotes ſibi vendicent? Vnũ in vtroq; miniſteriũ eſt. Vt in lauacro operatur myſteriorũ gratia, ita in pœnitentia nomẽ Dei. De hoc beato viro ita ſcribit Paulinus in vita ipſius: Quoties illi aliquis ob ꝑcipiẽdã pœnitentiã lapſus ſuos cõfitebatur, ita flebat, vt & illũ flere cõpelleret. Cauſas aũt criminũ, quas illi cõfitebantur, nulli, niſi domino ſoli, apud quẽ intercedebat loq̃batur: bonũ relinquens exẽplũ poſteris ſacerdotibus, vt interceſſores apud Deũ ſint magis, quã accuſatores apud homines. Quod autẽ ille de Petri pœnitentia ſcribit his verbis: Ergo Petrus prorupit ad lachrymas, nihil voce precatus: inuenio enim quòd fleuerit, non inuenio quid dixerit. Lachrymas

Ambr. lib. 1. de pœnit. cap. 2.

Paulinus in vita Amb.

eius lego, ſatisfactionē non lego. Rectè planè Petrus fleuit & tacuit: quia quod defleri ſolet, excuſari nō ſolet: & quod defendi nō poteſt, ablui poteſt. Lauat enim lachryma delictū quod pudor eſt cōfiteri. Lachrymę ergo verecūdię conſulunt pariter & ſaluti. Hoc non eò dixit, vt confeſſionem negaret ſacerdoti faciendam, quam alibi toties inculcat: ſed veræ contritionis & ſeriarum lachrymarum vim oſtendit, quæ etiam ad maxima illa peccata diluenda valent, quæ ſine pudore dici ac proferri non poſſunt: non quòd illa confiteri non oporteat, ſed quia ſemota cordis contritione inanis ſit oris confeſſio. Beatus Ioannnes Chryſoſtomus libro tertio de ſacerdotio, vbi ſacerdotalem dignitatem præclarè extollit: Sacerdotibus (inquit) datum eſt, vt poteſtatem habeant, quam Deus optimus neque angelis neque archangelis datam eſſe voluit: pater enim omnifariam filio poteſtatem dedit, quæ à filio ſacerdotibus tradita eſt. Et infra: Inſania, inquit, manifeſtaria eſt, deſpicere tantum principatum, ſine quo neque ſalutis, neque promiſſorum bonorum compotes fieri poſſumus: hi ſunt enim, qui non tantùm regenerant nos in baptiſmo, ſed & peccata poſt baptiſmum remittunt: & veteris teſtamenti ſacerdotes longè exuperant, qui tantùm poteſtatem habebant probandi à lepra purgatos: at noſtris ſacerdotibus, non corporis lepram, verùm animæ ſordes, non modò probare, ſed & purgare prorſus eſt conceſsum. Atque alibi idem ait multa arte opus eſſe, vt qui laborant Chriſtiani, vltro ſibi ipſi perſuadeant, ſacerdotū curationibus ſeſe ſubmittere oportere: neque id ſolùm, ſed etiam vt curationis ac medicinæ nomine gratiā illis habeant. Et poſt pauca: Quocirca (inquit) multa quidem opus eſt paſtori prudētia, ſexcentis etiam (vt ſic dicam) oculis, vt rectè vndique humani animi habitū circunſpicere poſsit. DOROTHEA.

Chryſ. lib. 3. de ſacer.

Chryſoſt. lib 2. de ſacer.

Quid igitur idem ſanctus doctor ſibi vult, dum in hunc modum ſcribit? Vtiliſsimum eſt, vt agnoſcat homo delicta ſua, eademque memori mente ſemper teneat. Nullum tale inuenitur remedium, quale eſt iugis eorum memoria. Nihil hominem ad maleficiū ſegniorē reddit. Apud nos ergo fateamur nos peccaſſe, nec ſola hoc lingua pronunciet, ſed intima etiā conſcientia: nec nos peccatores modò dicamus,

Chryſoſt. in epiſt. ad Heb. hom. 31. cap. 12.

ſed ſingula etiam peccata in memoriam redigamus. Non dico tibi vt te prodas in publicum, neque te vt apud alios accuſes: ſed obedire te volo prophætæ. Reuela Domino viam tuam: apud verum iudicem cum oratione delicta tua pronuncia, non lingua, ſed conſcientiæ tuæ memoria, ac tum demum ſpera te miſericordiam poſſe conſequi. Et alibi: Peccata tua dicito, vt deleas illa. Si confunderis alicui dicere quę peccaſti, dicito quotidie ea in anima tua. Non dico vt confitearis cõſeruo tuo qui exprobret, dicito Deo qui curat ea: peccata ſuper ſtratum confitere, vt ibi ſua mala quotidie conſcientia tua recognoſcat. Sed ſi non dicas, an ea Deus ignorat? cùm admitteres, aderat: cùm perpetrares, nouerat. Nõ vult vt illa agnoſcas? peccare nullo modo te puduit: pudet igitur confiteri? in hac vita ea dicito, vt in altera quiete fruaris. Item: Nũc autem neceſſariũ eſt præſentibus teſtibus confiteri. Cogitatione tua fiat delictorum exquiſitio. Sine teſte ſit hoc iudicium: ſolus Deus te confitentem videat. Item: Non te in cõſeruorum tuorum theatrum duco, non hominibus peccata tua detegere cogo: repete coram Deo conſcientiam tuam, & explica. Oſtende Domino, præſtantiſsimo medico, tua vulnera, & pete ab eo medicamentum: oſtende ei qui nihil exprobret, ſed humaniſsimè curet. Item: Caue homini dixeris, ne tibi exprobret. Neque enim conſeruo eſt confitendum, qui in publicum proferat: ſed Domino, qui tui curam gerit, & qui humanus eſt, & medicus, oſtende vulnera. Poſt & illud addit: Non cogo te in medium prodire theatrum, ac multos adhibere teſtes: mihi ſoli dic peccatum tuum priuatim, vt ſanem vlcus.

Hom. 2. in Pſal. 50.

Serm. de pœnit. & cõfeſſ.

Hom. de incomp. Dei natura, contra Anomæos.

Hom. 4. de Lazaro.

THEOPHILVS.

An Chryſoſtomum cenſes, quum hæc & ſimilia ſcribit, negare velle, quod in tot aliis locis affirmat? aut eò temeritatis progredi, vt conſcientias hominum liberet his vinculis, quibus diuina lege conſtringuntur? Haud ita res habet: ſed eum duntaxat, qui occultè peccauit, à publica confeſsione & pœnitentia liberat, quæ ante tempora Chryſoſtomi, pro magnitudine peccati, ſacerdotis iudicio illis etiam interdum imponebatur agenda, qui ſecretius peccaſſent, & ſacerdoti ſecretò itidem fuiſſent confeſsi. Quod ex Ori-

ex Origenis verbis facilè poteſt intelligi: Si ſacerdos (inquit) intellexerit & prȩuiderit talē eſſe lāguorē tuum, qui in cōuentu totius eccleſiæ exponi debeat & curari, ex quo for taſſis & cȩteri ædificari poterūt, & tu ipſe facilè ſanari: mul ta hoc deliberatione, & ſatis periti medici illius cōſilio pro curandū eſt. Dum ergo Chryſoſtomus ait: Nō dico tibi, vt te prodas in publicum, neque vt te apud alios accuſes: Aut, Non dico tibi vt cōfitearis cōſeruo tuo, qui exprobret: Itē, Non neceſſarium eſt præſentibus teſtibus cōfiteri: Nihil aliud vult, quàm, Libero te publica illa ſatisfactione, qua etſi verbis peccata tua haud expreſsim, re tamē ipſa in publicū prodis, ac ea conſeruis tuis, qui & teſtes cōtra te eſſe, & pec cata exprobrare poſſint, cōfiteris. Quod extrema illa verba à te modò adducta, palā faciūt. Nō cogo te in mediū prodi re theatrū. Mihi ſoli dic peccatū tuū priuatim, vt ſanem vlcus. Alienum enim eſt à ratione, dicere Dominū à Chryſoſtomo loquentē in hæc verba induci. In cōfeſſione autē ſacramentali crimen non profertur in publicū, nec prȩſentibus teſtibus peruulgatur, nec exprobrationē timet: ſed ſoli ſacerdoti, qui vicariam Deo operā impendit, atque adeò magis Deo quàm ſacerdoti dicitur (cui iam interdicta eſt publicatio, interminatione depoſitionis, infamiæ, & perpetuæ peregrinationis) quòd nullum diſcrimen hîc ſit inter forum Dei, & forum ſacerdotis. *De pœnit. diſt. 6. cap. Sacerdos.*

DOROTHEA.

Chryſoſtomus ergo, tua quidem ſententia, non abiicit ſuperioribus locis confeſſionē ſacramentalem, ſed eum qui occultis ſe obſtrinxerit ſceleribus, à publica tātùm con feſſione liberat, ne quis cogatur peccatū ſuum verbo vel iu diciis publicè in vulgus prodere, vnde vel vitæ, vel famæ pe riculum ſubeundum ſit, cùm ſacerdoti (cui à Deo remitten dorum peccatorum poteſtas permiſſa eſt) ſatis ſit conſcien tiæ arcana detegere, & iuxta ipſius arbitrium, pro morbi ratione debita & apta ſuſcipere remedia. Multo minus etiam hinc metuendum, ne ſacerdos aliquid ex his enunciet quæ per confeſſionem didicerit, cùm ei canones eccleſiaſtici, hoc ſi audeat, grauiſſimam pœnam irrogent. Verùm audire me aliquando memini, priuatam hanc confeſſionem (quam auricularem vocant) à Conſtantinopolitano quo-

dam epiſcopo, Nectario nomine, viro alioqui ſanctitate & eruditione percelebri, inductam abrogatámque fuiſſe, qui eo nomine nunquam ab vlla eccleſia, catholicam ortodoxámque doctrinam amplectenti, ſit reprehenſus. Quod ſi ita eſt, quo pacto verum eſſe poſſit, eam à Domino fuiſſe inſtitutam? Neque enim vir ille ſanctus eam auſus eſſet refigere ac conuellere, ſi à iure diuino manaret. Alioqui, ſtatim hæreſeos & ſchiſmatis ab æqualibus ſuis, & aliarum ciuitatum epiſcopis poſtulatus eſſet.

THEOPHILVS.

Tripart. hi. lib. 9. c. 35. Non affirmat hiſtoria ſecretam hanc confeſsionem antiquatam eſſe: at nominatim dicit, eos, qui confiteri de peccatis refugiunt & detrectant, maiori licentia in omne ſcelus ruere, cùm minora peccata ob pudorem confeſſionis & examinantium ſubtilitatem ſoleant patrari. Hoc ſolùm dicitur, presbyterum, qui publicè pœnitentibus præfici ſolebat, amotum (eo enim tempore illi ſoli pœnitentes appellabantur, qui pœnitentiam, id eſt, ſatisfactionem *Cap. 23.* publicam agebant, vt patet ex canonibus Græcarum ſynodorum) atque adeo Conſtantinopoli ſub Nectario ſeueritatem tantùm conſuetudinis, qua receptum erat, vt etiam qui ſecretò tantùm peccaſſent, publicam agerent pœnitentiam, non autem ſecretam confeſſionem, ſecretámque pœnitentiam, abrogatam. Quòd autem tripartita hiſtoria ad hunc ſenſum debeat intelligi, & res ipſa demonſtrat, & indicat litera. Presbyter enim pœnitentibus præfectus, nobili matronæ, cùm peccata ſua fuiſſet confeſſa, præcepit vt ieiunaret, & Deo bonis operibus ſupplicaret. Quod cùm obſeruaret, crebrius in eccleſia cum diacono ſe conſuetudinem habuiſſe confeſſa eſt. Hoc vbi populus cognouiſſet, ſæuiebat in ſacerdotes, quaſi per eos eccleſia contaminata fuiſſet. Quamobrem Nectarius remouit diaconum ſceleratum, & vnumquenque iudicio conſcientiæ ſuæ reliquit. Quod non ita accipere oportet, quaſi fecerit omnibus liberum ſecretò confitendi ſi velint, aut non confitendi ſi nolint: ſed quòd publicè pœnitendi, iis qui crimen aliquod occultum confeſsi eſſent, neceſsitate remiſſa, ſingulos ad communicandum ſuæ conſcientiæ iudicio reliquerit, ſic ſcilicet, vt his, qui adhuc putarent ſibi ante communionem

nionem publica ſatisfactione opus eſſe, eadem petentibus daretur:cæteri verò ſuæ conſcientiæ relinquerētur, vt ſcilicet ad communionem & cœnam Domini admitterentur, nulla ſatisfactione publicè expleta, ſi cōtenti forent priuata confeſsione, quam coram proprio ſacerdote edidiſſent, eáque ſatisfactione, quam ſacerdos in occulto peragendam illis impoſuiſſet. Itaque ex eo tempore nulli ſacerdoti liberum integrumq́; fuit, aliquem pro occultis peccatis, quæ in confeſsione ipſi aperuiſſet, ad pœnitētiam publicè agēdam inuitum ac nolentem adigere. Atque hæc eadem conſuetudo in eccleſia etiam Romana abrogata eſt, & abolita per Leonem magnum, primum huius nominis pontificē, ante mille & ducētos annos, vt ex eius epiſtola ad vniuerſos per Campaniā, Samnium, & Picenū, epiſcopos intelligi poteſt. *Epiſt. 78.* Modis omnibus (inquit) conſtituo ſubmoneri, ne de ſingulorum peccatorum genere libellis ſcripta profeſsio publicè recitetur, cùm reatus conſciētiarum ſufficiat ſolis ſacerdotibus indicari confeſsione ſecreta. Quamuis enim plenitudo fidei videatur eſſe laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubeſcere non veretur, tamen quia nō omnium huiuſmodi ſunt peccata, vt ea quæ pœnitentiam poſcunt non timeant publicare, remoueatur tam improbabilis conſuetudo, ne multi à pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut erubeſcunt, aut metuūt inimicis ſuis facta ſua reſerare, pro quibus poſſunt legū conſtitutione percelli. Sufficit enim illa confeſsio quæ primùm Deo affertur tum etiā ſacerdoti qui pro delictis pœnitenti precator accedit. Tunc enim demum plures ad pœnitentiam poterunt prouocari, ſi populi auribus non publicetur conſcientia confitentis. *De pœnit. diſt. 1. cap. Quamuis plenitudo.*

Idem ſanctiſsimus pōtifex alibi (quemadmodum & diuus Ambroſius) pœnitentiæ & baptiſmi ſacramentum inter ſe comparat. Multiplex, inquit, miſericordia Dei ita lapſibus ſubuenit humanis, vt nō ſolū per baptiſmi gratiā, ſed etiam per pœnitentiæ medicinā ſpes vitæ reparetur æternæ, vt qui regenerationis donū violaſsēt, proprio ſe iudicio condēnātes, ad remiſsionē criminum peruenirent, ſic diuinæ bonitatis præſidiis ordinatis, vt indulgētia Dei niſi ſupplicatione ſacerdotum nequeat obtineri. Ac poſt pauca: Multùm enim vtile ac neceſſarium eſt, vt peccatorum reatus ante *Leo magnus epiſt. 69. ad Theodorum foroiuliēſem epiſc.*

vltimum diem ſacerdotali ſupplicatione ſoluatur. Quid, quòd Gregorius ille magnus ex iis Chriſti verbis, Quorum remiſeritis peccata, &c. intellexit ſacramentum iſtud, quo remittuntur & retinentur peccata, ſimilitudinem habere cum iudicio forenſi, vbi cauſę primùm cognoſcuntur, & explorantur, deinde iudicantur: inſtituitque, vt qui ſecretam confeſsionem proderet, à ſacerdotali officio deiiceretur? Ab horum autem omnium ſententia ne tranſuerſum quidem beatus Bernardus diſcedit: Miniſtros, inquit, verbi ſacerdotes cautè neceſſum eſt ad vtrunque vigilare ſollicitos, quò videlicet delinquentium cordibus tanto moderamine verbum timoris & contritionis infligant, quatenus eos nequaquam à verbo confeſsionis exterreant: ſic corda aperiant, vt ora non obſtruant: ſed nec abſoluant etiam compunctum, niſi viderint & confeſſum: quando-
Rom. 10. quidem corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſsio
Eccle. 4. fit ad ſalutem. Alioqui à mortuo, tanquam qui non eſt, perit confeſsio. Quiſquis igitur verbum in ore habet, & in corde non habet, aut doloſus eſt, aut vanus: quiſquis verò in corde & non in ore, aut ſuperbus eſt, aut timidus. Inter poſteriores patres præſtantiſsimus doctor, Hugo de
Ioan. 20. ſancto Victore, verba illa Chriſti, quæ ſuprà citauimus ex beato Ioanne, ita exponit: Chriſtus Deus & homo, homines, qui puri homines erant, poteſtatis ſuæ fecit participes, vt eius implerent officium in ſuſcipienda confeſſione pœnitentium, & poteſtatem eius exercerent, pœnitentibus & confitentibus peccata remittendo. Hos omnes viros cùm doctrina, tum vitæ ſanctimonia claros, qui conſenſus eccleſiæ totius omnium temporum teſtimonium tribuunt, quod ad confeſsionem ſacramentalem attinet, ſubſequutum eſt illud magnum generaléque concilium, in quo ſuperior illa conſtitutio [Omnis vtriuſque ſexus] promulgata eſt, Innocentio tertio, viro & pio & docto, præſidente. Quî autem veriſimile eſt, Chriſtum paſſum eſſe, tantum concilium (cui & doctiſsimi & ſanctiſsimi quique tam Græcæ quàm Latinæ eccleſiæ viri interfuerunt) ſua cauſa coactum errare, qui promiſerit, quum duo vel tres in ſuo nomine congregati fuerint, ſe in illorum medio futurum? Meritò itaque qui poſt hoc concilium aliter

ſenſerunt, in concilio Conſtantienſi damnati ſunt, cùm iſta confeſsio planè ſit iis neceſſaria, qui grauatam habent conſcientiam, quibúſque conſilio, conſolatione, & abſolutione opus eſt.

DOROTHEA.

Quæ hactenus à te ſunt expoſita de ſacramentali confeſſione, animo abunde ſatisfecerunt. Aggredere, vbi voles, ad reliqua. Quid tandem appellas ſatisfactionem?

THEOPHILVS.

Satisfactio, eſt malè antè actæ vitæ immutatio, & ex vitiis in virtutem reconciliatio, ſic, vt illatum damnum ſarciatur.

DOROTHEA.

At nónne Chriſtus pro nobis ſatisfecit? Quid ergo noua opus eſt ſatisfactione?

THEOPHILVS.

Chriſti ſatisfactione nobis peccati culpa condonatur, & æterna pœna aboletur, per veram contritionem & fidem: cuius certum eſt teſtimonium, ſacerdotis abſolutio ſacramentalis, quæ docet nos hoc beneficij ſoli Chriſto acceptum referre, qui ſemetipſum dedit pro nobis, *Tit. 2.* vt nos ab omni iniuſtitia liberaret, factus reconciliatio *1.Ioan. 2.* pro peccatis noſtris, nec pro noſtris tantùm, ſed & pro totius mundi peccatis: per quem dedit nobis victoriam, *2.Cor. 15.* vt de peccato & morte triumphemus. Iure igitur meritis noſtris gratiam tantam detrahimus: cùm nullus omnino hominum poſsit vel pro culpa vnius peccati mortalis ſatisfacere, & pœnam æternam ſuis meritis abolere. Verùm cùm poſt remiſsionem peccati (quæ ſolius Chriſti beneficio nobis contingit) adhuc quædam præteritorum peccatorum reliquiæ in anima hæreant, nec remiſſa culpa, ſtatim omnis remittatur pœna, ſed tantùm pœna æternæ mortis (quam etſi Deus in hominis iuſtificatione condonat, eius tamen loco temporariam pœnam frequenter ſubſtituit) idcirco dicimus aliam quandam eſſe ſatisfactionem quam canonicam aut caſtigatoriam appellemus licet. Ea autem in fructibus pœnitentiæ conſiſtens, maximè in ieiunio, eleemoſina, & oratione (quæ vim efficaciámq; ſuam & ipſa ex merito perpeſsionis Chriſti mutuantur) neceſſa-

ria eſt ad auertendam temporariam illam pœnam, quæ poſt culpæ remiſsionem nonnunquam (vti diximus) ſupereſt. Si ex fide igitur & charitate peragatur, ſiue à nobis ipſis ſuſcipiatur, ſiue à noſtro paſtore, vel eo alioqui, qui ſacramenta diſpenſat, iniungatur, peccatorum cauſas excindit, eorum medetur reliquiis, ac temporalem pœnam vel tollit vel mitigat, & in exemplum denique adhibetur. Quod verò ad pœnarum reſeruationem attinet, nemo eam ad plenum noſſe poteſt, niſi Chriſtus Ieſus, cui pater omne iudicium dedit. Quapropter pœnarum diſcuſsionem & exactum iudicium ſoli Deo relinquere oportet, & ab eo petere, vt obedientiã noſtram, velit per meritũ filij dilectiſſimi habere acceptam, & pœnam promeritam miſericorditer auertere. Non ergo ferendus eſſet, qui Deo terminum aut modum remiſsionis pœnæ ſtatuere vellet, perinde ac ſi oporteat Deum impleta ſatisfactione canonica, ſtatim à flagellis ſuis ceſſare.

DOROTHEA.

Iſta, ſodes, vberius mihi explanato. Vbinam ſatisfactionem hanc canonicam aut caſtigatoriam, cuius modò meminiſti, reperiſti?

THEOPHILVS.

In ſcripturis illa quidem certè fundata eſt, & animarum paſtoribus mandata, vt eam pro eo ac peccata exigunt confitentibus, ratione in conſilium adhibita, imponant. Huius rei nobis fidem faciunt illa Chriſti verba, de ligatione & ſolutione, de remiſsione & retentione peccatorum duobus in euãgelio locis, Matthæi 16. & 18. & Ioannis 20. allegata. Leo quoque magnus idem teſtatur his verbis: Mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus, hanc præpoſitionis eccleſiæ tradidit poteſtatem, vt confitentibus ſatisfactionem pœnitentiæ darent, & ſalubri ſatisfactione purgatos, ad communionem ſacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent. Huc accedit quod Auguſtinus ſatisfactionem pœnitentiæ eſſe ait, peccatorum cauſas excidere, nec eorum ſuggeſtionibus aditum indulgere. Inſuper beatus Ioannes Chryſoſtomus teſtatur poſt remiſsionem peccatorum (quę fit à Deo, quando homo corde contrito peccata ſua confitetur, præcipuè

Leo magnus ad Theod. Foroiul. ep.

Auguſt. de dogm. eccleſ. cap. 54.

In pſal. 50

verò quãdo ſacerdotali abſolutione fit de remiſſione certior) lubrica quędã manere veſtigia & lãguorẽ,quẽ ſimiliter deletũ & extinctũ oporteat.Quãuis enim Nathã Dauidi remiſſionẽ peccati à Domino nũciaſſet, nihilomi⁹ precatur Dauid in hunc modũ: Miſerere mei Deus ſecundum magnã miſericordiã tuã: & ſecũdũ multitudinẽ miſerationũ tuarũ,dele iniquitatẽ meã. Amplius laua me ab iniquitate mea, & à peccato meo mũda me. Decorem meũ priſtinum quæro, &c. Atqui talis eradicatio mali,& boni reſtitutio non obuenit ſola à peccatis ceſſatione,neque item vulgaribus bonis operibus,verũ per opera pœnitentiæ digna,ſicut apud Euangeliographum dicitur: Facite fructus dignos pœnitentia:hoc eſt,conuertimini, reſipiſcite,& facite non ſolùm bona opera,quæ alioqui vos facere conuenit,ſed talia quę moliri eos oportet,quos verè & ex animo ſcelerum pœnitet:eam vitam agite,quæ in vniuerſis actionibus veram ad Deum conuerſionem,& bonã cõſilij atque mentis mutationem teſtetur ac præ ſe ferat. Quòd autem ita accipi debeat hic locus, ex verbis Apoſtoli Regem Agrippam alloquentis intelligi poteſt. His (inquit) qui Damaſci ſunt primũ & Hieroſolymis,& per omnẽ regionem Iudęæ,deinde & gentibus annunciabam,vt pœnitẽtiã agerent,& conuerterentur ad Deũ, opera facientes digna his qui reſipuiſſent,quæque pœnitentiam decerent.

Pſal. 51. *Luc. 3.* *Act. 26.*

DOROTHEA.

Qualia debent eſſe ſatisfactionis opera?

THEOPHILVS.

Opera ſatisfactoria ex illis virtutũ generibus ſumi debẽt, quæ peccatis aduerſãtur,quibus animũ quis polluit ac cõtaminauit,quemadmodum diuus Paulus præcipit. Sicut præbuiſtis (inquit) membra veſtra ſerua immunditiæ & iniquitati,ad aliam atque aliam iniquitatẽ:ſic & nunc præbete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ, ad ſanctificationem. Vnde in hũc modum Chryſoſtomus ſcribit:Pœnitentiam dico,nõ ſolùm vt à malis prioribus deſiſtamus: verũetiam vt bonorũ operũ fructibus impleamur. Facite,inquit,fruct⁹ dignos pœnitẽtia. Quo autẽ modo fructificare poterim⁹, ſi vtique peccatis aduerſa faciamus? Aliena rapuiſti: incipe iam donare propria.Longo es tẽpore ſcortatus,à legitimo

Rom. 6. *In cap. Math. 3. hom. 10.*

quoque vſu iam ſuſpendere coniugij, ac perpetuã cõtinẽtiam ſæpius paucorum dierũ caſtitate meditare. Iniuriam vel opere cuiquam vel ſermone feciſti:refer benedictionis verba conuiciis, & percutiẽtes te nunc officiis, nunc etiam beneficiis placare contende. Neque enim vulnerato ſufficit ad ſalutem,tantũ modò ſpicula de corpore euellere,ſed etiam remedia cõuenit adhibere vulneribus. Delitiis & temulentia diffluebas,ieiunio & aquæ potu vtrũque cõpẽſa. Vidiſti impudicis alienũ decorẽ oculis:fœminam iam omnino non videas,maiore tactus cautione poſt vulnera. Declina à malo & fac bonum. Hactenus Chryſoſtomus,cui aſtipulantur S.Leo in ſermone de Quadrageſima,& beatus Bernardus in ſermone de cœna Domini. Lauari (inquit) citò quidem poſſumus, ad ſanãdũ verò opus eſt curatione multa.

DOROTHEA.

Dixiſti ſatisfactionem iſtam ad auertendam pœnam tẽporariam eſſe neceſſariam. Quid? Nõne pœna peccatis debita ſemper vnà cum delictis condonatur? Neque enim videtur Deus dimidiatam veniam dare: aut totum, aut nihil remittit.

THEOPHILVS.

Vt abolito per baptiſmum originali peccato, ſuperſunt eius peccati pœnæ (quæ ſunt omnia corporis incõmoda, atque adeò mors ipſa corporalis) ac quandiu hîc viuimus, nos affligũt infeſtãtque:ita actualis peccati culpa per gratiam deleta, nõ ſemper aboletur temporaria omnis pœna. Ac primę quidem tranſgreſsionis culpã Protoplaſtę,ipſius pœnitentia motus Dominus, remiſerat, à qua haud dubiè nos in baptiſmo abluti ſumus:attamen peccatũ illud Deus in primis parentibus multiplici afflictione puniuit, & idem hodiè in nobis,tot morbis,tot vitæ huius incommodis,& hac temporali morte vindicat,vt iuſtum ſe,vti & miſericordẽ,præbeat. Nónne igitur ſtultiſsimus fuerit,ſi quis aſſeuerare audeat, iuſtitiam Dei hîc nullo modo ſeſe exercere? Neque enim veri ſimile eſt nos,impetrata gratia,adhuc perpeti miſerias, quæ in peccati pœnam parẽti noſtro indictæ fuerunt, eò tantùm, vt admoneamur quantopere Deo ſuæ legis tranſgreſsio diſpliceat:haud tamen inficiari velim,quin hac ipſa Dei ſeueritate fiat,vt miſerę noſtrę ſortis conſcientia deiecti,ad veram beatitudinem ardẽtius aſpiremus,

pirem*, præceptis eius ſedulò parẽtes. Sed nec quiſquã propterea mihi perſuaſerit, in vniuerſali generis hominũ maledictione, Dei iuſtitiã ſingulariter non elucere. Certè Dauid locupletiſſim* eſt teſtis, omnino diſcerni debere remiſſionẽ culpæ à remiſsione tẽporaliũ pœnarũ, quòd ipſe etiã exẽplo ſit, reſtare eas pœnas poſt remiſſam culpã. Cũ enim ſtuprũ Betſabeæ, marito eius crudeliter interẽpto, intuliſſet, pœnitudine ductus dixit ad Nathan: Peccaui Domino. Cui Nathan: Dominus quoque trãſtulit peccatũ tuũ: Non morieris. Veruntamen filius, qui natus eſt tibi, morte multabitur: nec recedet gladius de domo tua vſque in ſempiternũ. Haud falſa loquutus eſt Propheta Domini: impleuit enim Deus verbũ ſuũ, & grauiſſimis quibuſque calamitatibus Dauid cõflictatus eſt, remiſſa etiam ſcelerũ culpa. Iuxta verbum Domini mortuus eſt infans: ad quã moleſtiã acceſsit & ſæuiſsima Abſalonis perſecutio, vt qui Vriam Ethæũ gladio hoſtiũ iniuſtè trucidauerat, gladiũ filij ſui iuſtè fugeret. An non hîc docemur, hominẽ, cui per pœnitentiã peccata à Deo condonata ſunt, obnoxiũ manere pœnis temporalibus? Qua igitur frõte nõnulli dicũt hãc Domini animaduerſionẽ in Dauidẽ, non aliò ſpectare, quã vt documẽto ſit, grauiter Deo diſplicere homicidiũ & adulterium? Nõnne perſpicuũ eſt has Deũ ab illo pœnas exegiſſe, vt iuſtitiã ſuã prodat, quę eò minimè aboletur, quòd miſericors ei gratiã ſcelerũ faciat, & æternã pœnã relaxet? Verũ quidẽ eſt hac ſupplicij grauitate Dauidẽ erudiri: ne quid eiuſmodi facinoris in poſterũ audeat, & ſanctioris vitæ ſubiectis ipſe ſit exẽplo. Sed quis neget tẽporalẽ illã pœnã, quæ ipſi inflicta eſt, iuſtitiã Dei etiã nobis patefacere? Hoc profectò ſatis ſuperque teſtatur Maria Moſis ſoror, quæ poſt remiſſam obtrectationis culpã, lepra percuſſa eſt: nec, etiã ſi pro ipſa Moſes Dominũ deprecaretur, ſanitati illico reſtituta eſt, aut mundata: ſed ſeptẽ dies extra caſtra cõcluſa, pœnas pẽdere Domini voce iubetur. Similiter Moſi ipſi & Aaron ignouerat Deus, cùm ei nõ habuiſſent fidẽ pollicẽti aquam è petra: ſed iis tamẽ hãc irrogauit pœnã, vt neuter introduceret Iſraelitarũ cœtũ in terrã, quam ſe his daturũ promiſerat. Dominus etiã filiis Iſrael iratus, Moſe precãte, cõdonauit culpam, pœnam exacturũ ſe dicẽs his verbis: Ignoui

2. Reg. 12.

Num ca. 12.

Num. 20.

Num. 14.

eis iuxta verbum tuum: attamen omnes iſti homines, qui viderunt maieſtatem meam, & ſigna quæ feci in Aegypto & in ſolitudine, & tentauerunt me, non videbunt terram, pro qua iuraui patribus eorum. Quid, quòd & Dauid ipſe, 2. *Reg.* 24. cùm populum recenſuiſſet, & agnito peccato eius veniam impetraſſet, pœnas ſtatim luit contumaciæ, nec piaculum illud niſi grauiſſimo peſtis incendio deletum eſt? Ideóne hoc factum dicemus, quia tum ad publicum omnium ſeculorum exēplum, tum ad Dauidis quoque deiectionem pertinebat, tale Dauidis facinus non manere impunitum, excludentes interim Dei iuſtitiam? Cur igitur propheta Gad Dauidi præcepit, vt excitata ara, Domino ſacrificaret ad eū placandum? Nónne oblatis holocauſtis & pacificis hoſtiis, reconciliatus eſt Deus, & cohibita peſtis quæ in Iſraelem graſſabatur, qua quidem iam ſeptuaginta virorum millia interierāt? In ea certè ipſa clade, ſeſe diuina iuſtitia prodit manifeſtiſsimè. Quòminus ſunt audiendi, qui contrà ſentiunt. Iam ergo ſatis ex iis conſtat, vt & ex triceſimo ſecūdo Exodi capite, Deum peccata, quorum culpam remittit ex gratia, pro iuſtitia ſua non inulta deſerere. Has autem pœnas quadam pœnitētiæ noſtræ ſatisfactione tolli prorſus, aut ſaltem mitigari diuus Paulus teſtatur, dum ait: Si 1. *Cor.* 11. nos ipſos diiudicaſſemus, haudquaquā iudicati fuiſſemus. Nam hîc à Domino iudicari, ſignificat caſtigari pro peccato & puniri: id quod planè indicant verba quæ ſequuntur: At cùm iudicamur, à Domino corripimur, ne cum mundo condemnemur. Eſt ergo hic germanus huius loci ſenſus: Si peccata noſtra cognoſceremus, ſi verè & ex animo cōdemnaremus nos ipſos, atque adeò ſupplicium de nobis ſumeremus, liberaremur vtique, & ab huius & futuri ſeculi ſuppliciis. Cùm autē manu cœleſtis patris affligimur, nō hæc pœna eſt, qua confundamur: ſed caſtigatio, qua erudiamur. 2. *Paral.* 7. Scriptum eſt etiam alibi in hanc ſentētiam: Si clauſero cœlum, & pluuia non fluxerit, & mandauero præceperoque locuſtæ, vt deuoret terram, & miſero peſtilentiam in populum meum: conuerſus autem populus meus, ſuper quos inuocatum eſt nomen meum, deprecatus me fuerit, & quæſierit faciem meam, & egerit pœnitentiam à viis ſuis peſſimis, ego exaudiam de cœlo, & propitius ero peccatis eo-

rum,& ſanabo terram eorũ. Et alio quodam in loco: Conuertimini ad me in toto corde veſtro, in ieiunio, & in fletu & in planctu. Scindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra, & cõuertimini ad Dominum Deum veſtrum, quia benignus & miſericors eſt, patiens & multæ miſericordiæ, & qui pœnitentia ducitur ſuper malo: hoc eſt, qui facilè mutat ſententiam & decretum quo immiſſurus erat afflictionem, ſi quãdo ex animo reſipiſcamus. Rurſum, Eleemoſyna ab omni peccato & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Hanc ob cauſam Daniel ſua exhortatione Nabuchodonoſori ſuadebat, vt peccata ſua iuſtitia redimeret, & iniquitates ſuas miſeratione pauperum. perinde enim hec eius verba ſonãt, ac ſi dixiſſet: Exercuiſti ô rex, iniuſtam & violẽtam dominationem, oppreſsiſti humiles, ſpoliaſti pauperes, durè & iniquè tractaſti populum tuum, non interim mente agitans, Deum habere iuſtum & vindicem oculum: pro iniuſtis exactionibus, pro violẽtia & oppreſsione nunc refer miſericordiã & iuſtitiã: ſtude bene mereri de omnibus, ne auertas faciẽ tuã ab vllo paupere, de facultatibus tuis exerce beneficentiam: integritati vitæ ſedulus incumbe, nec itineribus iniuſtitiæ inceſſeris: ita enim fiet, vt pœnam peccatis tuis debitam euadas, malũque quod tibi impendet auertas. Vnde beatus Petrus miſericordia & benignitate docet expiari peccatum, ſignificãs iram Domini reſidere, ac quieſcere eius iudicium, vbi, vitiis ac nequitiis prioribus valere iuſsis, mutuam beneficentiam & vitæ puritatem exercemus. Tum enim Deus placatus, pœnas, quas alioqui erat expetiturus, propicius remittit, charitate ſic peccata operiente, vt nuſquam appareant. Quò etiam pertinet quod apud Lucam Chriſtus ipſe monet. Date (inquit) eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt vobis. Non ait: Remittentur vobis peccata: ſed, Omnino mundi eritis, hoc eſt, ab omni pœna liberi. Alibi autem & ſic loquitur ſcriptura: Fili, peccaſti? Ne eò rurſum adiicias animum, ſed de priſtinis precare vt tibi condonentur. An potuiſſet clarius oſtẽdere, poſt remiſſam culpam, pœnæ debitum reſtare, pia & digna ſatisfactione diluẽdũ? Vnde & alio in loco ſic nos monet: De cõdonato peccato noli eſſe ſine metu, neque ſcelus ſcelere cumules.

Ioel. 2. *Tob. 4.* *Daniel. 4.* *1. Petr. 4.* *Luc. 11. ca.* *Eccleſi. 21.*

Et, Ne dicas: Miſeratio Domini magna eſt, multitudinis peccatorum meorum miſerebitur. Miſericordia enim & ira illi citò proximant, & in peccatores reſpicit ira illius. Quid, obſecro, hîc aliud innuit ſapiens, quàm vt pro remiſsis etiam peccatis ſolliciti, ſpōtanea caſtigatione diuinam vltionem præuertamus? Deus enim (vt Auguſtinus docet) ſic dat miſericordiam, vt veritatem ſeruet, vt non ſinat peccata eius impunita, cui ignoſcit: ignoſcit autem ſe ipſum punienti. Miſericordia ergo Dei eſt, cùm hominem liberat à peccati reatu, æternam mortem remittēs ex gratia. Iuſtitia autem & veritas eſt, cùm peccatum temporali afflictione punitur, ſiue homo eam ſua ſpōte ſubierit, ſiue nimium ſibi indulgēdo Deum in vltionem prouocauerit, vt iudicet & corripiat eum, qui ſeipſum iudicare noluerit. Quapropter ſancti patres frequenter hoc modo loquuntur, peccata, & pœnas peccatis ipſis debitas compenſari, purificari, operiri, & reconciliari operibus ſatisfactionis: non quidem, quòd ſua dignitate remiſsionem peccatorum mereantur, ſed ideò quia Deo placent, vt quæ fiant ab illis, quos Deus in gratiam propter contritionem de peccatis recepit, mouente & adiuuāte eos ad talia opera efficienda ſpiritu ſancto: & hoc merito Chriſti, à quo iſtiuſmodi opera omnia meritum ſuum mutuātur. Vide Chryſoſtomū in Matthæum, Hieronymum in Malachiam, Ambroſium libri ſecundi de pœnitentia capi. 5. Cyprianū libri 3. epiſtola 14. & libri primi epiſtola 3. Satiſfactionibus (inquit) & lamentationibus iuſtis delicta redimere oportet, & vulnera lachrymis abluere. Sic Ambroſius: Qui agit pœnitentiā, non ſolùm diluere lachrymis debet peccatum ſuum: ſed etiam emendatioribus factis operire & tegere facta ſuperiora debet, vt ei non imputentur. Diuus quoque Auguſtinus, Non ſolùm (inquit) vita eſt in melius mutanda: ſed & per eleemoſynas de præteritis peccatis propiciandus eſt Deus. Nemini enim dedit laxamentum peccandi, quamuis miſerando deleat facta peccata, ſi non ſatiſfactio congrua negligatur. Atque alibi: Non ſufficit (ait) mores in melius mutare, & à factis malis recedere, niſi etiam de iis quæ facta ſunt ſatiſfiat Deo per humilitatis gemitum, per cōtriti cordis ſacrificium, cooperātibus eleemoſynis. Sic Niniuitæ,

Super pſal. 50.

In enchir. cap. 70.

De pœnit. cap. 5.

vitæ, cùm Iona denunciáte futurum ciuitatis ſuæ excidiũ *Ion.3.*
cognouiſſent, iuſtam Dei iram ſuſcepta ſatiſfactione placare decreuerunt: ieiunantes, & in ſaccis & cineribus volutati, clamauerunt ad Dominum. Vis ſcire, quid hoc ipſis profuerit? Vidit Deus opera eorum, nempe quòd à vitiis ſuis malis auerſi eſſent, & Deus quoque pœnitentia ductus eſt ſuper malo quod illis inferre decreuerat, & nõ intulit. Achab quoque poſt comminationem Domini operuit cilicio carnem ſuam, ieiunauitque, & dormiuit in ſacco, & ambulauit demiſſo capite. Et dixit Dominus ad Heliam: Nónne vidiſti Achab humiliatum coram me? Quia ergo deiecit ſeſe coram me, non inducam afflictionem illam in diebus eius. Sed & perpetua Iſraelitici populi diſciplina fuit, vt quoties peccatis eorum irritatus Dominus pœnam illis infligeret, ſpontanea deiectione Domino ſatiſfacerẽt, & ciliciis induti, ac cõſperſi cinere, ieiuniis & fletibus ſeſe affligentes, & orationem fundentes ad Dominum, imminentes pœnas à ſe amolirentur, eiſdem planè operibus, & pari pœnitẽtiæ diſciplina, qualem perpetuo tenore & vnanimi conſenſu ſancti patres in eccleſia Chriſti ſub ſatiſfactionis nomine hucuſque tradiderunt, nimirùm oratione, ieiunio, & eleemoſyna. Et rectè quidem: Nam cùm omne quod in mundo eſt, aut concupiſcentia carnis, aut oculorum ſit, aut ſuperbia vitæ: quis non videt concupiſcentiæ carnis, nulla re melius quàm ieiunio: concupiſcentiæ oculorum (quæ auaritia eſt) quàm eleemoſina: & faſtui vitæ, quàm humili & pia oratione mederi? Adde quòd omnis ferè peccator, & in Deum, & in proximum, & in ſeipſum peccet. Oratione itaque, quod in Deum commiſſum eſt: eleemoſyna, quod in proximum: ieiunio, quod in ſeipſum quis peccauit, quodam modo expiatur. Quòd autem ſatiſfactio iſta pro peccatis publicis imponi debeat ad ſatiſfaciendũ eccleſiæ læſæ, & ad exemplum aliis præbendũ, intelligi nullo negotio poteſt ex verbis Apoſtoli. Ait enim: Peccantes coram omnibus argue, vt & cæteri timorem habeãt. Idem docet Auguſtinus in enchiridio: Fiat, inquit, etiam eccleſiæ ſatis, in qua remittuntur peccata.

3.Reg. cap. 21.

1.Tim.5.

DOROTHEA.

Ex his quæ adhuc dicta ſunt, intelligo quanta ſit cano-

niç ſatiſfactionis vtilitas, etiam poſt culpæ & æternæ pœnæ condonationem: vt ſcilicet propria caſtigatione imminentes peccatorum pœnas auertamus, vtque reliquias peccati, quæ in nobis ſuperſunt, ſanctioris vitæ remedio eluamus, noua viuendi ratione cauẽtes ne in priſtinas ſordes reuoluamur. Deinde vt externã ſatiſfactionem ſponte noſtra ſubeuntes, veram cordis noſtri contritionem, & ſeriam de peccatis perpetratis triſtitiam oſtendamus. Poſtremo, vt eccleſiam, quam offendimus, nobis reconciliemus: & cæteri, qui vident noſtram caſtigationem, pœna aliena facti cautiores, à flagitiis deterreãtur, & alienæ emendationis exemplo ipſi quoque corrigantur.

THEOPHILVS.

Rem acu (vt aiunt) tetigiſti. Itaque cùm ſic de ſatiſfactione ſentiat eccleſia catholica, nequaquam merito perpeſsionis Chriſti quicquam detrahit, cui ſoli remiſsionem criminum noſtrorum, & æternæ mortis abolitionem fert accepta: atque vnicam Chriſti mortem ad delenda omnia peccata, præterita, præſentia, & futura credit ſufficere, aſſeuerans Chriſtum eſſe agnum Dei qui tollit peccata mundi: Chriſtum eſſe propiciationem pro peccatis noſtris: nec ſolùm noſtris; ſed pro totius mundi. Noſtræ autem pœnitẽtiæ ſatiſfactio in hoc adhibetur, vt benignus & iuſtus Dominus, videns nos ſummiſſos, & delicta noſtra contra nos ipſos vindicantes, miſereatur ipſe, & abſiſtat vltione. Nec nos pœnitentiæ noſtræ operibus ex ſui dignitate quicquã tribuimus, ſed ex merito Chriſti, & liberali gratuitaque Dei acceptione (qui idem operatur in nobis opera noſtra bona per gratiam ſuam, & eadem præmio per miſericordiam remunerat) credimus pœnitentiam & ſatiſfactionem noſtram ad remiſsionem peccatorũ nobis prodeſſe: quòd Deus non aliter, quàm per pœnitentiam, remiſsionis peccatorum beneficium, his qui deliquerunt, impertire velit, quemadmodũ ſcriptura teſtatur. Itaque mors Chriſti pro peccatis omnium ſatiſfecit. Nos autem per fidem & ſacramenta eccleſiæ, & potiſsimùm per pœnitentiæ remedium, ſatiſfactionem Chriſti apprehendimus, & nobis applicamus, omnium operum noſtrorum & ſatiſfactionis fundamentum ponentes Chriſti merita, ſine quibus inanis eſſet

Ezech. 18. 33.
Ioel. 2.
Luc. 3. 13. 24.

omnis

omnis noſtra ſatiſfactio, inane omne opus noſtrum. Non igitur mortem Chriſti deformat aut exinanit, non detrahit ſpoliatque eius dignitatem pœnitentis hominis canonica ſatiſfactio. Nec magis abſurdam rem facit, qui poſt Chriſti ſatiſfactionem, adhuc ipſe pro peccatis ſuis matri eccleſiæ dicto audiens, piis operibus, aut aliqua corporis ſui afflictione ſatiſfacit, quàm is, qui poſt crucem Chriſti & perpeſsionem, adhuc crucem ſuam geſtat, & in variis ærumnis & calamitatibus Chriſto compatitur: aut qui poſt mortem Chriſti, ipſe quoque voluntatibus obſcœnis & peccatorum illecebris moritur. Imo verò iis ſolis Chriſti perpeſsio proderit, qui exemplo Chriſti in mundo patiuntur: & eos ſolos liberabit mors Chriſti, qui Chriſto commoriuntur. Sic Chriſti ſatiſfactio, pro omnium peccatis impenſa, illis ſolis applicabitur, qui in vera fide pœnitentiæ remedium apprehendentes, ad placandam Domini iram, ipſi ſceleribus ſuis pœnam vltrò irrogant. *1. Petr. 2.* *Rom. 8.*

DOROTHEA.

Iam intelligo pœnitentiæ partes, prout totam hominis conuerſionem complectitur. Nunc audire velim, priuſquam ad vim & efficientiam huius ſacramenti venias, non nihil de excommunicatione. Quocirca dic, niſi moleſtum eſt, quo loco numeroque ea ſit habenda. *De excommunicatione.*

THEOPHILVS.

Excommunicatio neruus eſt eccleſiaſticæ diſciplinæ, & à iuriſdictionis claue dependet.

DOROTHEA.

Quo tandem pacto ad eam progrediendum eſt?

THEOPHILVS.

Duas ſcriptura formas tradit, quibus ad eam in eccleſia proceditur. Prior forma eſt, per viam (vt aiunt) denunciationis Euangelicæ, de qua præcepit apud Mattheum Chriſtus. Atque hæc forma locum habet, vbi quiſpiam, in externa cùm ſit Chriſtianorũ communitate, fratrem ſuum verbis aut factis læſerit. Hîc enim iniuria affecto dicit Chriſtus: Si peccauerit in te frater tuus, vade, argue eum inter te & ipſum ſolum: ſi te audierit, lucratus eris fratrem tuum: ſin autem te nõ audierit, adhibe tecũ adhuc vnũ, vel *Mat. 18.* *Via denunciationis.*

duos, vt in ore duorum aut trium teſtium ſtet omne verbum. Quòd ſi non audierit eos, dic eccleſiæ. Sin autem eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus. Amen dico vobis: Quæcunque alligaueritis ſuper teram, erunt ligata & in cœlis: & quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis. Cæterùm non loquitur Dominus (ſi beato Chryſoſtomo credimus) de criminibus publicis aut palàm manifeſtis, ſed de priuatis iniuriis ab vno alteri priuatim illatis. Quapropter Dominus ibidem mandat, vt iniuriam paſſus, in hoc genere primùm ſolus cum à quo ſit offenſus conueniat. Quòd ſi apud eum non profecerit, de integro ipſum compellet, teſtibus adhibitis, non pluribus tamen, vno, aut altero: idque ideo, quòd non debeamus fratrum noſtrorum peccata ad communitatem deferre aut publicare, niſi primò & ſecũdò admoniti fuerint. Verba autem quæ ſequũtur [Dic eccleſiæ] exponit idẽ Chryſoſtomus, id eſt, eccleſiæ præpoſitis, epiſcopis ſcilicet ac præſidentibus, non autem ei ſeniorum conſeſſui, quem neochriſtiani noſtri, in oppidis iam & municipiis Galliæ conſtituunt, à catholica deficientes eccleſia. Horum autem, id eſt, epiſcoporum & paſtorum eccleſiæ, ne quis iudicium ſpernat, aut parui æſtimet, teſtatur Dominus illud ipſum nihil aliud eſſe, quàm ſentẽtiæ ſuæ promulgationẽ: ratumq́ue haberi in cœlis, quod illi in terra egerint. Habent enim verbum Domini, quo peruerſos damnent: habent verbum, quo reſipiſcentes in gratiam recipiant.

In Matth. 18. cap.

Altera forma eſt inquiſitionis ordinariæ. Oportet enim (vt exigit ſcriptura) eccleſiæ præfectos, quorum hoc officium eſt, excommunicationem exercere contra publica crimina, & peccata, quæ non in proximum modò, verùm etiam in Deum, & in ſeipſos quoque mali homines committunt. De huiuſmodi excommunicationis vſu loquitur Apoſtolus, vbi publicum ſcortatorem apud Corinthios excommunicat nõ (ſecundum regulam illam Euangelicam) poſt fraternam correptionem ſecretò bis factam, ſed fama publica accepta. Ita enim ait Apoſtolus: Omnino auditur inter vos ſtuprum, & huiuſmodi ſtuprum, quod nec inter gentes nominatur, vt vxorem patris ſui quidam habeat: & vos inflati eſtis, ac nõ poti⁹ luxiſtis, vt tolleretur de medio veſtrûm,

Via inquiſitionis.

1. Cor. 5.

Mat. 18.

veſtrûm, qui facinus hoc perpetraſſet. Ego quidem abſens corpore, præſens autem ſpiritu, iam decreui tanquam præſens, vt is, qui ſic hoc patrauit, in nomine domini noſtri Ieſu Chriſti congregatis vobis & meo ſpiritu, vnà cum poteſtate domini noſtri Ieſu chriſti tradatur Satanæ, ad interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus ſit in die domini noſtri Ieſu Chriſti. Item, Neſcitis quia modicum fermentum totam maſſam corrumpit? Expurgate vetus fermẽtum, &c. Item, Scripſi vobis per epiſtolã: Ne commiſceamini cum ſcortatoribus, ac non omnino cum ſcortatoribus mundi huius, aut cum auaris, aut cum rapacibus, aut ſimulacrorum cultoribus. Alioqui, vtinam videlicet è mundo exiſſetis. Nunc autem ſcripſi vobis, ne commiſceamini. Si quis, cùm frater appelletur, fuerit ſcortator, aut auarus, aut ſimulacrorum cultor, aut cõuiciator, aut ebrioſus, aut rapax: cũ eiuſmodi ne cibum quidem capiatis. Auferte malum ex vobis ipſis. Id quod diuus Auguſtinus in hunc modum declarat. Conſtat Apoſtolum (inquit) eum intellexiſſe, qui graue adeo ſcelus admiſit, vt dignus ſit qui à conſortio fidelium & cõmunione abiiciatur. Nunc enim id præſtat in eccleſia excommunicatio, quod in veteri teſtamento agebat occiſio. *Lib. quæſt. veter. teſt. ſuper Deut. cap. 39.*

Huic non eſt diſsimilis excommunicãdi formula, quæ legitur apud diuum Paulum: Denũciamus vobis, fratres, in nomine domini noſtri Ieſu Chriſti, vt ſubtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non ſecundum traditionem quam acceperunt à nobis, &c. Sequitur: Si quis non obedit verbo noſtro, per epiſtolam, hunc notate, & ne commiſceamini cum illo vt confundatur: neque habeatis eum vt inimicum, ſed admonete vt fratrem. Quò & illud reſpicit: Si quis venit ad vos, & hãc doctrinam non adfert, nolite recipere eum in domum, nec Aue ei dixeritis. Qui enim dicit ei Aue, communicat operibus eius malignis. Quibus ſacræ ſcripturæ verbis patres inducti, authoritatẽ excõmunicationis ferendæ, aſcripſerunt epiſcopis. Atque hinc canones excommunicationem appellant mucronem epiſcopi. Et Auguſtinus damnationem vocat epiſcopalis iudicij: qua pœna in eccleſia nulla maior eſt. *2. Theſſ. 3. 2. Ioan. 1. Can. Viſis. 16. quæſt. 1. Can. Corripiantur. 24 quæſt. 3.*

DOROTHEA.

Audiui in more quondam poſitum, inſtitutoque maio-

rum fuiſſe, vt vbi ſententia excommunicationis ferenda eſſet, reliqua communitas conuocaretur.

THEOPHILVS.

Verum id quidem eſt:ſed non cogebatur tamen, vt iudicis vicem ſuppleret, at quò ſententiæ illi aſſentiretur:aut certè ne quem lateret, quod eccleſiæ nomine gerebatur.

DOROTHEA.

Quónam in loco debet epiſcopus, aut qui eius vicefungitur, excommunicationis ſententiam pronunciare?

THEOPHILVS.

Olim non ſemper ferebatur, vbi tranſgreſſor habitaret, ſed vbi cathedram ſuam haberet epiſcopus : quemadmodum & Paulus abſens Corinthium illum excõmunicauit.

DOROTHEA.

An excommunicatus, tantùm excluditur à cõmunione ſacramenti euchariſtiæ, & baptiſmi, vt à ſacra cœna, & participatione corporis & ſanguinis dominici ſummoueatur, nec ei adeſſe liceat vbi quis baptizatur:poſsit autem in negotiis ciuilibus cum veris eccleſiæ membris contrahere?

THEOPHILVS.

Ex iiſdem illis ſacræ ſcripturæ verbis patres conſtituerũnt, nequid omnino commercij, ſiue in ſpiritualibus ſiue in ſecularibus negotiis, aut etiam in communione ſacramentorum, aut in cibo, potu, ſalutatione, allocutione, emptione venditione, aut alio quouis contractu, cum excommunicatis haberetur. Quin etiam vt præſides & magiſtratus, excommunicatum à ciuili ſocietate exigerent, & ne in temporali quidem regimine ſecum habere cõmunionem permitterent: cum ſanctus Paulus in his omnibus (vt beatus Chryſoſtomus in epiſtolam ad Hebræos teſtatur) hoc diſcremẽ faciat inter ethnicos in grauibus criminibus deprehenſos, & fratres chriſtianos, qui pro ſimilibus flagitiis excommunicãtur, vt de his dicat: Ne commiſceamini cum illis, cauſam ſubiiciens, vt cõfundantur & erubeſcant (Cui beatus Ioannes aliam hanc cauſam annectit: Ne qui eiuſmodi excõmunicatos ſalutauerit tacitè cõmunicet operibus eorũ malignis, & ſe talium peccatorũ faciat participẽ) de illis verò nihil tale conſtituat. Quamobrem S. Clemens teſtatur beatum Petrum Apoſtolum præcepiſſe, vitandam eſſe

Cap. 11.
Hom. 26.
2. epiſt. c. 1.
Epiſt. 1.

eſſe omnem eius cõmunionem, quem epiſcopus ob malefacta damnaſſet, ſed nec loquendum cũ eo, vt tanto diligẽtius procuret & epiſcopo recõciliari, reuei taturq; ad ſalutẽ & ſanitatem, vbi cœperit eorum mandatis obedire qui eccleſiæ ſunt præfecti. Simile eſt quod Fabianus mandat, ne quis cũ excõmunicato vel domi loquatur: quomodo Apoſtoli ipſi (vt idem ait) ſtatuerunt. Idem vetatur in concilio Toletano primo, ac ſancitur, vt ſiquis cum excõmunicato palàm aut occultè loquutus fuerit, ſtatim cõmunem cum eo contrahat excõmunicationis pœnam. Tantùm hac lege ſoluuntur qui peregrè proficiſcuntur & in remp. fortè inciduot, ſeu mancipium excõmunicatione damnatũ, nec ibi poſſunt victum ſibi cõparare, præterquã à ſolis excõmunicatis. Eximuntur itẽ vxor, liberi, mãcipia cæteríque omnes domeſtici, modo ne patri familias peruerſitati cõſentiant. *Ca Sicut Ap-ſt. 11. quæſt. 3. Cau. Cum excommuni cato dict. quæſt. & cauſa. Ca. Quoniam multos. Itẽ Ca. Antecessor. 11. quæſt. 3.*

DOROTHEA.

Quos igitur fines in excõmunicatione ſpectat eccleſia?

THEOPHILVS.

Ij tres omnino ſunt. Primus eſt, ne cum Dei cõtumelia inter Chriſtianos nominẽtur, qui turpẽ ac flagitioſam vitã agunt: ac ſi ſancta eius eccleſia foret improborũ & ſceleratorum hominũ cõiuratio. Nã quum ipſa Chriſti ſit corpus: eiuſmodi fœtidis & putridis mẽbris inquinàri nõ poteſt, quin aliqua ignominia in caput recidat. Nequid ergo tale extet in eccleſia, vnde probrũ ſacroſancto eius nomini inuratur, abigẽdi ſunt ex eius familia, quorũ ex turpitudine ad Chriſtianum nomẽ infamia redũdaret. Alter finis eſt, ne aſsidua malorũ cõſuetudine, vt fieri ſolet, boni corrũpãtur. Nãquæ noſtra eſt ad malũ & errorẽ procliuitas, nihil facilius eſt quàm vt malis exemplis à recto vitæ curſu abducamur. Tertius vt eos qui excõmunicatione puniuntur, pudore ſuffuſos, ſuæ turpitudinis pœnitere incipiat. Ita conducit & illis ſuam nequitiam caſtigari, quò expergefiant ſenſu ferulæ, qui indulgentia obſtinatiores futuri erant.

DOROTHEA.

Hæc mihi valde probantur. Aggredere, ſodes, ad vim & efficacitatem ſacramẽti pœnitentiæ.

THEOPHILVS.

Efficacia ſeu virtus huius ſacramẽti eſt, vt peccator ſeriò de peccatis confeſſus, & ſacerdotis abſolutioni, tanquam

diuinæ promiſsioni fidem habēs, eccleſiæ recōcilietur,indubitatamq; commiſſorum veniā aſſequatur, per Dei miſericordiam, & Chriſti Ieſu beneficium, qui vt ſolus mortē pro delictis noſtris oppetiit, ac ſolus in peccatorū remiſsionem ſanguinem ſuum fudit: ita ſolus eſt, qui per ſpiritum ſanctum cotū expiat peccata qui confitentur. Solius enim Dei eſt munus peccata condonare, vti miniſterium eſt ſacerdotis: vt Ambroſij verbis vtar.

DOROTHEA.

Quandoquidem huius ſacramēti miniſter eſt ſacerdos, qualem tandem eum eſſe oportet?

THEOPHILVS.

Sacerdos, qui tam arduum confeſsionis audiēdæ munus ſuſcipit, ad hoc idoneus eſſe debet: doctrina inſigni, prudentia, & ſancta conuerſatione commendatus: animi item rectitudine ac pietate ſingulari ornatus: ſobrius ac ſilentij tenax. Adhæc miſericors, quique cōdolendi & compatiēdi nouerit diſciplinā: qui verbo ſalutis peccatores ad frugē poſsit corrigere, ſalutari conſilio & pia exhortatione conſolari: qui denique in confitentes imperium & iuriſdictionem habeat.

DOROTHEA.

De iuſtificatione. Iam tempus eſſet ad reliqua ſacramenta tranſeundi: ſed quia ſuperius de iuſtificatione breuiter egiſti, velim diffuſius rem mihi totam explanari.

THEOPHILVS.

Haud ſanè abſurdum eſt, vbi de pœnitentia diſſeruimus, & de iuſtificatione diſputare. Proinde conabor hîc tuæ
Ex concil. Triden. seſſ. 6. morem gerere voluntati. Ad iuſtificationis doctrinā probè ſyncereque intelligendā, oportet vt vnuſquiſque agnoſcat & fateatur, quòd cùm omnes homines in præuaricatione
Epheſ. 2. Adami innocentiam perdidiſſent, facti immundi, & (vt Apoſtolus ait) naturâ filij iræ, vſqueadeò ſerui erant peccati,
De naturæ & legis imbecillitate ad iuſtificādum omnes. & ſub poteſtate diaboli & mortis, vt non modò gentes per vim naturæ, ſed ne Iudæi quidem per ipſam etiā literā legis Moſaicæ inde liberari aut ſurgere poſſent: tametſi in iis liberum arbitrium minimè extinctū eſſet, viribus licèt attenuatum & inclinatum. Quò factū eſt, vt cœleſtis pater, pater miſericordiarū, & Deus totius cōſolationis, Chriſtū
De diſpen- Ieſum filium ſuum, & ante legem & legis tempore multis

ſanctis patribus declaratū ac promiſſum, cùm venit beata illa plenitudo temporis,ad homines miſerit, vt & Iudæos qui ſub lege erāt,redimeret,& gentes quæ nō ſectabantur iuſtitiā, iuſtitiā apprehēderent,atque omnes adoptionem filiorum Dei reciperēt. Hūc propoſuit Deus propiciatorē per fidem in ſanguine ipſius pro peccatis noſtris, non ſolùm autem pro noſtris,ſed etiam pro totius mundi.

ſatione & myſterio aduētus Chriſti.

Epheſ.1.

1. Ioan. 2.

Verùm etſi ille pro omnibus mortuus eſt, non omnes tamen mortis eius beneficium recipiunt, ſed ij duntaxat, quibus meritum paſsionis eius communicatur.Nam ſicut re vera homines niſi ex ſemine Adæ propagati naſcerētur, non naſcerentur iniuſti,cùm ea propagatione per ipſum, dum concipiuntur,propriā iniuſtitiam contrahant:ita niſi in Chriſto renaſcerentur,nunquā iuſtificarētur,cùm ea renaſcētia,per meritum paſsionis eius,gratia qua iuſti fiunt illis tribuatur.Pro hoc beneficio Apoſtol⁹ gratias nos ſemper agere hortatur patri, qui dignos nos fecit in partē ſortis ſanctorum in lumine,& eripuit de poteſtate tenebrarū, tranſtulitq́ue in regnum filij dilectionis ſuæ,in quo habemus redemptionem & remiſsionem peccatorum.

Qui per Chriſtum iuſtificātur.

Col. 5.

Quibus verbis iuſtificationis impij deſcriptio inſinuatur,vt ſit trāſlatio ab eo ſtatu in quo homo naſcitur filius primi Adæ,in ſtatum gratiæ,& adoptionis filiorūDei,per ſecundum Adam Ieſum Chriſtum ſeruatorem noſtrū:quæ quidem tranſlatio poſt Euāgelium promulgatum,ſine lauacro regenerationis,aut eius voto, fieri non poteſt,ſicut ſcriptum eſt:Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto,non poteſt introire in regnum Dei.

Inſinuatur deſcriptio iuſtificationis impij. & modus eiusin ſtatu gratiæ.

Ioan.3.

Atque ipſius iuſtificationis exordium in adultis,à Dei, per Chriſtum Ieſum,præueniente gratia,ſumendū eſt:hoc eſt,ab eius vocatione,qua nullis eorū exiſtentibus meritis, vocantur:vt qui per peccata à Deo auerſi erāt, per eius excitantem atque adiuuantem gratiam ad conuertēdum ſe, ad ſuam ipſorum iuſtificationē,eidem gratiæ liberè aſſentiendo & cooperando,diſponantur:ita vt tangēte Deo cor hominis per ſpiritus ſancti illuminationē,neq; homo ipſe nihil omnino agat, inſpirationem illam recipiens,quippe qui & illam abiicere poteſt, neque tamen ſine gratia Dei mouere ſe ad iuſtitiā coram illo libera ſua volūtate poſsit.

De neceſſitate præparationis ad iuſtificationem adultis & vnde ſit.

Zachar. 1. Vnde in ſacris literis cum dicitur: Conuertimini ad me,& ego conuertar ad vos,libertatis noſtræ admonemur:Cùm reſpondemus:cõuerte nos Domine ad te,& conuertemur, *Pſal.* 84. Dei nos gratia præueniri cõfitemur. Diſponuntur autẽ ad ipſam iuſtitiam,dum excitati diuina gratia & adiuti,fidem *Modus præparationis.* ex auditu concipientes,liberè mouẽtur in Deum, credẽtes vera eſſe quę diuinitus reuelata & promiſſa ſunt:atq; illud in primis,à Deo iuſtificari impium per gratiã eius,per redemptionem quæ eſt in Chriſto Ieſu:& dum peccatores ſe eſſe intelligentes,à diuinæ iuſtitiæ timore,quo vtiliter cõcutiuntur, ad cõſiderandã Dei miſericordiã ſe conuertando in ſpem eriguntur,fidentes Deum ſibi propter Chriſtũ propitiũ fore,illumque tãquam omnis iuſtitiæ fontem diligere incipiunt ac proterea mouentur aduerſus peccata per odium aliquod & deteſtationem,hoc eſt,per eam pœnitentiam ,quam ante baptiſmum agi oportet : denique dum proponunt ſuſcipere baptiſmũ,inchoare nouam vitã, & ſeruare diuina mandata.De hac diſpoſitione ſcriptũ eſt: *Heb.* 11. Accedentem ad Deum oportet credere quia eſt, & quod *Mat.* 9. inquirentibus ſe remunerator ſit.Et,confide fili,remittun- *Eccleſ.* 1. tur tibi peccata tua.Et,Timor Domini expellit peccatum. *Act.* 2. Et pœnitentiam agite:& baptizetur vnuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti in remiſſionẽ peccatorum veſtro- *Mat.* 28. rum, & accipietis donum ſpiritus ſancti. Et, euntes ergò 1. *Reg.* 2. docete omnes gentes,baptizantes eos in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti: docentes eos ſeruare ea quæcunque mandaui vobis. Denique præparate corda veſtra Domino.

Quid ſit iuſtificatio impij, & quæ eius cauſæ. Hanc diſpoſitionem ſeu præparationem iuſtificatio ipſa conſequitur,quæ non eſt ſola peccatorum remiſsio,ſed & ſanctificatio,& renouatio interioris hominis, per voluntariam ſuſceptionem gratiæ & donorum. Vnde homo ex iniuſto fit iuſtus,& ex inimico fit amicus, vt ſit hæres ſecundum ſpem vitæ æternæ. Huius iuſtificationis cauſæ ſunt:finalis quidem,gloria Dei & Chriſti, ac vita æterna. Efficiens verò miſericors Deus,qui gratuitò abluit & ſanctificat ſignans & vngens ſpiritu promiſsionis ſancto, qui *Ephes.* 1. eſt pignus hęreditatis noſtræ.Meritoria autem,dilectiſsimus vnigenitus ſuus dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui cum eſſemus inimici,propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, ſua ſanctiſsima paſsione in ligno crucis nobis

iuſtificationē meruit,& pro nobis Deo patri ſatisfecit. Inſtrumētalis item, ſacramētū baptiſmi, quod eſt ſacramētū fidei, ſine qua nulli vnquā iuſtificatio cōtigit. Demū vnica formalis cauſa eſt, iuſtitia Dei, non qua ipſe iuſtus eſt, ſed qua nos iuſtos facit: qua videlicet ab eo donati renouamur ſpiritu mētis noſtræ, & non modo habemur, ſed verè iuſti nominamur & ſumus, iuſtitiam in nobis recipiētes, vnuſquiſque ſuam ſecundū mēſuram, quā ſpiritus ſanctus partitur ſingulis, prout vult, & ſecūdum propriā cuiuſque diſpoſitionem & cooperationem. Quanquam enim nemo poſſit eſſe iuſtus, niſi cui merita paſſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti communicantur, id tamen in hac impij iuſtificatione fit, dum eiuſdem ſanctiſſimæ paſſionis merito, per ſpiritum ſanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum qui iuſtificantur, atque ipſis inhæret. Vnde in ipſa iuſtificatione cum remiſsione peccatorum hæc omnia ſimul infuſa accipit homo per Ieſum Chriſtum, cui inſeritur, fidem, ſpem, & charitatem. Nam fides, niſi ad eam ſpes accedat, & charitas, neq; vnit perfectè cum Chriſto, neque corporis eius viuum membrum efficit, qua ratione veriſſimè dicitur fidem ſine operibus mortuam & ocioſam eſſe. Et, in Chriſto Ieſu neque circuncíſionem aliquid valere, neque præputium, ſed fidem quæ per charitatem operatur. Hanc fidem ante baptiſmi ſacramentum ex Apoſtolorum traditione catechumeni ab eccleſia petunt, cum petunt fidem vitam æternam præſtantem, quam ſine ſpe, & charitate fides præſtare non poteſt. Vnde & ſtatim verbum Chriſti audiunt: Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata. Itaque veram & Chriſtianam iuſtitiam accipientes, eam ſeu primam ſtolam pro illa quam Adamus ſua inobedientia ſibi & nobis perdidit, per Chriſtum Ieſum illis donatam, candidam & immaculatam, iubentur ſtatim renati conſeruaare, vt eam perferant ante tribunal Domini noſtri Ieſu Chriſti, & habeant vitam æternam.

Iac. 2. cap. *Gal. 5.* *Mat. 19.*

Quomodo intelligatur impiū per fidē, & gratis iuſtificari.

Cum verò Apoſtolus dicit iuſtificari hominem per fidem, & gratis: ea verba in eo ſenſu intelligenda ſunt, quē perpetuus eccleſiæ catholicæ cōſenſus tenuit & expreſſit, vt ſcilicet per fidem ideò iuſtificari dicamur, quia fides eſt humanæ ſalutis initium, fundamentum & radix omnis

Iac. 2.

iuſtificationis, ſine qua impoſsibile eſt placere Deo, & ad filiorum eius conſortium peruenire. Gratis autem iuſtificari ideò dicimur, quia nihil eorum quæ iuſtificationem præcedunt, ſiue fides, ſiue opera, ipſam iuſtificationis gratiam promeretur. Si enim gratia eſt, iam non ex operibus, alioqui (vt idem Apoſtolus ait) gratia iam non eſt gratia.

Contra inanem hæreticorum fiduciam. Quamuis autem neceſſarium ſit credere neque remitti neque remiſſa vnquam fuiſſe peccata niſi gratis, diuina miſericordia propter Chriſtum: nemini tamen fiduciam & certitudinem remiſsionis peccatorum ſuorum iactanti, & in ea ſola quieſcenti, peccata remitti vel remiſſa eſſe, dicendum eſt: cùm apud hæreticos & ſchiſmaticos poſſit eſſe, imo noſtra tempeſtate ſit, & magna contra eccleſiam catholicam contentione prædicetur vana hæc & ab omni pietate remota fiducia. Sed neque illud aſſerendum eſt, oportere, eos qui verè iuſtificati ſunt, abſque vlla omnino dubitatione apud ſemetipſos ſtatuere, ſe eſſe iuſtificatos, neminémque à peccatis abſolui, ac iuſtificari, niſi eum qui certò credat ſe abſolutum & iuſtificatum eſſe, atque hac ſola fide abſolutionem & iuſtificationem perfici: quaſi qui hoc non credit, de Dei promiſſis, déque mortis & reſurrectionis Chriſti efficacia dubitet. Nam ſicut nemo pius de Dei miſericordia, de Chriſti merito, déque ſacramentorum virtute & efficacia dubitare debet: ſi quilibet dum ſeipſum ſuámque propriam infirmitatem & indiſpoſitionem reſpicit de ſua gratia formidare & timere poteſt, cùm nullus ſcire valeat certitudine fidei cui non poteſt ſubeſſe falſum, ſe gratiam Dei eſſe conſecutum.

De acceptæ iuſtificationis incremento. Sic ergo iuſtificati, & amici Dei ac domeſtici facti euntes de virtute in virtutem, renouantur (vt Apoſtolus inquit) de die in diem; hoc eſt, mortificando membra carnis ſuæ, & exhibendo ea arma iuſtitiæ in ſanctificationem

2. Cor. 4. per obſeruationem mandatorum Dei & eccleſiæ, in ipſa iuſtitia per Chriſti gratiam accepta, cooperante fide,

Apoc. 22. bonis operibus creſcunt, atque magis iuſtificantur, ſicut

Eccle. 18. ſcriptum eſt: Qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc. Et iterum,

Iac. 2. Ne verearis vſque ad mortem iuſtificari. Et rurſus, Videtis quoniam ex operibus iuſtificatur homo, & non ex fide

tantùm.

tantùm. Hoc verò iuſtitiæ incrementum petit ſancta eccleſia cùm orat, Da nobis Domine fidei, ſpei, & charitatis augmentum.

Nemo autem quantumuis iuſtificatus, liberum ſe eſſe ab obſeruatione mandatorum putare debet: nemo temeraria illa à patribus ſub anathemate prohibita voce vti, Dei præcepta homini iuſtificato ad conſeruandum eſſe impoſsibilia. Nam Deus impoſsibilia non iubet, ſed iubendo monet & facere quod poſsis, & petere quod non poſsis, & adiuuat vt poſsis: cuius mandata grauia non ſunt: cuius iugum ſuaue eſt, & onus leue. Qui enim ſunt filij Dei Chriſtum diligunt. Qui autem diligunt eum, vt ipſemet teſtatur, ſeruant ſermones eius: quod vtique cum diuino auxilio præſtarę poſſunt. Licèt enim in hac mortali vita quantumuis ſancti & iuſti, in leuia ſaltem & quotidiana, quæ etiam venalia dicuntur, peccata quandoque cadant non propterea deſinunt eſſe iuſti. Nam iuſtorum illa vox eſt & humilis & verax, Dimitte nobis debita noſtra. Quo fit, vt iuſti ipſi eò magis ſe obligatos ad ambulandum in via iuſtitiæ ſentire debeant, quo liberati iam à peccato ſerui autem facti Deo, ſobriè, iuſtè, & piè viuentes proficere poſſunt per Chriſtum Ieſum, per quem acceſſum habuerunt in gratiam iſtam. Deus nanque ſua gratia ſemel iuſtificatos non deſerit, niſi ab eis prius deſeratur. Itaque nemo ſibi in ſola fide blandiri debet putans fide ſola ſe hæredem eſſe conſtitutum, hæreditatémque conſecuturum, etiam ſi Chriſto non compatiatur, vt & conglorificetur. Nam & Chriſtus ipſe (vt inquit Apoſtolus) cùm eſſet filius Dei, didicit ex iis quæ paſſus eſt obedientiam, & conſummatus, factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi, cauſa ſalutis æternæ. Propterea Apoſtolus ipſe monet iuſtificatos, dicens: Neſcitis quòd ij qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed vnus accipit brabium? ſic currite, vt comprehendatis. Ego igitur ſic curro, non quaſi in incertum: ſic pugno, non quaſi aërem verberans: ſed caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne fortè, cùm aliis prædicauerim, ipſe reprobus efficiar. Item princeps Apoſtolorum Petrus, Satagite vt per bona opera certam veſtram vocationem

De obſeruatione mandatorū dei; illius neceſſitate & poſsibilitate

Mat. 11.

Ioan. 14.

Mat. 6.

Tit. 2.

Phil. 2.

1. *Cor.* 9.

& electionem faciatis. Hæc enim facientes non peccabitis aliquando. Vnde conſtat eos orthodoxæ religionis doctrinæ aduerſari, qui dicunt iuſtum in omni bono opere, ſaltem venialiter peccare: aut quod (intolerabilius eſt) pœnas æternas mereri: atque etiam eos qui ſtatuunt in omnibus operibus iuſtos peccare, ſi in illis ſuam ipſorum ſocordiam excitando, & ſeſe ad currendum in ſtadio cohortando, cum hoc vt in primis glorificetur Deus, mercedem quoque intueantur æternam: cum ſcriptum ſit: inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas propter retributionem: Et de Moſe dicat Apoſtolus quòd reſpiciebat in remunerationem.

Pſal. 124. *Heb. 11*

Prædeſtinationis temerariã præſũptionem eſſe cauendam.

Nemo quoque quandiu in hac mortalitate viuitur, de arcano diuinæ prædeſtinationis myſterio vſque adeò præſumere debet, vt certo ſtatuat ſe omnino eſſe in numero prædeſtinatorum: quaſi verum eſſet, quòd iuſtificatus aut amplius peccare non poſſit, aut ſi peccauerit, certam ſibi reſipiſcentiam promittere debeat. Nam niſi ex ſpeciali reuelatione ſciri non poteſt, quos Deus ſibi elegerit.

De perſeuerantiæ munere.

Similiter de perſeuerantiæ munere, de quo ſcriptum eſt. Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit: quod quidem aliunde haberi non poteſt, niſi ab eo qui potens eſt eum qui ſtat, ſtatuere vt perſeueranter ſtet: & eum qui cadit, reſtituere: nemo ſibi certi aliquid abſoluta certitudine polliceatur: tametſi in Dei auxilio firmiſſimam ſpem collocare & reponere omnes debent. Deus enim niſi ipſi illius gratiæ defuerint, ſicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle & perficere. Veruntamen qui ſe exiſtimant ſtare videant ne cadant: & cum timore ac tremore ſalutem ſuam operentur in laboribus, in vigiliis, in eleemoſynis, in orationibus & oblationibus, in ieiuniis, in caſtitate. Formidare enim debent (ſcientes quod in ſpem gloriæ, & nondum in gloria renati ſunt) de pugna quæ ſupereſt cum carne mundo & diabolo, in qua victores eſſe non poſſunt, niſi cum Dei gratia Apoſtolo obtemperent dicenti: Debito-

Mat. 24. *Philip. 2.* *1. Cor. 8.* *Rom. 8.*

Debitores ſumus non carni vt ſecundum carnem viuamus: Si enim ſecundum carnem vixeritis moriemini: Si autem ſpiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis.

De lapſis, & eorum reparatione.

Qui verò ab accepta iuſtificationis gratia per peccatum exciderunt, rurſus iuſtificari poterunt, cum excitante Deo, per pœnitentiæ ſacramentum merito Christi, amiſſam gratiam recuperare procurauerint. Hic enim iuſtificationis modus, eſt lapſis reparatio: quam ſecundam poſt naufragium (vti ſuprà iam monuimus) deperditæ gratiæ tabulam ſancti patres aptè nuncuparunt. Etenim pro his qui poſt baptiſmum in peccata labuntur, Chriſtus Ieſus ſacramentum inſtituit pœnitentiæ, cum dixit: Accipite ſpiritum ſanctum: Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta ſunt. *Ioan.20.* Vnde catholica Chriſti docet eccleſia, Chriſtiani hominis pœnitentiam poſt lapſum, multò aliam eſſe à baptiſmali: eáque contineri non modo ceſſationem à peccatis, & eorum deteſtationem, aut cor contritum & humiliatum, verùm etiam eorundem ſacramentalem confeſſionem, ſaltem in voto, & ſuo tempore faciendam, & ſacerdotalem abſolutionem: Itémque ſatisfactionem per ieiunia, eleemoſynas, orationes, & alia pia ſpiritualis vitæ exercitia, non quidem pro pœna æterna, quæ vel ſacramento, vel ſacramenti voto cum culpa remittitur: ſed pro pœna temporali, quæ (vt ſacræ literæ docent) non tota ſemper, vt in baptiſmo fit, remittitur illis, qui gratiæ Dei quam acceperunt, ingrati ſpiritum ſanctum contriſtauerunt, & templum Dei violare non ſunt veriti: de qua pœnitentia ſcriptum eſt: Memor eſto vnde excideris: Age pœnitentiam, & prima opera fac. *Apoc.7.* Et iterum: Quę ſecundum Deum triſtitia eſt: pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur. *2.Cor. 7.* Et rurſus, Pœnitentiam agite, & facite fructus dignos pœnitentiæ. *Luc. 3.*

Quolibet peccato mortali amitti gratiam, ſed non fidem.

Aduerſus etiam hominum quorundam callida ingenia, qui per dulces ſermones & benedictiones ſeducunt corda innocentium, aſſerendum eſt, non modo infidelitate per quam & ipſa fides amittitur, ſed etiam quocunque alio

capitali peccato, quanuis non amittatur fides, acceptam iuſtificationis gratiam amitti, diuinæ legis doctrinã defendẽdo, quæ à regno Dei non ſolùm infideles excludit, ſed & fideles quoque fornicarios, adulteros, molles, maſculorum cõcubitores, fures, auaros, ebrioſos, maledicos, rapaces, cęteroſque omnes qui lethalia committunt peccata, à quibus cum diuinæ gratiæ adiumento abſtinere poſſunt, & pro quibus à Chriſti gratia ſeparantur.

De fructu iuſtificationis, hoc eſt, de merito bonorum operum. Hac igitur ratione iuſtificatis hominibus, ſiue acceptã gratiam perpetuò conſeruauerint, ſiue amiſſam recuperauerint, proponenda ſunt Apoſtoli verba: Abundate in omni opere bono, ſcientes quòd labor veſter non eſt inanis in Domino. Non enim iniuſtus eſt Deus, vt obliuiſcatur operis veſtri, & dilectionis quam oſtendiſtis in nomine ipſius. Et, Nolite amittere confidentiam veſtram, quæ magnã habet remunerationem. Atque ideo bene operantibus vſque in finem, & in Deo ſperantibus, proponenda eſt vita æterna: & tanquam gratia filiis Dei per Chriſtum Ieſum miſericorditer promiſſa, & tanquam merces ex ipſius Dei promiſsione bonis ipſorum operibus & meritis fideliter reddenda. Hæc eſt enim illa corona iuſtitiæ, quam poſt ſuum certamen & curſum repoſitam ſibi eſſe aiebat Apoſtolus, à iuſto iudice ſibi reddendam: non ſolùm autem ſibi, ſed & omnibus qui diligunt aduentum eius. Cùm enim ille ipſe Chriſtus Ieſus tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipſos iuſtificatos iugiter virtutem infundat, quę virtus bona eorum opera ſemper antecedit, comitatur, & ſubſequitur, & ſine qua nullo pacto Deo grata & meritoria eſſe poſſunt: nihil ipſis iuſtificatis deeſſe credendum eſt, quo minus plenè, illis quidẽ operibus quæ in Deo ſunt facta, diuinæ legi pro huius vitæ ſtatu ſatisfeciſſe, & vitam æternam ſuo etiam tempore (ſi tamen in gratia deceſſerint) conſequendam verè promeruiſſe cenſeantur, cũ Chriſtus ſeruator noſter dicat: Si quis biberit ex aqua, quã ego dabo ei, non ſitiet in æternum, ſed fiet in eo fons aquę ſalientis in vitam æternam: ita neque propria noſtra iuſtitia tanquam ex nobis propria ſtatuitur: neque ignoratur aut repudiatur iuſtitia Dei. Quæ enim iuſtitia noſtra dicitur, quia per eam nobis inhærentẽ iuſtificamur, illa eadem Dei eſt,

1. Cor. 15.

2. Tit. 4.

Ioan. 4.

Dei eſt, quia à Deo in nos influit per Chriſti meritum. Neque verò illud omittendum eſt, quòd licèt bonis operibus in ſacris literis vſque adeò tribuatur, vt etiam qui vni ex minimis ſuis potum aquæ frigidæ dederit, promittat Chriſtus eum non eſſe ſua mercede cariturum: & Apoſtolus teſtetur id quod eſt in præſenti momentaneum & leue tribulationis noſtræ, ſuprà modum in ſublimitate æternum gloriæ pōdus operari in nobis: abſit tamen vt Chriſtianus homo in ſeipſo vel confidat vel glorietur, & non in Domino: cuius tanta eſt erga omnes homines bonitas, vt eorū velit eſſe merita, quæ ſunt ipſius dona. Et quia in multis offendimus omnes, vnuſquiſque ſicut miſericordiā & bonitatem, ita ſeueritatē & iudicium ante oculos habere debet: neque ſeipſum aliquis, etiam ſi nihil ſibi conſcius fuerit, iudicare: quoniam omnis hominum vita non humano iudicio examinanda & iudicanda eſt, ſed Dei, qui illuminabit abſcondita tenebrarū, & manifeſtabit cōſilia cordium: & tunc laus erit vnicuique à Deo, qui (vt ſcriptum eſt) reddet vnicuique ſecundum opera ſua. *Marc. 9. Mat. 10. 2. Cor. 4. Iac. 3. 1. Cor. 4. Mat. 16. Rom. 2.*

DOROTHEA.

Cùm hæc vera ſit & catholica de iuſtificatione doctrina, fideliter eam amplector, ad extremum vſque ſpiritum retentura: mirificè enim (vt ego quidem iudico) fidei noſtræ veritatē, Deique ac Ieſu Chriſti gloriam illuſtrat, tātum abeſt vt aliqua ex parte vel Dei gloriæ, vel meritis Ieſu Chriſti Domini noſtri deroget. Quòd autē ſumma rerū antè explicatarum capita veluti per anacephalæoſin repetiuiſti, efficit vt tam altè animo meo inſideant omnia, vt ea nunquam ſim obliuioni traditura. Enimuerò quia ſuprà obiter ac in trāſcurſu liberi arbitrij meminiſti, perquàm libenti animo audirem te copioſius hanc ipſam cauſam pertractantem. Scire enim admodùm cupio, quid de voluntatis noſtrę viribus ad bonum ac pręſcientia Dei ſentiendum ſit.

THEOPHILVS.

Principiò eſt animaduertēdum, quòd Deus hominem conſtituerit initiò, & eum reliquerit (quemadmodum & naturam Angelicam) in manu conſilij: hoc eſt, eum talem conſtituerit, qui gratia creatoris ſibi deſuper collata, po- *De viribus humanæ voluntatis. Eccleſi. 15.*

Aug. de correp. & gra. cap. 2. tuiſſet, niſi liberæ ſuæ voluntatis arbitrio malè fuiſſet vſus, legi Dei perfectè obedire ac ſatisfacere: Rurſus qui poſſet deſerta gratia legem Dei violare præuaricatiſque peccare & in mortem (peccati ſtipendium) incidere.

Gen. 1. Secundò memori mente tenēdum, Deum non eſſe cauſam mali ſeu peccati? ſcriptum eſt enim: vidit Deus cūcta quæ fecerat, & erant valde bona. Proinde hominē ad peccādum neque incitauit neque coegit. Nam, vt pſalmographus ait, non Deus volens iniquitatem tu es. Atque alibi ſcribitur: fidelis eſt Dominus, qui mortem nō fecit, nec lætatur in perditione animarum. Et iterum: Nemini mandauit impiè agere, & nemini dedit ſpatium peccandi. Non enim concupiſcit multitudinem filiorum infidelium & inutilium. Sed homo ſuapte ſponte lege Dei contēpta, ſerpenti credens Deum deſeruit: deſerens deſertus eſt: peccauit, & in mortem præcipitatus eſt: deſertus quidē à Deo, non per diſtantiam localem, quòd Deus ſubſtantialiter ſit vbique præſens, res creatas, alioqui ſtatim perituras, indeſinenter ſuſtentans ac gubernans. Sed deſertus eſt per gratiæ interioris & ſpiritualis ſubtractionem. Ergo mali ſeu peccati cauſa, nihil aliud eſt, quam liberum voluntatis arbitriū diaboli & hominis: vnde Chriſtus ait, diabolum patrem eſſe mendacij, & ex propriis loquī mendacium. Itidem, qui facit peccatum, ex diabolo eſt: quoniam ab initio diabolus peccat. Omnis verò qui natus eſt ex Deo, nō peccat. Et itetum, omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ. Et in eandem ſententiam ad Romanos legimus: per vnū hominem peccatum in hunc mūdum intrauit. Diſcernere ergo oportet naturam à vitio. Natura à Deo orta eſt & conſeruata: vitiū à voluntate diaboli & hominis, quæ potuit abuti libertate ſua, & ſe à Deo auertere, & ſic fieri cauſa peccati.

Pſal. 5. Sap. 1. Eccle. 15. Ioan. 8. 1. Ioan. 3. 1. Ioan. 2. Rom. cap. 5

Tertio noſſe oportet primam illam naturā, quæ in primis parentibus tota & integra erat, totam eſſe corruptam: Proinde totam iuſtitiam ac immortalitatē perdidiſſe. Vnde conſequēs erat, vt nec alios poſteros, quàm corruptos, iniuſtos & mortales generare potuerit. Quod queritur Dauid: Ecce (inquit) in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea: ſignificans ſtatim cum forma-

Pſal. 50.

retur, in ipſo extitiſſe peccatum illud originis. Vnius enim delicto propagatum eſt malum in omnes homines ad condemnationem: cuius mali magnitudinem Paulus deſcribit, vbi dicit diabolum per hoc peccatum efficacem eſſe in incredulis. Huc pertinet quod Geneſis octauo capite legitur: ſenſus & cogitatio humani cordis in malũ prona ſunt ab adoleſcentia: hoc eſt, omnes naſcimur cum praua cõcupiſcentia, quæ nos ab ineũte ætate veluti hereditarius quidam morbus, totos occupat & comitatur. Quo cõuincitur omnes immundos eſſe quos nõ mundat fides Chriſti, ſicut ſcriptum eſt: quoniam nemo mundus à peccato coram te, nec infans cuius eſt vnius diei vita ſuper terram. Quæ cum ita ſint, ſequitur neminem, etiam vnius diei infantem, ſi in hac corruptione peccati decedat, contra Deum queri poſſe quòd dãnetur, quòd reatum ſeu morbum illum dignũ dãnatione, non ex Deo, ſed ex voluntario vitio primorũ parentum contraxerit, quem etiam in infantibus ſuo modo efficacem oſtendit Auguſtinus, docens imbecillitatem mẽbrorum infantis innocentem eſſe, non animum. Nam & zelum & amaritudinem atque inuidentiam quandam in paruulis lactentibus ac nondum loqui valentibus nos experiri conſtat. Rurſus liquet quotquot hanc damnationem euaſerunt, Deo gratulari oportere. Mortem enim debitam euaſerunt, & vitam non debitam repererũt: liberatis indebita exhibetur miſericordia, vnde gratias Deo agant: damnatis verò debita exhibetur iuſtitia, vt in Deo nihil reprehendant, vt nec illi dignos ſe glorientur, nec hi ſe indignos pœna querantur. In quam ſententiam dixit Apoſtolus: nũquid dicit figmentum ei qui ſe finxit, quid me feciſti ſic? An non habet poteſtatem figulus luti, ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam? vna erat maſſa perditionis ex Adamo, cui nõ niſi ſupplicium debebatur: ſed facit Deus ex maſſa, quæ iam perierat, vas in honorem, quum hominem per redemptionem quæ eſt in Chriſto Ieſu, reſtituit. Facit Deus vas in cõtumeliam, quum hominem vel peccato originali oppreſſum, derelinquit: vel quum peccatorem in peccatis obdureſcere permittit, idque iuſtiſsimo iudicio nobis inſcrutabili, niſi quòd certum habemus, Deum iuſtum eſſe & abſque omni

Rom. 5. *Epheſ. 2.* *Iob. 4. 14. 15. & 25.* *Iob. 34.* *Confeſſ. lib. 1. cap. 7.* *Auguſt. de ver. Apoſt. ſerm. 11.* *Rom. 9.*

iniquitate, nec vllum hominem, etiam vnius diei infãtem]
Aug. lib. retract. ca. 23. damnare, niſi quem præuiderit meritò damnandum, id eſt, quem ſibi vocanti non aſſenſurum ſeu crediturum præſciuerit. Hoc contenta noli vltra diſputare vel quærere, Me quare fecit in honorem, & alium in contumeliam? imò mirare & exclama cum Paulo: O altitudo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei: quàm inſcrutabilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius! Quis enim cognouit ſenſum Domini, aut quis conſiliarius eius fuit? Tantùm quæ liberaris & iuſtificaris, ſedulò recogita, quantum gratiæ & beneficij in te conferatur, quum alter ex ſimili maſſa corrupta procreatus, in damnatione relinquatur, ac iuſtè puniatur. Quò verò animus tuus magis acquieſcat & tranquilletur, ea quę Deus omnib᷑ generatim promiſit, memoria repete. Quiſquis (inquit) Dei nomen inuocauerit, ſaluus erit. Quartò, ſtatuendum eſt, quum in Adami præuaricatione omnes homines naturalem vim, poſsibilitatem, & innocentiam perdiderint, neminem de profundo illius ruinæ per liberum arbitrium poſſe emergere, niſi eum gratia Dei miſerentis erexerit. Ideoque neminem ſuis ſolius viribus ad iuſtificationẽ, vitam bonam ac beatam pertingere poſſe. Fatemur quidem, hominem per liberum arbitrium, ſuiſque viribus citra renouationem aliquo modo externa opera bona agere, vt colere agros, domos ædificare, atque adeo in ipſa impietate vitæ ſuæ aliqua legis & ſapere & facere, ciuilemque aliquam iuſtitiam præſtare poſſe, quam Paulus appellat iuſtitiam carnis, ſeu iuſtitiam quæ in lege eſt, in qua ſe in Iudaiſmo verſatum ſine querela dicit: quæ nihil aliud eſt, quã iuſtitia quædã externa, quam homo poteſt implere, vt nullus hominum queratur de eo, licèt intus in affectionibus prauis præuaricator ſit legis. Lex dicit: Non concupiſces. Si concupiſcis, reus es legis in oculis Dei: Sed ſi non rapis alienum, nulla de te (etſi intus concupiſcas) erit querela hominum. Aliud eſt enim conſpicua opera legis implere, vel timore hominum, vel ipſius Dei, vel pœnę formidine: aliud bene agere dilectione & amore iuſtitiæ, vt etiam ſi impunè permitteretur malè agere, malè tamen agere omnino nolis.

Rom. 11.

Ioel. 2.

Rom. 10. De externa illa & Phariſaica iuſtitia alibi dicit Apoſtol᷑: Volentes ſuam iuſtitiam conſtituere, hoc eſt, ſuis externis

operibus

operibus in ſpeciem bonis (etſi mens praua ſit) fidere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti. Nam quum vires hominis nō ſint pœnitus extinctæ, ſed vitiatæ: reliquū eſt in natura hominis naturale iudiciū, & delectus quidam rerum, quę ſunt ſubiectæ ſenſui & rationi operum externorum: quo fit, vt eadē ſuis viribus aliquo modo efficere poſsit. Sed interiores motus, hoc eſt, bonos affectus, ſeu quæ Deus requirit (quam vocamus iuſtitiam ſpiritualem) per ſe ſine Deo efficere nō poteſt. Sed vt hos motus concipiat, Dei & mediatoris gratia, ac ſpiritu ſācto eſt opus. Animalis enim homo non percipit ea quæ ſunt ſpiritus Dei. Sed hi tādem qui ſpiritu Dei ducūtur, ſunt filij Dei. Et, Si quis ſpiritum Chriſti non habet, is non eſt Chriſti: quamobrem Chriſtus dixit? Niſi quis renatus fuerit ex aqua & ſpiritu ſancto, non poteſt videre regnum Dei. Et iterum: Nemo poteſt venire ad me, niſi pater meus, qui miſit me, traxerit eum. Et: Sine me nihil poteſtis facere. Nam homo in peccatum lapſus, non ineptè confertur homini, in profundiſſimam ac ſpurciſsimam foueam præcipitato ac grauiter vulnerato, vnde ſe erigere non poſsit, niſi deſuper quiſpiam fune demiſſo delapſum extrahat, & extractum inſuper diligēti curatione acceptorum vulnerum proſequatur.

Ambr. de vocat. gent. lib. 1. cap. 3. — *1. Cor. 2.* — *Rom. 8.* — *Ioan. 3.* — *Ioan. 6.* — *Ioan. 15.* — *Bernard in ſerm. de cœna Domini*

Quintò, noſſe oportet, quòd Deus tam eſt benignus ac miſericors, vt non tantùm voluerit hominem non peccare, ſed & velit hominem lapſum, atque adeo quantumlibet flagitioſum reſurgere ac reſipiſcere. Nā apud Ezechielem ſic loquitur: Viuo ego, dicit Dominus: nolo mortē peccatoris, ſed magis vt conuertatur & viuat. Et Chriſtus omnes ad ſe indifferenter prouocat. Venite (inquit) ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Et in hanc ſententiam dicit Apoſtolus: Deus vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Quòd ſi obiicias, Dei voluntati quis reſiſtit? Cur igitur non omnes ſalui fiunt, quos Deus ſeruari vult? Reſpondeo, hîc ad duplicem voluntatem Dei reſpicere oportere, antecedentem & conſequentem. Res exemplo tota fiet illuſtrior: legiſlator legem ferens, omnes ciues ſuos vult eſſe bonos & pacificos, nec vult vt crimina ab iis patrentur pœnis luenda, idque voluntate antecedente. Interim tamen filij ſui alioqui

Ezech. 33. — *Mat. 11.* — *1. Tim. 2.*

chariſsimi, latæ legis tranſgreſſoris mortem vult, quē vellet non peccaſſe, vt nihil plectendum in eo poſſet inuenire, idq́ue voluntate cōſequente, qua mortem filij vult propter aliquid iam factum. Itidem hortulanus plantat arborem, non ea mente vt excidatur & in ignem mittatur: attamen dum poſt longam expectationem eam nullum fructū producentem videt, & terra excidit, & in ignem mittit. Nō ſecus miſericors Deus vult omnes ſaluos fieri, quod ad ſe attinet voluntate antecedēte. Quòd verò reprobos damnat, fit voluntate conſequente, quòd iuſtum ſit eos, quibus oblata eſt omnis occaſio conſequendæ ſalutis, nec apprehendere voluerunt, damnare. De infantibus alia ratio eſt, vt iam diximus. Sextò, meminiſſe conuenit, Deum opt. max. adeo velle omnes homines ſaluos fieri, vt nemini quantumlibet ſcelerato, gratiam ſuā ſubtrahat, quin potius det omnibus vniuerſalia ad ſalutem adipiſcendam adiumenta.

Septimò, ſitum eſſe in hominis voluntate, vt gratiā Dei oblatam vel accipiat vel repudiet.

DOROTHEA.

Ecquid gratiæ nomine intelligis?

THEOPHILVS.

Gratia generaliter & ſpecialiter accipitur. Gratia generaliter accepta appellatur, quicquid non præcedentium aliquorū operū meritis, ſed gratuita bonitate Dei donatur. Et ſic accepto vocabulo, gratia nō improbāda ratione dicitur natura, in qua conditi ſumus, vt nonnihil eſſemus: nec ita eſſemus aliquid, vt cadauer quod nō viuit, & arbor quæ non ſentit, aut pecus quod non intelligit: ſed homines, qui & eſſemus, & viueremus, & ſentiremus, & intelligeremus. Ac de hoc tāto beneficio creatori noſtro gratias agere debemus. Hanc gratiam (quam quidam donum naturæ appellant) habent impij nobiſcum communem.

Gratia verò ſpecialiter accepta (quā doctrina Chriſtiana & demonſtrat & prædicat eſſe propriam Chriſtianorum) non eſt natura, ſed occulta Dei miſericordia, qua per ſubminiſtrationē ſpiritus, ſanatur ac ſalua fit natura, qua prædeſtinati vocamur, iuſtificamur, ſanamur, & glorificamur, vt dicere poſſimus: Si Deus pro nobis, quis contra nos?

Qui filio

Qui filio ſuo proprio nõ pepercit, ſed pro omnibus nobis tradidit illum. *Rom.8.* Hæc eſt illa gratia, quam diuinæ literæ vbique prædicant, de qua dixit Apoſtolus: Non irritam facio gratiam Dei. *Gal.2.* Nam ſi per legem iuſtitia, ergo Chriſtus fruſtrà mortuus eſt: nimirùm gratiam intelligens, qua iuſtificamur ab iniquitate, & qua ſeruamur ab infirmitate, non qua creati ſumus cum propria voluntate.

Hæc gratia diſtinguitur in gratiam operantẽ ſiue præuenientem, & ſubſequentem ſiue cooperantem. Vtramque in ſacris eloquiis expreſſam legimus. Ait Pſalmographus: *Pſal.58. & 22.* Et miſericordia eius pręueniet me. Et: Miſericordia Dei ſubſequitur me omnibus diebus vitæ meæ. Deus enim nolentem præuenit, vt bene velit, & volẽtem ſubſequitur, ne fruſtrà veniat, ſed vt perficere valeat. *Auguſt. in enchir. cap. 23.* Operans ergo gratia eſt, quæ præuenit ac præparat voluntatem, non vt fiat voluntas (quia & ante hanc gratiam voluntas erat) ſed vt voluntas bona fiat, & quæ prius erat ſerua peccati, liberetur.

Cooperans verò gratia, volũtatem iam bonã factã ſubſequitur, vt quod iã vult bonũ, perficere poſsit. Nã voluntas *Auguſt. in enchir. cap. 30.* hominis quã naturaliter habet, nõ valet erigi, vt bonũ efficaciter velit, vel opere adimpleat, niſi per gratiam liberetur & adiuuetur, iuxta Pauli ſententiam: Non eſt volentis, nec *Phil.2.* currentis, ſed miſerentis Dei: hoc eſt, non eſt volentis bene velle, neque currentis currere, ſed miſerentis Dei, qui operatur in nobis velle, id eſt, vt aſſentiamur vocãti: & currere, hoc eſt, vt operemur pro ſua bona voluntate. Itaque non ideò miſeretur Deus hominis, quia ipſe homo voluit & cucurrit: ſed iam homo voluit & cucurrit, quia miſertus eſt *Auguſt. contra Iulia hæret.* Deus. Quamobrem Hieremias propheta ait: Scio Domine, quia nõ eſt hominis via eius, nec viri eſt, vt ambulet & dirigat greſſus ſuos. *Hier.10.* Præparatur enim (teſte Solomone) voluntas hominis à Deo, & à Domino greſſus hominis diriguntur. *Prouerb.16 & 20.* Gratia præueniens duplex eſt: vna, qua Deus pręuenit peccatorem vt reſurgat: altera, qua peccator præuenienti Deo aſſentiens iam reſurgit. Vtraque voluntatem noſtram præuenit Deus, ſed priorem ſubminiſtrãdo ſolus operatur: in altera voluntas noſtra Deum præuenientem ſubſequẽs, ei per velle ſeu aſſenſum, remiſsionem peccatorum accipiendo, cooperatur.

Prior gratia, qua Deus hominem præuenit, ac incitat vt reſurgat, iterum duplex eſt. Vna generalior, quæ eſt bonus motus, bonaque cogitatio, veluti quũ peccator, Deo inſpirãte, agnoſcit peccatum ſuum, quum terrore gehennæ cõcutitur, quum de amittenda æterna beatitudine dolet. Altera ſpecialior eſt, tot habens ſpecies, quot ſunt ſpeciales boni motus ad reſipiſcendum: veluti ſunt auditio verbi Dei, immiſſio aduerſitatis, quæ ferocientis hominis animum deiicit, & ad Deum reſpicere facit, remotio occaſionis peccandi, ablatio ſeu debilitatio tentationis, & id genus alia. Iam conſtat Deum nulli hominum, gratia illa generalius accepta, deeſſe, adeò vt nullus ſit peccator tã ſceleſtus, cui Deus quoad in hac vita ſuperſtes fuerit, hanc gratiã penitus ſubtrahat. Nam per hanc ſtans ad oſtium ſedulò pulſat, initiũ noſtrę ſalutis (quæ eſt peccati cognitio) in nobis operari deſiderans. Quòd autem illos gratiæ ſpecialis motus omnibus peccatoribus Deus non impertiat, in cauſa eſt peccatoris obduratio gratiam illam communem ſeu generalem negligentis ac repudiantis: in quam ſententiam dicit Apoſtolus: Et ſicut non probauerunt Deum habere in notitia, *Rom. 1.* tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, vt faciant ea quæ non conueniunt, repletos omni iniquitate. Tradidit, inquã, id eſt, permiſit vt per cupiditates cordium ſuorum, in omnem iniquitatem & immunditiam ruerent. Atque ita fit, vt peccatum ſit alterius peccati cauſa: quinimo vt idem ſit ſimul peccatum, & peccati pœna. Nam gratiæ contemptus grauiſſimum peccatum eſt, & peccati cauſa, nempe omnis iniquitatis & immunditiæ, in quam Dei contemptor ruit. At omnis illa iniquitas & immũditia hominum impiorũ, qua fit vt contumeliis afficiant corpora ſua in ſemetipſis, & peccatum eſt, & peccati pœna. Et hæc peccati pœna, quæ per peccatum fit, omnium eſt grauiſsima. Gratia ergo pręueniens, qua Deus hominem incitat vt iuſtificetur, gratia quidem eſt eximia: ſed nõ ſufficit, niſi accedat gratia iuſtificans, quæ voluntatem ſanat, & ſola facit vt rectè viuatur. Ad hanc gradibus quibuſdam peruenitur: in primis enim quum non ſimus ſufficiẽtes, ne cogitare quidem aliquid ex nobis, quaſi ex nobis, Deus initiò bonã cogitationem nobis inſpirat, qua ad Deum reſpicere & peccatum noſtrum

agno-

agnoſcere incipimus, quam ſolus Deus in nobis operatur, nec nobiſcum, quia ad eam habẽdam nihil facimus, ſed eã merè gratis nobis immittit, dum peccatum noſtrũ oculis noſtris opponit. Hæc cogitatio magis intellectu quã affectu perficitur: præuolat intellectus, ſed frequenter tardus, aut nullus ſequitur affectus: ratione & intellectu ſæpe apprehẽdimus, quàm vtilis ſit Dei iuſtificatio, ſed infirmitate præpediti, nondum rem tantam exanimo deſideramus, ſed adiuuãte ſenſim gratia cupimus vt deſideremus, ſcimus bonum, nec delectat agere: ſenſim verò proficiente gratia, cupimus vt delectet. Hoc autem votum, quo cupimus deſiderare, quædã volũtatis præparatio eſt, quę fidem iuſtificantẽ præcedit: nullus quippe credit, niſi pri⁹ cogitauerit eſſe credendum, & vt credat, à Deo expetat & accipiat. Hæc ergo voluntatis præparatio, ſua quidem habet opera, quę tamen ſunt mera Dei dona, iuſtificationem antecedẽtia. Nã homo quum agnoſcit peccatum ſuum, quum pœnæ grauitatẽ ſecum mente volutat, incipit temperare à malitia, gemere, lachrymari, tũdere pectus, reſtituere alienum, facere eleemoſynam de proprio, ſitire iuſtitiam (hoc eſt, remiſsionẽ peccatorum) eãdemque precibus apud Deum ambire ſatagit. Has cordis præparationes, & voluntatis conatus ac ſtudia ad pietatem, videre licet in Cornelio illo centurione, quæ tamen ſine aliqua ſaltem fide, quæ donum eſt Dei, non faciebat. Iam vt hæc conuerſionis ſtudia nemo negauerit bona quædam eſſe, ex Dei gratia voluntati noſtræ inſita, ob quæ interdum dicimus hominem talibus votis æſtuantem bonam habere voluntatẽ, tamen hæc non eſt illa bona volũtas ſeu cogitatio qua bene viuitur. Nam (vt Auguſtinus ait) ſine ſpiritu non eſt volũtas hominis libera ad bonum, niſi liberata fuerit: non autem liberatur, niſi per ſpiritum ſanctum diffundatur charitas in cordibus noſtris. Non eſt libera voluntas, niſi eam liberet gratia per legem fidei: id eſt, non eſt libera ſine fide operante per dilectionem. Ergo cùm peccator peccati horrore pauidus, & pœnæ metu contremiſcens, ac de ſe ipſo (ſuæ infirmitatis ſibi cõſcius) deſperans, per fiduciam miſericordiæ in Chriſto nobis propoſitæ ad Deum contingit, credens ſibi pœnitẽti, in Chriſto Ieſu (qui eſt factus propiciatio pro peccatis totius mũ-

Auguſt. contra duas epiſt. Pelag. ad Bonif. lib. 2. ca. 8.

Auguſt. in pſal. 108.

Auguſt. de prædeſt. ſanct.

Act. 10.

Augu. ad Anaſtaſiũ.

di) remiſſum iri peccata per fidem, accipit gratiam præuenientem, & iuſtificantem, qua voluntas ſanatur, vt ſanata Dei adiutorio legem impleat, quā nulla merita præcedunt. Hanc gratiam præuenientem & iuſtificantem quidam appellant beneficium Chriſti, quo liberatur liberū arbitrium & voluntas præparatur ad faciendum bonum: nōnulli verò gratuitam imputationē iuſtitiæ ſeu acceptationē, quòd videlicet iuſti habeamur propter Chriſtum, & deinde placeat noſtrum opus ſeu inchoata obedientia, etſi perfectè, donec in hoc corporis tabernaculo degimus, legi nō ſatisfaciat. Hanc autem gratiam iuſtificantem voluntas noſtra comitatur (vt ſuprà diximus) ac veluti pediſſequa ſubſequitur, non quidem tempore, ſed cauſa tantùm & natura. Voluntas enim in iuſtificatione noſtra gratiæ quodā modo cooperatur, ſic, vt iuſtificatio noſtra ſine volūtate & cōſenſu accipientis non perficiatur. Etſi enim voluntas hominis ante iuſtificationem deprauata eſt, vim tamen eam qua quippiam vult non amiſit, cū nihil tam ſit in poteſtate voluntatis, quàm ipſum velle. Et quid tandem aliud eſt voluntas, niſi animi motus cogente nullo ad aliquid non admittendum vel adipiſcendum? Licèt ergo, niſi à cœleſti medico præuenta & edocta fuerit bonum velle, aut etiam Deo præuenienti, ſine gratia Dei aſſentiri non poſsit, tamen quis nō videt hoc voluntatis eſſe, vt aſſentiatur? Itaque velle pœnitere, velle reſipiſcere, velle accipere remiſsionem peccatorum, non eſt à ſola voluntate, ſed illud nobiſcum operatur Dominus, dum immutando maleuolam voluntatem, eam facit beneuolam & ſuæ voluntati conſentientem. Vnde voluntatem quidem noſtram Deus immutat, & ſic operatur in nobis velle: ſed tamen quia voluntas inuita mutari nequit, Deo cooperatur dum ei conſentit. Ex quibus conſequitur, hominē iuſtificari non poſſe, niſi voluntas eius Deo iuſtificanti ac ſananti accedat, & Dei iuſtitiam per fidem accipiat. Totum autem Deo rectè aſcribitur, qui voluntatē noſtram (quam creādo nobis impertiit) gratia ſua præuenit, & excitat torpeſcentem, vt lapſum ſuum norit: poſteà corrigit nolētē, vt reſurgere velit: poſtremò adiuuat volentē, vt reſurgere poſsit: & ſic ſal⁹ noſtra Dei gratuitū eſt donū. Quia tamē nō fit ſine volūtatis noſtræ aſſenſu, ex gratuita

Aug. lib. retract. ca. 28.

Augu. de ſpir. & litera.

tuita imputatione Dei in nobis inchoat meritum, pro quo repoſita eſt nobis corona iuſtitiæ, non noſtræ, quia quum bona voluntas noſtra (ex qua omne meritum pendet) nobis principaliter à Deo fit, nos autem ad peccandum tantùm ex nobis valeamus, idcirco nullo bono (tacemus, cœleſti corona) digni ſumus. Sed repoſita eſt nobis corona iuſtitiæ Dei, qua iuſtum eſt, vt reddat quod reſipiſcentibus promiſit, non quidem ex debito, ſed ex gratia. *Auguſt. in prolog. pſal. 31.*

De gratia ſubſequente & cooperante dixit Apoſtolus: *1. Cor. 15.* Gratia autem Dei, ſum id quod ſum: & gratia eius in me vacua, ſiue inanis non fuit: ſed abundantius illis omnibus laboraui: non autem ego, ſed gratia Dei, ἡ σὺν ἐμοὶ, quæ mecum eſt, vel quę mihi adeſt. Agnoſcis humanam voluntatem ſimul adnitentem diuino auxilio? Ait enim ſe non paſſum eſſe dei beneficentiam in ſe otioſam aut ſterilem eſſe. Ne autem videatur ſuis viribus aſcribere, quod auxiliāte Dei gratia geſſerat, correctione vtitur: Non ego ſum is qui hoc feci, ſed gratia Dei potius, quę mihi adfuit, vt intelligamus totum hoc Deo ferri acceptum. Quaſi dicat: hoc ipſum quod laboraui, non mihi vendico, ſed beneficentiæ diuinæ aſcribo, cuius præſidio factum eſt, quicquid geſtum eſt. Non ergo ſocietatem operis, vt nihil egiſſe intelligatur, qui ſe plus laborum quàm quenquam alium Apoſtolorum exhauſiſſe dixerat, ſed inſolētiæ ſuſpicionem excludit ea correctio. Non enim vult Deus vt homo ſibi quicquam tribuat, etiam ſiquid eſſet, quod meritò poſſet ſibi tribuere. Quare non audiendi ſunt, qui licèt Apoſtolum fateantur totam laboris laudem vni gratiæ tranſcribere, eum tamen laboris conſortem fuiſſe negant. Sed, vt vnde egreſſa eſt, eô noſtra ſe referat oratio, Poſtquam per gratiam iuſtificantem (quæ gratia eſt gratis data) hominis voluntas ſanata, & à captiuitate (qua facta eſt ſerua peccati) liberata eſt, non exiſtimare debet ſe periculo vacuam, & poſthac ſe non indigere Dei gratia ad concupiſcentias tentationeſque vitandas, & operandum bonum. Nemo eſt enim vel baptiſmatis vel pœnitentiæ gratia renouatus, qui idoneus ſit ad ſuperandas diaboli inſidias, & ad euincendas carnis concupiſcentias, niſi per continuum, & quotidianum Dei auxilium, perſe-

uerantiam bonæ conuerſationis acceperit. Hæc autem gratia ſubſequens ſeu cooperans, comitari voluntatem noſtram dicitur, quòd voluntas noſtra ſanata per gratiam iuſtificantem, iam nacta ſit aliquam libertatem repugnãdi infirmati ſuæ, & bene operandi, non quidem iam timore pœnæ, ſed amore Dei & iuſtitiæ, quum iam adiuuetur à ſpiritu ſancto, quem in iuſtificatione Deus nobis impertit, & per eundem in cordibus noſtris charitatem diffundit. Proinde in iuſtificatis voluntas non eſt in piis actionibus ociosa. Vnde Paulus, quemadmodum vbique gratiam Dei & ſpiritus ſancti auxilium quàm maximè amplificat, ita ſimul acuit diligentiam noſtram, iubens cauere ne fruſtra gratiam Dei accipiamus, ſed pro virili adiuuante gratia in dies proficiamus, & ſemper in anteriora nos extendamus. Quod facientibus Deus auget dona ſua in nobis: negligentibus verò, etiam prius collata dona adimit. Quamuis autem omnia piorum opera Dei ſint dona, ex quibus Deo magis debitores ſumus, quàm ipſe nobis (ipſe eſt enim qui operatur in nobis non tantùm velle, ſed etiam perficere pro ſua bona voluntate, quique præparauit opera bona vt in illis ambulemus) nihilominus tanta eſt Dei benignitas, vt quod ipſe poſt iuſtificationem operatur in nobis, idipſum nobis propter ſolum illum conſenſum noſtrũ & bonam voluntatem quam adhibemus, non tamen abſq; eo, in meritum imputet. Et ad hoc donat nobis, nullis meritis præcedentibus, fidem iuſtificantem, vt meritorum principium eſſe poſsit. Datur ſiquidem vnicuique ſine merito, vnde tẽdat ad meritum, & datur ante vllum laborem, vnde quiſque mercedem accipiat ſecundum laborem. Habent ergo poſt iuſtificationẽ opera noſtra meritum ſuum, habent dignitatem ſuam, quam mutuantur ex gratia, non
Mat. 5. habent ex ſeipſis. Deus enim ex ſumma miſericordia, illa opera licèt imperfecta, digna iudicat, illisque ingentem mercedem promittit & perſoluit. Quamobrem hoc meritum, quod operibus hominis iuſtificati Deus imputat, recẽtiores meritum condigni appellarunt: meritum quidem non ex dignitate operis, ſed ex gratia Dei, & merito Chriſti, quo niſi opera noſtra bona ſuſtentarentur, ne tantillum quidem valerent. De plenitudine enim eius nos omnes ac-

cepimus.

cepimus. Niſi enim ille nobis meruiſſet, nos omni merito vacui eſſemus. Condigni verò vocabulum, ex quibuſdam ſcripturæ locis vſurpatū: veluti, Dignus eſt operarius mercede ſua. Item, Inuenit eos dignos ſe. Item, Ambulabunt mecum in albis, quia digni ſunt. Itaque meritum bonorum operum poſt iuſtificationem non eſt attenuandum, ſed modis omnibus amplificandum, quemadmodum vbique facit Chriſtus & Apoſtoli: Sed hoc videndum, ne meriti cauſam nobis aſcribamus, ſed Deo. Noſtrum eſt enim tantùm aſſentiri, & Dei ductibus obſequi: ſed hinc ex debito nihil repoſcere poſſumus, vt Chriſtus docet. Quum feceritis, inquit, omnia quæ præcepta ſunt vobis, dicite: Serui inutiles ſumus: quod debuimus facere, fecimus. Et tamen hanc voluntatem noſtram Deus (modò omnem boni operis gloriam in eum transferamus) tanti facit, vt videatur agnoſcere ſe ex debito teneri. Deus iubet vt opera digna ſe operemur: nos verò orare conuenit, vt Deus & nos & opera noſtra digna faciat promiſsionibus Chriſti. Poſt iſta omnia Dei & Chriſti beneficia, quæ nobis in hac lachrymarum valle exulibus impertit, aliud nihil reſtat, niſi corona iuſtitiæ, non noſtræ quidem, ſed Dei nos iuſtificātis: vita vtique poſt hanc mortalitatē beata ac ſempiterna.

Mat.10. *Apoc.3.* *Luc.17.*

DOROTHEA.

Enimuerò non deſunt impij & præfracti quidam nebulones, qui ſuæ impœnitentiæ & iuſtæ damnationis cauſam in Deum transferant, dicentes nō ſine inſigni blaſphemia, ſe neceſsitate quadam adactos peccare & perire, quòd non ſit neque volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei.

THEOPHILVS.

Tantum abeſt vt hæc Apoſtoli verba impiæ illorum ſententiæ ſuffragentur, vt eandem etiam planè refellant. Neque enim Paulus hac ſentētia homini vel voluntatem, vel illius conatus adimit, neque nullius eſſe momēti affirmat: ſed docet voluntatem noſtram ad bonum penitus inutilem & imbecillem, & curſum omnino inefficacem eſſe ſine gratia Dei miſerentis. Eſſet itaque impiorum excuſa-ſatio longè apparentior, niſi beatus Paulus tantus eſſet in amplificāda gratia. Haberent enim quod ſemper quererentur de ſua imbecillitate, niſi conſtaret Deum ſemper para-

De prædeſtinatione & præſcientia Dei.

tum eſſe,ad infirmitatem noſtram per gratiam ſuam ſubleuandam,modò ipſi inſpiranti obedire,ac iuſtificanti & adiuuanti conſentire & obſequi velimus. Proinde ſcriptura in nullum hominis ſcelus acerbius inuehitur,quàm in eius peruicaciam qui obſtinatè Dei gratiam repudiat. Quam-
Pſal.108. obrem diuus Petrus de Iuda proditore hũc Pſalmographi
Act.1. locum exponit:Dilexit maledictionẽ,& veniet ei : Noluit benedictionem : procul ab eo abſiſtet. Chriſtus quoque
Mat.23. Hieroſolymorum perditionẽ ac interitum deplorans , ita loquitur:Hieruſalem,Hieruſalem,quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te miſsi ſunt, quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos
Act.13. ſuos ſub alas,& noluiſti?Itidem PaulusIudæos alloquens: Vobis (inquit) oportebat primùm loqui verbum Dei:ſed quoniam repellitis illud,& indignos vos iudicatis æterna vita , ecce,conuertimur ad gentes. Atque hæc eſt illa cenſura in ſcripturis,quæ vbique Iudæos grauiſsimè premit, quemadmodũ diuus Stephanus dixit:Dura ceruice & in-
Act.7. circũciſis cordibus & auribus , vos ſemper ſpiritui ſancto reſtitiſtis. Sicut patres veſtri, ita & vos.Nihil ergo mirum, ſi ille peccato demerſus ſuccumbat,hic reſurgat : hic enim diuinæ gratiæ dexteram non neglexit, ſed apprehenſæ dexteræ ductu & tractu,è peccatorum fæcibus emerſit. Ille verò diuinæ dexteram gratiæ ſedulò oblatam, ac nũquam ſubtractam , apprehendere neglexit , & ſic in peccatorum luto defixus remanſit. Ambo in peccati foueam corruerunt : ſed hic funem gratiæ Dei demiſſum apprehendit & mordicus tenuit , ac extractus eſt : ille funem gratiæ Dei demiſſum apprehendere neglexit. Itaque miſer in peccati fouea periit,non neceſsitate abſoluta coactus,ſed ſua voluntate ſuoque malo.

DOROTHEA.

Exod.4. Obiiciunt,quòd in aliquot diuinæ ſcripturæ locis oc-
Rom.1. currit:Indurabo cor Pharaonis.Item,Tradidit illos Deus in reprobum ſenſum,&c. & ſiquæ ſunt ſimiles in ſcripturis figuræ.

THEOPHILVS.

Nihil eſt quod huc atque illuc tergiuerſentur:Certũ eſt enim eas ſentẽtias Hebraica phraſi ſignificare permiſsionem

nem,non voluntatem efficacẽ,ſeu cogentem: quemadmodum oramus,Ne nos inducas in tentationẽ:id eſt,ne ſinas nos induci.Induravit Deus cor Pharaonis,quòd permiſerit Pharaonẽ abuti ſua voluntate,idq́ue ſecundùm iuſtiſsimum iudiciũ ſuum,qui cor peccatoris reprobũ(quod nec patientia,nec longanimitate Dei,ad pœnitentiã emollitur, nec cõpunctione ſcinditur,nec timore frãgitur,nec amore flectitur) in obduratione ſua perſeuerare permittit.Atque hæc permiſsio ſeu Dei patientia magis accuſat,quàm excuſat impium.

DOROTHEA.

Quid de iis cenſes,qui pleraq; inextricabilia & abſurda colligũt de præſcientia Dei, ac non ſine graui periculo infirmorum curioſè & temerè diſputant, quomodo rerum contingentia & arbitrij libertas, cum certiſsima Dei præſcientia ſimul manere poſsint?

THEOPHILVS.

Eos verò non leuiter peccare aio,quòd homini,qui mortalis atque adeò terra & cinis eſt,non liceat incõprehenſibilium iudiciorum Dei abyſſum diſcutere. Quî enim fiet, *Rom.11.*
vt abſtruſiſsima illa inuiſibilis & incomprehenſibilis Dei ſecreta comprehẽdat,qui animæ propriæ,qua viuit,ſentit, ac intelligit,vim & naturam ſatis aſſequi nõ poteſt?quemadmodum ait Hieremias,cor hominis eſſe prauum & inſcrutabile.Iudicia ergo Dei non diſcutienda, ſed adorãda: non diſputanda,ſed iuſtiſsima credenda ſunt:alioqui, ſcrutator maieſtatis opprimetur à gloria.

DOROTHEA.

Túne docere potes Dei præſcientiam non obſtare rerum contingentiæ?

THEOPHILVS.

Factu lõgè facillimum. Oſtendi ſuperiùs Deum peccati cauſam non eſſe,ſed diaboli ac noſtram voluntatem.Ergo ſi Deo nec approbãte,nec cogente voluntatem primorum parentum, peccatũ factum eſt:ſequitur neceſſariò,peccatũ non eſſe factum neceſsitate abſoluta,ſed volũtariè. In hac *Eccleſ.15.*
enim quæſtione meminiſſe ſemper oportet, Deum,ſicut vniuerſam naturam condidit, ita etiam inter cætera condidiſſe hanc naturalem voluntatis vim, quæ eſt arbitrij

libertas,quo naturæ dono non aliud maius excogitari poteſt. Quum ergo voluntas noſtra ante peccatum verè libera fuerit, ſequitur quòd hæc libertas eſt cauſa contingentiæ humanarum actionum. Licèt ergo Deus præſciuerit hominem caſurum, non tamen per hanc præſcientiam, homini naturale illud donum (quod creãdo impertiit) ademit, aut vt ſic ageret coegit ſeu impulit. Deus enim ita præuidet ac determinat contingentia, vt non tollat modum agendi naturæ inditum, ſed determinat actiones ſicut fiunt. Præuidit Deus Iudæ malam voluntatem, permiſit vt proderet Chriſtum, non coactus ſed voluntariè decreuit quomodo Iudam ſic voluntariè peccantem perderet. Non ergo Iudas peccauit neceſſariò.

Pſal. 40. *Act. 1.* *Mat. 26.*

DOROTHEA.

Sed nónne oportuit impleri ſcripturam, quam prædixit ſpiritùs ſanctus per os Dauid de Iuda?

THEOPHILVS.

Hîc diſtinctione opus eſt. Duplex enim eſt neceſſitas: Abſoluta, quam vocamus neceſſitatem conſequentis, veluti, neceſſe eſt Deum eſſe, hominem eſſe animal rationis particeps morti obnoxium: nam hæc aliter ſe habere nequaquam poſſunt. Alia eſt neceſſitas conſequentiæ, qua neceſſariò euenire dicimus, non quæ ſua natura neceſſaria ſunt, ſed quæ neceſſariò ſequuntur, propter præcedentes cauſas, vt oportebat Chriſtum pati, non neceſſitate abſoluta, ſed quia lapſus erat homo, nec aliter reſtitui poterat, niſi Chriſtus pateretur, quòd ita vt fieret, Deus decreuiſſet, & quàm maximè congruum iudicaſſet. Proinde neceſſariò conſequebatur, vt Chriſtus pateretur. Oportebat impleri ſcirpturam de Iuda. Nam quum Deus præuidiſſet malam Iudæ voluntatem hoc impium facinus patraturam, idcirco hoc ipſum per prophetam futurum prædixit.

Luc. 24. *Act. 1.* *Pſal. 40*

Vide autem ſummam Dei benignitatem erga hominem. Nam quum homo voluntariè peccaſſet, mortiſque ſe obnoxium reddidiſſet, tamen Deus talẽ naturam ſic (non Dei, ſed ſua culpa & vitio) corruptam non perdidit, ſed conſeruauit: ſtatimque decreuit, quo remedio corruptionem hanc tolleret, & quam condidit naturam in melius reſtaura-

ſtauraret: vt non habeát impij quod dicant: Cur Deus non perdidit Adamum, & condidit hominem nouum innocentem ex quo omnes naſceremur? Hoc enim ſummæ Dei miſericordiæ & benignitati minimè congruebat, ſed magis quod creauerat, ſeruare ac inſtaurare. Habemus ergo vnde gratias agamus, non quod incuſemus.

De cæteris, quæ in hac planè inexplicabili materia ſubtiliter magis quam piè diſputantur, ad populum concionari non conuenit. Perturbant enim imbecillium animos & conſcientias. Quanquam hoc noſſe oportet: vt nihil eſt quod impiorum mentes magis terreat, quàm Dei præſcientia: ita rurſus nihil eſt, quod piorũ animos tam cõſoletur ac lætificet. Non enim oportet ſic cogitare: Si Deus me præſciuit beatum, beatus efficiar: ſin ſecus, condemnabor. Iterum in vtramuis aurem dormiam, expectans quid me faciat Deus. Sed potius ſic mẽte debemus agitare: Deus vult omnes homines ſaluos fieri: Inſuper vult vt omnes qui credunt in Chriſtum, non pereant, ſed habeant vitam æternam. Ergo optime Deus, tibi gratias ago, qui dederis mihi in corde meo certiſsimum indiciũ quòd ſim ex numero eorum quos præſciuiſti, nimirum fidẽ in vnigenitum filium tuum. Quòd ſi nondũ viuidam hãc fidem in cordibus noſtris ſentiamus, reliquũ eſt vt vocanti & dicenti auſcultemus: Crede tandem, & ſaluus eris. Et quibus erat præſcientia Dei ante hanc viuificam fidẽ terribilis, ea accedẽte, fiet omni (quod aiunt) melle ſuauior. Propterea Apoſtolus quum præſcientiæ Dei meminit, mirum quàm exultat. Scimus (inquit) quòd diligentibus Deũ, omnia ſimul adiumẽto ſunt in bonum, nimirum his qui iuxta propoſitum vocati ſunt. Nam quos præſciuit, eoſdẽ & præfiniuit, conformes imaginis filij ſui, vt ipſe ſit primogenitus inter multos fratres. Porrò quos prædefiniuit, eoſdẽ & vocauit: & quos vocauit, eos & iuſtificauit: quos autem iuſtificauit, hos & glorificauit. Quid igitur dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Non habet ergo peccator quod dicat: Pœnitere, conteri, de peccato dolere, de vita in melius commutanda ſtatuere, veniã ſperare non poſſum. Nam (vt diximus) nulli Deus gratiam ſuam ſubtrahit, ſed & non petentes ac ne cogitantes quidem gratia ſua anteuertit: petentes

1. Tim. 2.
Ioan. 3.
Act. 16.
Rom. 8.

verò prouehit,ſanat,adiuuat,ac confirmat. Imputet ergò æger, cui medicus præſto eſt, ſibi ipſi, non medico, ſi, eius oblatam medelam recuſans, morbo prægrauatus extinguatur.

DOROTHEA.

Huius controuerſiæ explicationem me audiuiſſe magnopere lætor. Nunc aliquid de prouidentia Dei præter ea quæ ſuperius attigiſti, cupidè & libenter audiuero. Neque enim res intempeſtiua, aut huic loco malè commoda videtur.

THEOPHILVS.

De prouidētia Dei. Dei prouidentia in vniuerſa mundi adminiſtratione cernitur. Siquidem Deus vbique preſens conſeruat, tuetur, & gubernat omnia: adeo vt, ſi ille vel tantillum manum ſubtraheret, omnia ſtatim peſſum irent, ac in nihilũ redigerentur, quemadmodum ſcriptum eſt: *Pſal.104.* Auertente te faciem conturbabuntur: auferes ſpiritum eorum, & deficient, & in puluerem ſuum reuertentur. Emittes ſpiritum tuum, & creabuntur, & renouabis faciem terræ. Hinc fit, vt in tota ſcriptura nihil vel geratur, vel factũ dicatur ſine mentione Dei: vt ſciamus Deum eſſe, cuius nutu geruntur omnia, atque adeò tam prope adeſſe, vt penè manibus contrectari poſſit, quemadmodum ait Apoſtolus: *Act.17. Heb.1. Col. 1.* In in ipſo enim viuimus, & mouemur, & ſumus. Omnia ſuſtentat verbo potentiæ ſuæ & nutu efficaciſſimo. Omnia per ipſum & in ipſo creata ſunt, & ipſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo conſtant. Quod idem Chriſtus, æternum Dei verbum in Euangelio manifeſtiſſimè docet. *Mat.10.* Nam vbi aſſeruit ne viliſſimum quidem paſſerculum in terram decidere ſine patris voluntate, huc ſtatim applicat ſententiam, vt quò pluris ſumus paſſeribus, eò interiori cura reputemus Deum nobis proſpicere: ac eò vſque ipſam extendit, vt confidamus, capillos capitis noſtri numeratos eſſe, ſic vt ne vnus quidem è capite pilus defluere poſſit, niſi ex eius voluntate. Nónne (inquit) duo paſſerculi minuto aſſe væneunt? & vnus ex illis non cadet in terram ſine patre veſtro? veſtri verò etiam pili capitis omnes numerati ſunt. *Mat. 6.* Atque alibi: Vertite (inquit) oculos ad volatilia cœli: quia non ſerunt, neque metunt, neque conuehunt in horrea, & pater veſter cœleſtis alit illa. Nónne vos longè præcellitis

illa?

illa?Et paulò pòſt:Si gramen agri,quod hodie cùm ſit,cras in clibanum mittitur, Deus ſic veſtit:an non multò magis vobis id faciet,ô parùm fidẽtes ? Verbum ergo,quo Deus dixit:Germinet herbam virentem terra,& faciẽtem ſemẽ, & factum eſt ita:non deſiit operari,ſed perpetuò operatur, & perpetuò vſque in conſummationem ſeculi fit ita. Et ſic de reliquis rebus creatis iudicandũ eſt:verbo enim Domi-midi cœli firmati ſũt & terra.Vt proinde dixerit Chriſtus: Pater meus vſque modò operatur,& ego operor.Quod vbiq; Pſalmograph' mirificè inculcat. Omnia(inquit) à te expectãt,vt des illis eſcam in tẽpore.dante te illis colligẽt: aperiẽte te manum tuam,omnia replebuntur bonis.Et ite rum: Oculi omnium in te ſperant Domine, & tu das illis eſcam in tempore opportuno. Atque alibi:Qui operit cœlum nubibus,& parat terræ pluuiam.Qui producit in mõtibus fœnum,& herbam ſeruituti hominum. Qui dat iumentis eſcam ſuam,&pullis coruorum inuocantibus eum. Ac alio quodam Pſalmo:homines & iumẽta ſeruabis Domine. Et iterum: Scitote quoniam Dominus ipſe eſt Deus: ipſe fecit nos,& nõ ipſi nos:nos autẽ populus eius,& oues paſcuæ eius. Quę omnia euidẽter oſtendũt nos non naſci, aut viuere, aut ali,aut hoc vel aliud operari caſu,aut tãtùm noſtris viribus ſeu prouidentia,ſed Deo dante,viuificante ac conſeruante,quẽadmodum D. Paulus docet,Deum omnibus vitam largiri,nobis omnia affatim ſuppeditare quibus vtamur,omniũq; hominũ ſeruatorem eſſe, maximè fideliũ. Hãc ipſam ob cauſam beatus Petrus his vnunquẽq; noſtrûm verbis hortatur:Cõiice(inquit)omnẽ tuam ſollicitudinem in Dominum. ipſe te enutriet : nam illi cura eſt de nobis. Et S. Dauid : Reiice in Dominum onus tuum, & ipſe te ſuſtentabit: depone in illius ſinu omnes curas, moleſtias & ſollicitudines tuas , tẽque ac tua omnia ipſius fidei & miſericordiæ committe. Hoc ſi feceris , ille ſic animum tuum corroborabit , vt te nulla vis calamitatum de gradu conſtantiæ depellere poſſit.Et diuus Paulus: Dominus ꝓpe eſt:de nulla re ſolliciti ſitis,ſed in omni precatione & obſecratione cum gratiarũ actione petitiones veſtræ innoteſcãt apud Deũ. Dat enim eſcam omni carni,quoniã in æternum miſericordia eius. Nihil ergo nobis vel boni

Ireneus lib. 4. cont. hereſ. cap. 34.
Pſal. 32.
Ioan. 5.
Pſal. 104.
Pſal. 147.
Pſal. 35.
Pſal. 99.
1. Tim. 4.
1. Pet. 5.
Phil. 4.

vel mali contingere poteſt, niſi dante vel permittẽte Deo. Vnde ſcriptura, quò magis exprimat nihil penitus in mundo geri niſi ex deſtinatione Dei, quæ maximè fortuita videntur, illi ſubiacere oſtẽdit. Quid enim magis ad caſum
Exod.21. referas, quàm dum prætereuntem victorem defractus ex arbore ramus interfecit? At longè aliter Dominus, qui ſe fatetur eum tradidiſſe in manũ occiſoris. Sortes ſimiliter
Prouer.16. quis non fortunæ cæcitati permittat? Verùm Dominus non patitur, qui ſibi vẽdicat earum iudicium. Non ſua potentia fieri docet, vt in ſinum coniiciantur lapilli & extrahantur: ſed quod vnum caſui dari poterat, à ſeipſo eſſe teſtatur. In ſinum (ait Salomon) deiiciuntur ſortes, at omne iudicium earum pendet à Domino.

DOROTHEA.

Quid ergo? Nihílne fortuitò, nihil contingenter accidit?

THEOPHILVS.

Etſi omnia ex Dei voluntate & arbitrio geruntur, nobis tamen ſunt fortuita: non quòd fortunam exiſtimare oporteat mundo ac hominibus dominari, temereq; omnia ſurſum deorſum volutare: ſed quoniã eorum, quæ eueniunt, ordo, ratio, finis, magna ex parte in Dei cõſilio latet, nec humana opinione apprehenditur: quaſi fortuita ſunt, quæ certum eſt ex Dei voluntate prouenire. Non enim aliam imaginem præ ſe ferunt, aut in natura ſua conſiderata, aut ſecundum notitiam noſtram iudiciúmque æſtimata. Quare verè à Baſilio magno dictum eſt, fortunam & caſum, ethnicorum eſſe voces, quarum ſignificatione piorũ mentes occupare non debeant. Nam ſi ſucceſſus omnis, Dei benedictio eſt: calamitas & aduerſitas, eius maledictio aut certè pœna quam infligit: fortunæ in rebus humanis aut caſui nullus relinquitur locus. In hanc ſententiam di-
Lib.1. retr. cap. 2. uus Auguſtinus: In libris (inquit) contra Academicos, non mihi placet, toties me appellaſſe fortunam, quamuis non aliquam Deam voluerim hoc nomine intelligi: ſed fortuitum rerum euentum in externis vel bonis, vel malis. Vnde & illa verba ſunt, quæ nulla religio dicere prohibet, fortè, forſan, forſitan, fortaſſe, fortuitò. Quod tamen totum reuocandum eſt ad diuinam prouidentiam. Neque hoc ta

cui dicens: Etenim fortaſſe quæ vulgò fortuna nuncupatur, occulto quoque ordine regitur: nihilque aliud in rebus caſum vocamus, niſi cuius ratio & cauſa ſecreta eſt. Dixi quidem hoc: verùm, pœnitet me, ſic me illic nominaſſe fortunam, quum videam homines habere in peſſima conſuetudine, vt vbi dici debet, Hoc Deus voluit: dicant, Hoc voluit fortuna. Vt ſemel hunc concludam locum, quicquid nobis nihil tale cogitantibus, prætérque animi noſtri deliberationem & ſententiam contingit, hoc eſſe fortuitum euentum dico, reſpectu noſtrę voluntatis & meditationis: ſed prouidentiam æterni Dei intuitu & contemplatione. Vita enim & mors, ſanitas & morbus, pax & bellum, opulentia & paupertas à Deo manant, etſi homines ſua induſtria ſæpius iſta vel obtinent vel effugiunt, pro vt vel appetunt, vel oderunt.

DOROTHEA.

Si Dei prouidentia moderatur, regit, & gubernat omnia ſingulari quadam ſapientia: ecquid in rebus futuris ſollicitudine noſtra opus eſt?

THEOPHILVS.

Haudquaquam iſtud impedit, quominus ſub Dei voluntate, & proſpiciamus nobis, & omnia noſtra diſpenſemus. Vnde Salomon ait: Cor hominis cogitat viam ſuam, & Dominus diriget greſſus eius. Cauſam ſi quæras, in promptu eſt. Qui enim non ſolùm præuidit quantum cuiuſque vita protenderetur, ſed terminos etiam conſtituit ac fixit, qui præteriri non poterunt, eius ſimul curam nobis demandauit: nos eius conſeruandæ rationibus ſubſidiiſque inſtruxit: periculorum quoque præſcios facit: ne incautos opprimerent, cautiones ac remedia ſuggeſſit. Noſtræ igitur partes ſunt, ſi vitam nobis noſtram tutandam commiſit Dominus, eam tueri: ſi ſubſidia offert, noſtri officij eſt, vt iis vtamur: ſi pericula præmonſtrat, ne temerè irruamus: ſi remedia ſuppeditat, ne negligamus. Atque hæc ipſa cauſa eſt, cur Deus futura omnia cælare nos voluerit: vt tanquam dubiis occurramus, neque deſinamus parata remedia opponere, donec aut ſuperata fuerint, aut omnem curam ſuperauerint.

Prouer. 16.

Iob 14.

DOROTHEA.

Quænam igitur pietatis regula, in ritè reputanda meditandáque prouidentia retinenda eſt?

THEOPHILVS.

Quum homini Chriſtiano perſuaſiſſimum ſit, nihil fortuitò euenire, ſed omnia Dei prouidentia geri: ad illũ, velut præcipuam rerum curã, oculos ſemper ſemper referet: ſed intereà cauſas inferiores ſuo loco intuebitur. Deinde ſingularẽ Dei prouidentiam, ad ſe conſeruandũ, excubare nõ dubitabit, quæ nihil euenire paſſura ſit, quàm quod bono ac ſaluti ſibi vertat. Siue enim homines, cũ quibus illi negotium eſt, boni ſint, ſiue mali, eorũ conſilia, voluntates, conatus, facultates, ſub eius manu eſſe agnoſcet, vt flectere quò libuerit, ac quoties libuerit conſtringere, in eius arbitrio ſitũ ſit. Singularẽ autem Dei prouidentiã in fidelium ſalutẽ excubare plurimę ſunt & luculentiſſimę promiſſiones quæ

Pſal. 91. teſtẽtur, vt cùm dicitur: Qui habitat in adiutorio altiſſimi,

Zach. 2. in protectione Dei cœli cõmorabitur. Itẽ: Qui tangit vos,

Eſa. 26. tãgit pupillã oculi mei. Et, Ero clypeus tuus, mur⁹ aheneus,

& 49. aduerſantibus tibi aduerſabor. Et, Etiã ſi mater obliuiſcatur filiorũ, non tamen obliuiſcar tui. Quinetiã hic potiſſimus eſt ſcopus in hiſtoriis biblicis, vt doceãt tanta ſedulitate vias ſanctorũ cuſtodiri à Domino, vt ne ad lapidẽ quidem impingant. Et ſcriptura paſſim cõcionatur Deũ nos in ſuam fidem recepiſſe, noſtri curã angelis ſuis delegaſſe, vt neque aqua, neque ignis, neque ferrũ noxæ eſſe poſſit, niſi

Pſal. 91. quoad locũ illis dare Domino moderatori libuerit. Sic enim canit pſalmus: Quoniã ipſe liberabit te de laqueo venatoris, & à peſte noxia: Sub ala ſua proteget te, atque in pennis eius fiduciã habebis: pro ſcuto erit veritas eius: nõ timebis à pauore nocturno, nec à ſagitta volãte per diem, à peſte perambulante in caligine, à noxa graſſante in me-

Pſal. 117. ridie, Vnde & illa exiſtit in ſanctis gloriandi fiducia: Domi-

27. & 56. nus mihi adiutor: nõ timebo quid faciat mihi caro. Dominus protector meus, quid trepidabo? Si cõſiſtant aduerſum me caſtra, ſi ambulauero in medio vmbræ mortis, nõ deſinã bene ſperare. Hanc notitiã vbi adepti erimus, neceſſariò conſequetur tũ animi gratitudo in proſpero rerũ ſucceſſu, tum in aduerſis afflictíſque rebus patientia, tum etiam in poſterum incredibilis ſecuritas. Quicquid ergo proſperè

atque

atque ex animi ſententia eueniet, id totum Deo acceptum referemus, ſiue per hominum miniſterium eius ſentiamus beneficentiã, ſiue ab inanimatis creaturis adiuuemur, nobiſcum reputãtes, Dominũ eſſe, qui ad nos eorum animos inclinauerit, vt ſuę erga nos benignitatis inſtrumẽta forẽt. In frugũ abundantia, cogitabimus Dominũ eſſe, qui cœlo præceperit, vt in terrã funderet pluuiam, quâ irrorata lætos & huberes fructus ederet: in aliis nõ dubitabimus benedictionẽ Domini ſolam eſſe, qua omnia proſperẽtur. Siquid aduerſi contigerit, mentem extẽplò ad Deũ extollemus: cuius manus ad patientiã placidámque animi moderationẽ nobis imprimendã, valet plurimum. Sic mẽte agitabimus: Voluit Dominus nos hiſce ærumnis premi: æquo igitur animo patienterq; malũ noſtrum feramus, non modò, quia eius voluntati reſiſtere nefas eſt, ſed quia nihil vult quod ſanctũ ac ſalutare non ſit, & admodũ expediat. Quæ cauſa eſt, cur tam ſollicitè ad hoc probandum ſcriptura incũbat, vt quum denunciat Amos, non fore malũ in ciuitate, quod Deus non fecerit: vt quum acerbè redarguit Ieremias eos, *Amos 3.* qui euenire aliquid calamitatis putabant, Domino nõ iubente. *Lament.3.* Quoties ergó vel ab externa hominum improbitate aliquid mali nobis irrogatur, in Dominũ tunc quoque reſpicere, ac pro certo ſtatuere diſcamus, quod in nos illi ſcelerate admiſerunt, iuſta eius diſpenſatione fuiſſe & permiſſum & immiſſum. Dauid hoc cum animo cogitans, cùm à Semei conuiciis & lapidibus impeteretur, non animauit ſuos ad iniuriam reponendam, ſed illos potius mitigauit. *2.Sam.16.* Sinite eũ, inquit, quia forſan Dominus præcepit ei, vt maledicat. Ita Ioſeph fratrum perfidiæ oblitus, atrocioriſque iniuriæ, qua ab iis affectus erat, immemor, ad manſuetudinẽ & clemẽtiam inclinatus eſt, vt fratres etiã vltrò ſolaretur *Gen.45.* ac diceret, Non vos eſtis qui me vendidiſtis in Aegyptum, ſed Dei voluntate præmiſſus ſum ante vos, vt vitam vobis conſeruarẽ. Vos quidem cogitaſtis de me malũ, ſed Dominus conuertit illud in bonum. Cõſimiliter Iob, cùm à Chaldæis vexaretur, nõ accẽſus eſt ad vindictam: ſed quia opus *Iob 1.* Domini recognoſcit, ſemet pulcherrima illa ſentẽtia cõſolatur: Dominus dedit: Dominus abſtulit, ſit nomen Domini benedictũ. Quòd ſi abſq; hominũ opera euenit, quę nos

premit,afflictio:ſcriptura quidem & terræ ſterilitatem,& famem,& omne morborum genus, ac quicquid fortuitum, hominum opinione dicitur, Dei eſſe maledictiones, vel certè caſtigationes denunciat. Quod autem ad futura attinet,inter Domini benedictiones reponere nos oportet, ſi non deſtituamur ſubſidiis humanis, quibus ad incolumitatem noſtram vtamur. Itaque nec in capiendis conſiliis ceſſabimus,nec in aliorum imploranda ope torpebimus, quibus ſuppetere conſpiciemus, vnde iuuemur, ſed à Domino nobis in manum offerri reputantes quæcunque commodare nobis aliquid poſſunt creaturæ, ipſas tanquam legitima diuinæ prouidentiæ inſtrumenta ad vſum applicabimus. Ac cùm incertum ſit, quem ſint exitum habitura, quæ negotia aggredimur, niſi quòd in omnibus Dominum noſtro bono proſpecturum nouimus,ad id ſtudio aſpirabimus, quod nobis ducemus expedire,quantum intelligentia mentéque aſſequi poterimus. Neque tamen in capiendis conſiliis proprio ſenſu feremur: ſed Dei ſapientiæ nos commendabimus ac permittemus,vt eius ductu in rectum ſcopum dirigamur. Cæterùm non externis ſubſidiis ſic fiducia noſtra ſubnitetur, vt ſi adſint, in iis ſecurè acquieſcamus: ſi deſint, perinde ac deſtituti,trepidemus. Mentem enim in ſola Dei prouidentia ſemper habebimus defixam,neque à firmo eius intuitu præſentium rerum conſideratione,abduci patiemur. Hæc ergo ſingularis eſt, quæ animos noſtros permulcere debet conſolatio, vt intelligamus Dominum ſic omnia ſua potentia continere: ſic imperio nutúque ſuo regere: ſic ſapientia moderari: vt nihil,niſi ex eius deſtinatione, cadat. Id quod animalis homo percipere non poteſt, quim potius contrarium ſæpiſſimè iudicat. Non enim capit ratio quomodo Deus res curet humanas, præſertim cùm videt bonos affligi, iniuriis affici ac opprimi: impios verò ac improbos omnibus circumfluere copiis & in omni abundantia rerum viuere: horum impia conſilia ad optatos perueh exitus, illorum pios conatus ſæpe impediri. At homo ſpiritualis, qui de omnibus rectè iudicat, intelligit voluntatem Dei in omnibus, quæ fiunt ac contingunt,longè optimam ac iuſtiſſimam eſſe, veluti pios ſemper à

Pſal. 72. *1. Cor. 2.* *Pſal. 33. & 36.*

per à Deo conſeruari ac defendi, piis ſuam eſſe à Deo conſtitutam mercedem, etſi nunc ipſorum opera ab impiis veluti vana contemnuntur: piis ſuas tentationes ac res aduerſas non in iacturam, ſed in maiorem ſalutis profectum ac gloriam cedere, etſi nunc ſecus appareat. Rurſus nouit, Deum impios ſæpe multis temporalibus beneficiis afficere, vel vt eos beneficentia ſua ad ſe alliciat, ne habeant vllam contra Deum cauſandi materiam, vel vt inuictam ac glorioſam iuſtitiam ſuam, in obſtinatos contemptores diuitiarum bonitatis ſuæ poſteà declaret. Qui hoc etiam ſentit ſpiritualis, ab impiis nihil mali patrari poſſe, niſi permittente Deo: ac adeò quicquid improbi mali perpetrant, hoc Deum mirabili conſilio contra malorum cōſilium ac propoſitum in cumulum gloriȩ ſuæ piorúmque vtilitatem & profectum vertere: quod videre eſt in Pharaone & Iuda, & reliquis Chriſti perſecutoribus quorum impij conatus Dei gloriam quàm maximè illuſtrarunt: atque interim tamen cernit ſpiritualis Deum, deprauatum illum impiorum affectum (in quo ſolo peccati vis conſiſtit, & cuius author eſt diabolus) omninò non probare, etſi naturæ opus in improbis non prohibeat, quod, niſi mala voluntas accederet, ex ſe malum non eſſet. In ſumma, hoc habet ſpiritualis perſuaſum, Dei voluntatem ſemper & vbique fieri, ac Deum nihil velle, niſi quod eſt optimum, prouidéque iuſtum ac ſanctum eſſe, vt nos totos Dei voluntati ſubmittamus, vt Deo nunquam obmurmuremus, ſed potius tam in aduerſis quàm in proſperis gratias ipſi agamus. Quod alacriori faciemus animo, ſi mentis oculos in Dei bonitatem coniiciamus qui omnia propter hominem, ipſumque hominem ad ſuam imaginem & ſimilitudinem creauit, ac lapſum per filium reſtituit, ac omnia per Chriſtum in ſpiritu ſancto cum fiducia potenti donat.

Sapien. 5. *Iac. 4.* *Gen. 1.* *Luc. 11.*

DOROTHEA.

Næ is valde cæcus eſſet, qui iam non poſſet videre, nihil omnino eſſe, quod gratuitæ Dei beneficentiæ non debeamus. Quod ad me attinet, ſyncero affectu totā ſpem in illum transfero, omnémque ſollicitudinem plena fiducia in eum (cui ſcio nos eſſe curæ) coniicio. Nunc, niſi aduesperaſceret, à te peterem, vt tranſiremus ad Euchariſtiæ ſacra-

mentum. In eo enim pſeudoeuangelici quidam blaterones (quorum ſacrilegis & impiis concionibus Gallicana mirabiliter in præſens atteritur eccleſia) animum meum ſuprà quàm cuiquam credibile eſt, vexarunt.

THEOPHILVS.

Longa ſanè hæc eſt diſputatio: ac illam ſi ingrediamur, nos antè nox oppreſſerit, quàm vel primum eius caput ad vmbilicum ducamus. Proinde melius in diem proximum differri poſſe videtur. Domum iam, ſi placet, nos referamus.

FINIS.

PETRI BVLENGERII TRECENSIS INSTITVtionum Chriſtianarum liber quintus.

DOROTHEA.

MEMINISTI, mi frater, quid heſternę diſputationis curſũ impediuerit. Quare ne idem nobis hodie vſu veniat, meridianum anteuertamus tempus. Venti poſuere, & omnis reſedit flatus: pluuia etiam, qua matutinò cœlum obſcuratũ eſt, ceſſauit. Dum ſudũ eſt igitur, ac nos dies ad inambulandum inuitat, hortorum ſpatia capeſſamus.

THEOPHILVS.

Eamus ſanè, quando ita placet. Nihil hoc mihi ſuauius euenire poſsit. En ſuperiorum dierum palæſtra: en ſeſſiones. Delige ergo vtrum malis, ſedentéſne, an ambulantes ad rem aggrediamur.

DOROTHEA.

Deambulatio leuis, mea quidem ſententia, à prandio nõ iniucunda fuerit. Pòſt ſedere, vbi volemus, licebit. Quando igitur animo meo obſequi parat' es: eia, hoc primùm expedi: Cur corporis & ſanguinis Domini ſacramentum, Euchariſtia appellatur?

THEOPHILVS.

Euchariſtia gratiarum actio eſt, qua Chriſti ſeruatoris noſtri opera magnificamus, & pro cœleſtibus in nos collatis beneficiis gratias agimus.

DOROTHEA.

A quo, & quo tempore hoc ſacramẽtum inſtitutum eſt? *Matt. 24.*

THEOPHILVS. *Marc. 14.*

A Chriſto pridiè quàm pateretur, vt Euangeliſtæ & ſanctus Apoſtolus memoriæ prodiderunt. *Luc. 22.* *1.Cor.11.*

DOROTHEA.

Cur autem à Chriſto inſtitutum eſt?

THEOPHILVS.

Vt corporis & ſanguinis ſui communicatione alamur in vitam æternam, vtq; nos noſtræ ſalutis noſtræque redemptionis certiores faciat.

DOROTHEA.

Ecquas res continet Euchariſtia?

THEOPHILVS.

Tria inter ſe diſtincta continet, ſpecies videlicet viſibiles panis & vini: veritatem ſacroſancti corporis & ſanguinis Chriſti: & vberem ſpiritualis gratiæ virtutem. Quod enim oculis noſtris apparet, ſpecies ſunt panis & vini: quod ſub ſymbolis fides noſtra comprehendit, verum corpus & ſanguis eſt Chriſti: quod autem ex participatione ſacroſanctæ euchariſtię haurimus & conſequimur, virtus eſt gratię ſpiritualis & vita animæ. Neque enim vita & gratia nobis poteſt deficeri, cùm vitæ & gratiæ vnicum ſumimus authorem.

DOROTHEA.

Dic, amabò, quod eſt verbum, ecquod elementum huius ſacramenti?

THEOPHILVS.

Verbum, quo ſubſtantia panis & vini tranſit in naturã corporis & ſanguinis Chriſti Ieſu, hoc eſt: Accipite & mãducate ex hoc omnes: Hoc eſt enim corpus meum. Et iterum, Accipite & bibite ex eo omnes. Hic eſt enim calix ſanguinis mei noui & æterni teſtamenti, myſterium fidei: qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum. Sic enim eccleſia refert ſermonem Chriſti, quem in cœna dixit, cùm panem de menſa ſumptum, & eiuſdem verbi ſui virtute in veram carnem ſuam verſum, diſcipulis edendum porrexit: & calicem, quem eadem verbi ſui efficacia iam ſanguinem ſuum fecerat, bibendũ propinauit. His autẽ verbis fidem eccleſiæ catholicæ (qua verum Chriſti corpus, verumque ſanguinẽ in Euchariſtia nobis exhiberi credimus) & ipſa ſermonis perſpicuitas, & aſſerentis potentia ritè conſiderata ſatis ſtabilit & confirmat. Nemo enim, ſaltem mentis compos, cùm corpus & ſanguinem dici audit, ignorare poteſt, quid intelligere debeat, prę ſertim cũ de natura humana ſermo habeatur, qua-

lem in

lem in Chriſto verè fuiſſe fides noſtra non ambigit. Verè ergo carnem Chriſti, ſub panis ſpecie apertã, in Euchariſtia ſumimus: verè ſanguinem eius, ſub ſpecie & ſapore vini, potamus. Sic enim nobis ipſe Dominus promiſit, qui idem & author huius muneris, & teſtis eſt veritatis. Hoc eſt, inquit, corpus meum. Et, Hic eſt ſanguis meus. Quibus verbis nõ vtique virtutem aut figuram corporis & ſanguinis ſui deſignauit, ſed ipſam corporis & ſanguinis ſui veritatem dilucidè expreſsit. Annon ergo impij, & in Dominum iniurioſi erimus, ſi verbis eius fidem detrahemus, & teſtimoniũ eius in dubium reuocabimus, vt aliud quàm dixit, ex verbis eius aut ipſi credere, aut aliis interpretari audeamus? Nũc, cũ ſermonis perſpicuitas ignorare nos non ſinat, quid Dominus nobis ſub panis & vini ſpecie promiſerit: multò minus, an hoc præſtare potuerit, conſiderata promittẽtis omnipotẽtia, nos dubitare permittit. Deus enim eſt qui loquitur, cuius dicere facere eſt, qui verbi ſui virtute produxit vniuerſa: qui panis viniq́ue ſubſtantiam, cùm non eſſet, verbo ſuo creauit: quid mirum ſi nunc creatam eodem verbo ſuo in aliam & meliorem tranſmutat ſubſtãtiam? Quippe cùm minoris miraculi & virtutis videri debeat, ſi Deus id, quod ex nihilo condidiſſe agnoſcitur, iam conditum in aliud valeat tranſmittere. Miranda quidem hæc ſunt, vt non ſit quod videtur, & quod eſt videri nequeat, noſq́ue negemus eſſe quod cernimus, & quod videre non poſſumus, id verè eſſe aſſeueremus. Hæc cæca ſunt rationi, ſed clara & manifeſta ſunt fidei, qua non ſecundum ſenſum, ſed ex verbo Dei iudicamus & credimus, Deum ad faciendum eſſe efficacem & potentem, quantumuis nos ad intelligendum imbecilles & tardi ſimus.

DOROTHEA.

Tu igitur hoc vis, non ſolùm veram Chriſti carnem & verum ſanguinem (quæ ſpecies ipſæ panis & vini figurant & repræſentant) nobis re vera cum ſignis & figuris viſibilibus exhiberi, ſed cõtineri etiam in ſacramento, ac inuiſibiliter, ſub ſpeciebus ipſis adeſſe, ſubſtantiã panis & vini, omnipotentia verbi diuini, conuerſa atque mutata in corpus & ſanguinem Chriſti Ieſu.

THEOPHILVS.

Hæc vera eſt & catholica fidelium omnium confeſsio,

quotquot ab Apoſtolorum temporibus adhuc in eccleſia Dei floruerunt, quam conſtanter tuebuntur & propugnabunt, dum reuertatur Dominus.

DOROTHEA.

Primùm igitur, ex ſcripturis diuinis & ſacris eccleſiæ doctoribus oſtende mihi præſentiam corporis & ſanguinis Domini in Euchariſtia: pòſt deinde, ſi videbitur, de trãſſubſtantiatione verba facies, ac impiam eorum, qui eãdem pernegant, hæreſim conuelles.

THEOPHILVS.

Vt id exequar, promiſſionem Chriſti ante cœnam, & effectum ipſius in medium proferam. Quod ad primum attinet, Chriſtus cùm docuiſſet carnem ſuam verè eſſe cibũ, pollicitus eſt ſe etiam carnem ſuam in cibum daturum, dicens: Et panis quem ego dabo, caro mea eſt, quam ego dabo pro mundi vita: cuius pollicitationis præſtandæ multæ in veteri teſtamento anteceſſerunt figuræ, vt manna, oblatio Melchiſedech, panes propoſitionis, agnus paſchalis, & aliæ prætereà. Quod attinet ad ſecundum, nimirùm effectũ cœnæ, diuus Paulus dicit, quòd calix benedictionis cui benedicimus, communicatio ſanguinis Chriſti eſt, & panis quem frãgimus, communicatio corporis Chriſti eſt. Tum autem ad Epheſios huius cœnæ effectũ notans, vt Irenæus ſentit, tam eſſe nos dicit de Chriſti carne, quàm fuit Eua de latere Adami. Et ad Colloſſenſes docet gentes factas Chriſto concorporeas, quod idem Irenęus fieri communione carnis Chriſti dicit. Quare cùm tam Chriſti ante cœnam promiſsio, quàm ipſius cœnæ effectus claram Chriſti carnis in cibum datæ faciant mentionem, neceſſe eſt omnino vt hæc Chriſti verba in cœna [Hoc eſt corpus meum] quibus ſuæ ſe pollicitationi ſatisfacere oſtendit, etiam de vera carne dicta intelligantur. Nam promittere carnem, & dare figuram, non eſt promiſſa pręſtare. Tum autem figura non communicat ipſam ſubſtãtiam carnis, quam tamen in cœna communicatam, effectus ipſius demonſtrat. Et diuus Cyprianus dicit ab effectu in hoc ſacramento cauſam ęſtimandam. Hoc amplius, cùm Chriſtus fuerit corpus omniũ præcedentiũ vmbrarum (nam ſic de ſeipſo loquitur, Corpus

Ioan. 6.
1. Cor. 10.
Epheſ. 5.
Colloſ. 3.
Cyp. de vncti. chriſm.

pus aptaſti mihi) eum oportet omnes de cibo carnis ſuæ figuras impleuiſſe, & ipſius veritatem re vera nobis exhibuiſſe, non autem nouis abſentium rerum figuris, ne aliquid hîc poſt Chriſtum præſentius expectemus. Denique Chriſtus in cœna nos certiores fecit voluntatis ſuæ, & nouum teſtamentum ſuo ſanguine obſignauit, quod figura ſanguinis, nobis minus firmum & imbecillum redderet. Adhæc Paulus demõſtrat corpus Domini eſſe id quod traditur,quum inquit: Qui mãducat & bibit indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini.Item:Iudicium ſibi manducat & bibit,non diiudicãs corpus Domini.Ac diuus Ambroſius exponit, reum eſſe ſanguinis Dominici,aliud nihil eſſe, quàm pœnas dare mortis Domini: innuens crimen eorum, qui cœleſtem hunc cibum indignè manducãt, par & æquale eſſe eorũ flagitio,qui Chriſti ſanguinem in cruce fuderunt:quod certum eſt argumentum præſentiæ corporis Domini.Si enim indigni (vt diuus Paul' teſtatur)Chriſti corpus in ſacramento ſuſcipiunt, neceſſe prorſus eſt vt ibi verè adſit,re ipſa ſecundum ſubſtãtiam,non figura,virtute,aut ſignificatione. Neque enim ipſum fide amplecti poſſunt,quæ eos in cœlum euehat,vbi Chriſtus dexter aſſidet patri. Nam in eiuſmodi hominibus,fides haudquaquã tanta eſt,vt eius efficacitate participes eſſe queant corporis & ſanguinis Dominici.At recipiunt tamen (ait Paulus)ad iudicium & condemnationem. Quo tandem alio inſtrumento,niſi ore? Ita liquet ſub ſpeciebus viſibilibus ſubſtãtiam diuinam corporis & ſanguinis Domini verè,inuiſibiliter licèt, adeſſe: quam indigni, dum non ſuſcipiunt tanquam cœleſtem cibum, ſed indiſcriminatim & oſcitanter vt cibum communem, iudicium ſibi manducant, quia ſcilicet non diſcernunt quàm ſit hoc corpus dignius omnibus creaturis, tametſi quod ad externam ſpeciem attinet, videtur eſſe panis. Propter hoc (Paulus inquit) inter vos multi imbecilles & inualidi, & dormiunt multi. Sed quis, niſi mentis inops,non videt Chriſtum non dicturum fuiſſe [Hoc eſt corpus meum,] nec vſurum verbo ſubſtantiuo præſentis temporis, niſi ſubſtantiam eius,quod diſcipulis porrigebat,declarare voluiſſet? Poterat enim dicere: Hoc ſignificat corpus meũ:Hoc repræſentat corpus meũ:

1.Cor.11.

Hoc eſt figura corporis vel ſignum: aut hic panis eſt corpus meum. Cùm igitur hos omnes loquēdi modos vitarit, ſimpliciter verba illa accipienda ſunt, vt ipſe ea protulit. Ac niſi ſimpliciter eſſent accipienda, ita vt ſonant: nunquam Euangeliſtæ in iis recitandis tanta inter ſe concordia conſenſiſſent. Vt interim taceam, quòd intellectus verborum Chriſti, quem ſancta Dei eccleſia capit, ipſum Deum & hominem eſſe confirmát. Quòd ni homo eſſet, corpore careret: niſi verè eſſet Deus, horum verborũ veritas (vt Irenæus ait) conſtare nobis haud poſſet. Cùm autem diuinitate ſua cœlum & terram impleat: ac humanitas eius ſit indiuulſè coniuncta diuinitati (corpus enim Chriſti vna & indiſſolubilis perſona eſt cum Deo) intrepidè fatemur vbicunque ſit diuinitas, ibi ſi velit glorioſam eius humanitatem eſſe poſſe, diuina quidem poteſtate, nō propria corporis natura, quod vbique ſponte ſua eſſe non poteſt. Proinde in ſacramento etiam verè adeſſe, quia ita voluerit & ordinarit ipſe Dominus, conſtanter aſſeueramus. Haud igitur mirandum eſt, ſi in multis ſit locis, qui in vno eſt: ſi in pluribus hoſtiis, qui in vna. Etſi autem oculi nec diuinitatem nec humanitatem vidēt, vtranque tamen confitetur fides in hoc ſacramento. Hîc totus eſt, qui & in cœlo eſt totus: cœleſtia non relinquit, & terrena viſitat. Nam & in cœlum aſcēſurus, ſe quotidie nobiſcū fore promiſit vſque ad ſeculi conſummationem, nimirum ſecundum præſentiam maieſtatis ſuæ, prouidentiæ, gratiæ ineffabilis, ſub qua mirifica corporis & ſanguinis eius communio comprehenditur. Itaque & nobiſcum eſt in terra, & cum patre in cœlo: nobiſcum, in aliena ſpecie: cum patre, in propria: in terra, mundās peccatores: in cœlo, mundatos ſuſcipiēs. Tametſi ergo carnem ſuam à nobis ſuſtulit, & corpore in cœlum aſcendit, ad dexteram tamen patris ſedet: hoc eſt, in potentia & maieſtate & gloria patris regnat: cuius regnum nec vllis locorum ſpatiis limitatum eſt, nec vllis dimēſionibus circunſcriptum, quin Chriſtus virtutem ſuam, vbicūque placuerit, in cœlo & in terra exerat: quin ſe præſentem potētia & virtute exhibeat: quin ſuis ſemper adſit, in iis viuat, eos ſuſtineat, confirmet, vegetet, conſeruet, non ſecus ac ſi corpore conſpicuus adeſſet: quin denique

Iren lib. 4. cap. 34.

Auguſt. hom. in Ioã.

eos

eos paſcat diuina & ſpirituali ſua carne, & pretioſo ſanguine reficiat & corroboret,quæ quidem inuiſibiliter ſacramento continentur.

DOROTHEA.

Audiui aliquãdo hęc verba[Hoc eſt corpus meũ:Et,Hic eſt ſanguis meus] non debere ſimpliciter accipi & in propria ſignificatione,vt dicere neceſſe ſit, id quod Chriſtus manu tenebat, verè ac realiter(vt ita dicam)fuiſſe corpus quod diſcipulis porrigebat: imò ſubeſſe in his verbis metaphoram,aut metonymiam potius, quam tranſnominationẽm appellare poſſumus(Secũdum hanc autem nomen rei ſignatæ ſigno defertur propter ſimilitudinem & affinitatem quam habent cum ſuis ſymbolis res ſignatæ: tametſi eſſentiâ ſymbolum à re ſignata longè differat:quòd hæc ſpiritualis eſt & cœleſtis,illud corporeũ & viſibile) atque ita panem appellari corpus Chriſti, quòd ſymbolum ſignúmve ſit, quo Dominus noſter Ieſus Chriſtus veram corporis ſui manducationem nobis offerat. Neque enim panis rem.cui repræſentandæ conſecratus eſt, figurat tantùm ceu nuda & inanis teſſera, ſed verè etiam exhibet.

THEOPHILVS.

Haud equidem eo inficias,ſenſibile illud ſignum panis, facta conſecratione & deperdita panis ſubſtantia manens (ſub quo verè adeſt corporis Chriſti ſubſtantia)aliquando corpus appellari Chriſti:vt in illa oratione eccleſiæ, dici à ſacerdote ſolita, cùm inditur tertia particula ſacræ hoſtiæ tripartitæ,ipſi calici, ſanctum Chriſti ſanguinem ſub ſpecie vini,continenti:Hæc commixtio corporis & ſanguinis tui Domine Ieſu Chriſte,ſit mihi & omnibus ſumentibus ſalus mẽtis & corporis,& ad vitam capeſſendam æternam præparatio ſalutaris. Non enim ibi corpus Domini re ipſa eius ſanguini commiſcetur: cùm naturaliter ſanguis ipſe ſacer in ſancto eiuſdem corpore & receptaculis eius atque venis contineatur.Sed ſpecies panis (quæ ibi Chriſti corpus dicuntur,quia non ſolùm figurant illud,ſed etiam re vera exhibent) commiſcentur tunc in calice, ſpeciebus vini:quæ dicũtur illic eius ſanguis,quia eius ſymbola ſunt, & veritatem ſecum adiunctam ſemper habent.Nam ſigna ipſa appellare cõſueuimus earum rerum nominibus,quas

Lib. de octo quæſt. Dulcitij, quæſt. 6. ſignant, quemadmodum his verbis ſcribit Auguſtinus: Solent imagines earum rerum nominibus appellari, quarum imagines ſunt: ſicut omnia quæ pinguntur atque finguntur ex aliqua materia metalli, aut ligni, vel cuiuſcunque rei aptæ ad opera huiuſmodi. Quæ etiam videtur in ſomniis, & omnes ferè imagines, earum rerum, quarum imagines ſunt, appellari ſolent nominibus. Atque alibi: Si ſacramenta (inquit) quandam ſimilitudinem earum rerum, quarum ſacramenta ſunt, non haberent: omnino ſacramẽta non eſſent. Ex hac autem ſimilitudine, plerumque iam ipſarum rerum nomina accipiunt. Si ergo ſecundum quendam modum, ſacramentũ corporis Chriſti, corpus Chriſti eſt: & ſacramentum ſanguinis Chriſti, ſanguis Chriſti eſt: ita ſacramentum fidei, fides eſt. Hæc ille. Si igitur pictura leonis repræſentans tantùm leonem, & non verè illum in ſe continens, vulgato loquendi more dicitur leo: & ſtatua hominis effigiata ad eius ſimilitudinem dicitur homo, quamuis veram hominis ſubſtãtiam intra ſe non cõtineat: quid mirum, ſi ſpecies panis ſenſibilis poſt cõſecrationem peractam non ſolùm repræſentans, ſed etiam verè exhibẽs Chriſti corpus, dicitur corpus eius? & ſpecies vini, ſub qua verè adeſt Chriſti ſanguis in calice, conſimili ratione dicitur eius ſanguis? Vt igitur ad argumẽtum, quod in mediũ adduxiſti, aggrediar: fatemur ingenuè, quandoque nomen rei ſignatæ ſignum ipſum mutuari: at id locum habere in conſecratione ſacerdotali, & Chriſti verbis. quæ ad eam adhibentur, prorſus inficiamur. Qui verò affirmant in ſupradictis verbis ſubeſſe metonymiam, falsò ſumunt tanquam verum & indubitatum, panem materialem qui conſecratur, peracta cõſecratione, omnis expertẽ mutationis, figuram tantùm eſſe corporis Chriſti abſentis, nec re ipſa contenti in ſacramento ſub ſpeciebus: etſi idem exhiberi per fidem aſſeuerant, dum incomprehenſibili ſancti ſpiritus virtute fidelium mentes in cœlum euehuntur, vt ibi Chriſtum quærant, in corpore & anima ſedentem ad dexteram Dei in gloria patris, vt ſub panis ſymbolo eius alantur carne, ac ſub vini ſigno ſanguine ipſius potentur ac reficiantur, eo toto perfruituri. Sed eiuſmodi verba valent duntaxat ad rem deformandam, obſcurandamque veritatem,

Auguſt. ad Boniſa. epiſt. 23.

tem,quam eccleſia Dei ſancta toto terrarum orbe diffuſa complectitur,nullã in his Domini verbis [Hoc eſt corpus meum,Hic eſt ſanguis meus] metaphorã aut metonymiã agnoſcens,at ſolam in eis adorans veritatem. Neque enim Chriſtus dixit,Hic,id eſt,in hoc pane, eſt corpus meũ:Sed, Hoc,id eſt,hæc ſubſtantia quæ panis ſpeciem gerit:oſtendebat enim ſe illis dare quod manu tenebat: ac demonſtratiui pronominis officium eſt, ſubſtantiam abſolutè & ſine qualitate demonſtrare.Nõ dixit, Apparet:aut,Significat:ſed, Eſt,& verè eſt corpus meum, non panis. Ne quis verò poſſet ambigere de quo corpore loquebatur,addidit: Quod pro vobis tradetur:id eſt,Non aliud,ſed illud idem ſubſtantialiter,quod pro vobis redimendis tradetur ad mortem,& crucifigetur. Neque enim imaginandum eſt, quòd ipſum corpus in vtero virginis formatum deinceps formetur, ſed illud ipſum corpus, quod per ſpiritum ſanctum in vtero virginis formatum,& igne paſsionis in ara crucis decoctum eſt, verbo cœleſti conficitur. Hæc enim verba Domini non ſolùm enunciant veritatem,id eſt,hanc ſubſtantiam eſſe corpus Chriſti: ſed etiam faciunt quod enunciãt. Quamuis autem in iis verbis,quæ diuus Paulus & S. Lucas recitant [Hoc poculum, nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine] tropus inſit: non propterea tamen tropus erit in his [Hoc eſt corpus meum:] cùm enim hic tropus apud alios Euangeliſtas propria locutione explicetur, neceſſarium eſt vt cedat ſenſui ſecundum literam, quæ in Matthæo,& Marco ſic habet:Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, nimirum confirmatiuus. Quod autem ad illa Chriſti verba attinet [Hoc eſt corpus meum,] ſua forma loquendi tropum omnem reiiciunt, tantum abeſt vt vlla ex parte poſsint admittere. Quamobrem ſi quis dicere ſuſtineret,id quod Chriſtus in cœna ſub panis ſpecie tradidit, nouum eſſe teſtamentum in ſuo corpore,nõ eſſet audiendus, licèt Paulus dicat, calicem nouum eſſe teſtamentum in Chriſti ſanguine: innuens nouum teſtamẽtum Chriſti ſanguine confirmari.

Damaſc. de orthod. fid. cap. 4.

De ſummâ trinit. & fid. cath. ca. Firmiter.

DOROTHEA.

Iam accede,ſi ſedet hoc animo,poſt decurſam ſcripturã diuinam,ad ſacrorum doctorum authoritatẽ,& ex eorum

ſcriptis præſentiam carnis Chriſti in Eucharistia, mihi fac commonſtres.

THEOPHILVS.

Sanctus Clemens, qui anno Domini 103. ſuperſtes & incolumis erat, ſecunda quidem epiſtola fatetur, hoc ſacramentum eſſe corpus Chriſti, holocauſtum appellans, hoc eſt, totam igne abſumptam hoſtiã ſeu victimã, quod eſt veri Chriſti corporis proprium: idémque exigit vt magna cum veneratione, conſumantur reliquiæ, hoc ipſo cõfirmans, etiam peracta communione integrum adhuc ſupereſſe ſacramentum.

Diuus Ignatius Antiochenus epiſcopus, qui anno 111. in terris agebat, in epiſtola ad Epheſios circa finem, hæc verba ſcribit: In Ieſu Chriſti nomine congregamini communiter, frangẽtes panem, quod medicamentum eſt immortalitatis, antidotum non moriendi, ſed viuendi per Ieſum Chriſtum in Deo. Et ad Romanos: Nõ comedam (inquit) eſcam corruptionis neque voluptatis huius mundi: panem Dei deſidero, panem cœleſtem volo, panem vitæ, quæ eſt caro Chriſti filij Dei viui, & potum volo ſanguinis eius, qui eſt dilectio incorruptibilis & vita æterna.

Iuſtinus apolog. 2. ad Antoninũ imperatorẽ. Iuſtinus martyr, qui anno Domini 163 viuebat: Atque hoc eſt illud alimentum (inquit) quod apud nos Euchariſtia dicitur, in cuius communionis partem venire nemini fas eſt, niſi qui pro veris habet ea quæ à nobis docentur, & lauacro regenerationis in remiſsionẽ peccatorum tinctus eſt, & ad eum modum vitam inſtituit. Non enim vt communem panem, neque vt commune poculum hæc accipimus: ſed quemadmodum Ieſus Chriſtus ſeruator noſter per verbum Dei factus caro, & carnẽ & ſanguinem noſtræ cauſa ſalutis habuit: ſic etiam cibum illum (quo ſanguis & carnes noſtræ per mutationem nutriuntur) poſtquam per verbum precationis fuerit ab eodem benedictus, edocti ſumus eſſe carnem & ſanguinem illius Ieſu, qui pro nobis fuit incarnatus. Apoſtoli enim in illis ſuis, quæ vocantur Euangelia, monumentis, ſic tradiderunt, præcepiſſe illis Ieſum, quum accepiſſet panem, & gratiis actis benedixiſſet, dicere: Hoc eſt corpus meum: & poculum ſimiliter quum accepiſſet, & gratiis actis benedixiſſet, dicere: Hic eſt ſanguis

gulis meus, illiſque ſolis ea tradidiſſe. Hæc Iuſtinus, qui vt ſignificantiſsimè exprimeret veritatem præſentiæ corporis & ſanguinis Chriſti, confert eam cum veritate corporis & ſanguinis Chriſti ex virgine ſumpti. Tum autem incarnationis & Euchariſtiæ exæquat miracula, tanquam eiuſdem verbi Dei omnipotẽtia facta, oſtenditque cibum illum qui nos nutrit ſecundum mutationem, per verbum precationis, benedictione demum peracta, eſſe carnem & ſanguinem Chriſti, tacitè inſinuans illis verbis interiectis, de mutatione cibi naturalis in carnem & ſanguinem noſtrum, illam mutationem mirabilem quam verbum operatur in benedictione, vt ex pane & vino fiat caro & ſanguis Ieſu. Si enim cibus ille (vt ipſe docet) quo per mutationẽ ſanguis & carnes noſtræ nutriuntur, caro & ſanguis eſt Chriſti: neceſſe eſt ſubſtãtiam illius cibi iam eſſe mutatam miraculo, quo modo mutatur in corpore per naturã, ſubſtantia ſcilicet panis & vini per alimenti rationem in ſubſtantiam noſtram conuerſa.

Irenæus, qui anno 175 florebat: Quomodo autẽ (inquit) conſtabit eis eum panem in quo gratiæ actæ ſunt, corpus eſſe domini ſui, & calicem ſanguinis eius, ſi non ipſum fabricatoris mundi filium dicant, & verbum eius? &c. Et quomodo rurſus dicunt carnem in corruptionẽ deuenire, & non percipere vitã, quæ à corpore Domini & ſanguine alitur? Ergo aut ſentẽtiam mutent, aut abſtineant ab offerendo quæ ſuprà dicta ſunt. Noſtra autem conſonans eſt ſententia Euchariſtiæ, & Euchariſtia confirmat noſtram ſententiam. Offerimus enim ei quæ ſunt eius, congruenter communicationem, & vnitatem prædicantes carnis & ſpiritus. Quemadmodum enim, qui ex terra eſt panis, percipiens inuocationem Dei, iam non eſt communis panis, ſed Euchariſtia ex duabus rebus conſtans, terrena & cœleſti: ſic & corpora noſtra percipientia Euchariſtiam, iam non ſunt corruptibilia, ſed ſpem reſurrectionis habentia. Offerimus autem ei non quaſi indigenti, ſed gratias agentes donationi eius, ſanctificantes creaturam. Quemadmodum enim non indiget Deus eorum quæ à nobis ſunt, ſic nos indigemus offerre aliquid Deo, ſicut Salomõ ait: Qui miſeretur pauperis fœneratur Deo. Quoniã enim nullius eſt

Irenæus cõtra hære. Valent. lib. 4. c. 34.

V

indigens Deus in ſe, aſſumit bonas operationes noſtras ad hoc, vt præſtet nobis retributionẽ bonorum ſuorum. Hæc ille ſanctus epiſcopus & martyr. Cùm autem ait Euchariſtiam (quam corpus eſſe Chriſti fatetur) ex duabus rebus conſtare, quarum altera terreſtris eſt, ſecundum externam panis ſpeciem, quæ res terrena eſt, & res vera, miraculo ſubſiſtens, ac vim alendi etiamnum habens: altera verò cœleſtis, quæ caro eſt domini noſtri Ieſu Chriſti: apertè eos improbat, qui ita figuram corporis Chriſti ſtatuunt, vt diuinæ eius & ſpiritualis carnis ſub panis forma præſentiã pernegẽt. Neque enim eiuſmodi figura res eſt cœleſtis vt altera pars Euchariſtiæ meritò appelletur. Rurſum idẽ Irenæus, Quando ergo (inquit) & mixtus calix, & factus panis percipit verbũ Dei, fit Euchariſtia ſanguinis & corporis Chriſti, ex quibus augetur & conſiſtit carnis noſtræ ſubſtantia: quomodo carnem negant capacem eſſe donationis Dei, qui eſt vita æterna, quæ ſanguine & corpore Chriſti nutritur, & mẽbrum eius fit, quemadmodum Apoſtolus ait, in ea quæ eſt ad Epheſios epiſtola: Quoniam mẽbra ſumus corporis eius, de carne eius, & de oſsibus eius? Nam nõ hæc dicit de ſpiritali aliquo & inuiſibili homine, cùm ſpiritus neq; oſſa neque carnes habeat: ſed de ea diſpoſitione, quæ eſt ſecundum hominem, quæ ex carnibus & neruis, & oſsibus conſiſtit, quæ de calice, qui eſt eius ſanguis, nutritur, & de pane, qui eſt eius corpus, augetur.

Irenæus lib. 5. cont. hæreſ.

Origenes hæc verba declarans [Hoc eſt corpus meũ: hic eſt ſanguis meus] quibus Euchariſtiæ ſacramentum inſtitutum eſt: Panis iſte (inquit) quem Deus verbum corpus ſuum eſſe fatetur, verbum eſt nutritorium animarum, verbum de Deo verbo procedẽs, & panis de pane cœleſtì, qui poſitus eſt ſuper mẽſam, de qua ſcriptũ eſt: Præparaſti in conſpectu meo menſam, aduerſos eos qui tribulãt me. Et potus iſte, quem Deus verbũ ſanguinem ſuum fatetur, verbum eſt potẽs & inebrians præclarè corda bibentium, qui eſt in poculo, de quo ſcriptum eſt: Et poculum tuum inebrians quàm præclarum eſt. Vides vt affirmet Dominũ fateri panẽ ſuum eſſe corpus, & vinum ſanguinẽ? atq; hæc allegoricè ſignificare ſermonẽ Dei, qui ſpiritualiter nutrit animũ, & cor amore Dei perfundit ac inebriat? Atque idẽ alibi:

Origenes hom. 35. in Matth.

Pſal. 23.

Origenes in Leuitic. hom. 9.

alibi: Sed tu (inquit) qui ad Chriſtum veniſti pontificẽ verũ, qui ſanguine ſuo Deum tibi propitium fecit, & recõciliauit te patri, nõ hæreas in ſanguine carnis, ſed diſce potiꝰ ſanguinem verbi, & audi ipſum tibi dicẽtem, quia hic ſanguis meus eſt, qui pro vobis effundetur in remiſsionẽ peccatorum. Nouit qui myſteriis imbutus eſt & carnẽ & ſanguinem verbi Dei. Hoc loco Origenes proprietatẽ verborum Chriſti apertiſsimè tradens, hortatur vt Chriſtum nõ ſolùm hominẽ, ſed etiam Deũ agnoſcamus, nec hæreamus in ſanguine carnis, Chriſtum hominẽ carnem confitentes: ſed diſcamus ſanguinem verbi. Nam idem Deus eſt, qui de ſanguine ſuo loquitur, Hic ſanguis meus eſt. Quia (vt Cyrillus ait) per exinanitionẽ verbi corpus propter vnionem ineffabilem factum eſt verbi proprium. Vnde Chriſtũ fateamur non ſolùm hominem in ſanguine carnis, ſed diſcamus potius eũdem eſſe verum Deum, quod eſt ſanguinem verbi diſcere, & audire illũ dicentẽ, Hic eſt ſanguis meus. Nã (vt ait Origenes) nouit qui myſteriis imbutus eſt, carnem & ſanguinẽ verbi Dei, quòd Chriſtus, qui eſſet Deus & homo, de ſuo corpore & ſuo ſanguine locutus ſit. Et ideò (vt ait Hieronymus) diuinam carnem & ſpiritualem manducamus. Cæterùm niſi verus ſanguis carnis daretur in calice, non eſſet quod diceret Origenes: Non hæreas in ſanguine carnis. Et ſi verba illa Chriſti propria ſignificatione non intelligerentur, non prouocaret Origenes ad illa ſcripturæ verba, Hic eſt ſanguis: quorũ ſenſum, quẽ conabatur perſuadere, cũ ſua emphaſi exprimit, dũ facit Chriſtũ ita loquentem, Hic ſanguis meus eſt: vt de veritate ſanguinis nõ dubitemus, imò illius eſſe intelligeremus, qui verus eſſet Deus & homo, & eum nõ nudi hominis ſanguinem, ſed diuinũ dediſſe ſciamus. Atque hoc eſt, quod Origenes agit iis Chriſti verbis, quæ niſi proprio ſenſu intellecta fuiſſent, quæ dicit Origenes non conſiſterent. Quid enim admoneret ne hæreant in ſanguine carnis, vbi nullus eſt ſanguis, ſed ſola figura, vt Sacramentarij volunt?

Hieronymus in epiſ. ad Epheſ. lib. 1. cap. 1.

Sed nunc quid dicat Cyprianus audiamus: Significata olim à tempore Melchiſedec prodeunt ſacramenta, & filiis Abrahæ facientibus opera eius, ſummus ſacerdos panẽ profert & vinum: Hoc eſt, inquit, corpus meum. Manduca-

Cyprianus de cœna Domini.

uerunt de eodem pane ſecūdum formā viſibilem:ſed ante verba illa cibus ille communis tantùm nutriendo corpori commodus erat,& vitæ corporalis ſubſidium miniſtrabat. Sed ex quo à Domino dictum eſt: Hoc facite in meam commemorationem? Hæc eſt caro mea, & hic eſt ſanguis meus: quotieſcunque his verbis & hac fide actū eſt, panis ille ſuſtantialis & calix benedictione ſolemni ſacratus,ad totius hominis vitam ſalutemq́ue proficit, ſimul medicamentum & holocauſtum ad ſanandas infirmitates & purgandas iniquitates exiſtens. Hæc Cyprianus:ex cuius verbis patet illa Chriſti verba [Hoc eſt corpus meum] adeò proprio ſenſu intellecta fuiſſe,vt loco vocabuli Corporis, ſit à Cypriano,τὸ Caro, poſitum:ſub quo nomine pollicitatio in ſexto Ioannis capite facta eſſet,quum Chriſtus diceret,Panis quem ego dabo,caro mea eſt:cui pollicitationi quoniam ſatiſfecit quum diceret, Hoc eſt corpus, illo priori vocabulo Carnis Cyprianus vti nō dubitauit,oſtendens illis verbis ab ore Chriſti prolatis panem communem fieri panem ſubſtantialem,hoc eſt,verum Chriſti corpus,in quo Chriſto ſubſiſtūt omnia,& hoc quotieſcunque iis verbis,& hac fide actum eſſet. Ac fidem Cyprianus exigit,ne quis putet incātatoria verba eſſe, quæ à quouis ſine Deo dicta hæc efficerent,ſed credamus Deo qui hæc iuſsit fieri,& eius mandatis obtemperantes, hæc que iuſsit fieri exequantur quibus dedit ſacerdotij gratiā, nec dubitemus Dominum ſuis mandatis adeſſe, & verborum prolationi in conſecratione aſsiſtere. Atque ita ſecundum fidem eccleſiæ fiet hæc mirabilis verborum operatio, quæ ſemper proprio ſenſu Domini verba accepit & interpretata eſt.

Athanaſius in orat. de fide, vt citatur à Theodoreto dial. 2.

De horum verborum proprietate extat Athanaſij teſtimonium iis verbis:Corpus eſt,ergo cui dicit, Sede à dextris meis,cuius etiā fuit inimicus diabolus cum malis poteſtatibus,& Iudæi & Græci, per quod corpus pontifex & Apoſtolus & fuit & dictus eſt,per id quod nobis tradidit myſterium dicens:Hoc eſt corpus meum,quod pro vobis frangitur,& ſanguis noui teſtamenti,non veteris, qui pro vobis effunditur. Diuinitas enim neque corpus habet neque ſanguinem,ſed homo quem ex Maria portauit. Hoc agit Athanaſius,vt oſtenderet Chriſtum fuiſſe verum hominem,

minem, quem ex Maria ſumpſit, ideoque nouæ legis pontifex eſt & Apoſtolus, atque hunc pontificatum & Apoſtolatum ait Chriſtum in eo demonſtraſſe nobis, quòd myſterium traderet dicens: Hoc eſt corpus meum, hic eſt ſanguis meus. Adeò iis verbis propria humanitatis natura monſtratur, vt neceſſe habeamus de vero corpore ſuo locutum fuiſſe Chriſtum intelligere, & hominis corpore ex Maria ſumpto, vt ſecundum illud veritas Apoſtolatus & pōtificatus conſtet, vt in vera carne miſſus Deus & homo, & hinc Apoſtolus, veram etiam carnem immolaret Deus & homo, vnde ſit etiam pontifex. Et Chriſtum in cœna corpus ſuum & ſanguinem ſacrificaſſe ſcribit Heſychius. Tum autem Chriſtus in cœna voluntatis ſuæ nos certos reddidit verè corpus ſuum daturum crucifigendum manibus militum, quod propriis manibus in myſterio dedit comedendum. Quare dicit Athanaſius quòd per id quod tradidit myſterium, fuit & dictus eſt pontifex & Apoſtolus. Quòd niſi proprium corpus illis verbis dediſſet, intelligi non poteſt, vt ſeipſum, non ſui ipſius figuram immolaſſe diceretur. *Heſychius in Leuit. lib. 1. cap. 4.*

Baſilius ille magnus quum interrogaretur quanto cum timore, & cum qua animi perſuaſione affectionéve corpus & ſanguinem Chriſti communicemus, ita reſpondit: De timore quidem habemus Apoſtolum, qui ait: Qui mãducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit. Fidem autem faciũt verba Domini, qui dixit: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam cõmemorationẽ. Ecce quomodo Baſilius hęc verba Chriſti [Hoc eſt corpus meum] illa eſſe dicit, quibus fides noſtra innititur, & conſequenter ea vult fidem nobis facere corporis verè dati, vt intelligamus verum corpus comedendum dari. Quod niſi in proprio ſenſu nõ faciunt, quorum ſenſus niſi etiam ſecundum literam accipiendus eſſet, illos de veritate conſulentes qua animi perſuaſione ad communionem accederent, addita verbis veri ſenſus interpretatione edocuiſſet Baſilius, ne quid à vero alienum in hoc myſterio ſaperẽt, nec fineret taciturnitate ſua aliquid falſæ perſuaſionis illis obrepere, vt ex litera quam ille commendarat, verum corpus dari crederent. De quo ipſe hu- *Baſilius in regul. b re. in ter. 172.*

milius ſenſiſſet, nihil dari videlicet, præter figurã: qđ quia non ſenſerat, verbis Chriſti in proprio ſenſu perſpicuis nihil addidit ſuæ interpretationis, ſed verba commendauit, quorũ ſenſum propriũ eo pacto cũ eccleſia profeſſus eſt.

Chryſoſt. in Matth. ho. 83. Chryſoſtomus non aliter de hac quæſtione ſentit. Credamus (inquit) vbique Deo, nec repugnemus ei, etiam ſi ſenſui & cogitationi noſtræ abſurdum eſſe videatur quod dicit, ac ſuperet ſenſum & rationem noſtram. Non illa ſolùm, quæ ante nos iacẽt, aſpiciam⁹, ſed verba quoque eius teneamus. Nam verbis eius defraudari nõ poſſumus!, ſenſus verò noſter deceptu facillimus eſt: illa falſa eſſe non poſſunt, hic ſæpius fallitur. Quoniam ergo ille dixit, Hoc eſt corpus meum, nulla teneamur ambiguitate, ſed credamus, & oculis intellectus id perſpiciamus. Nam vt idem *Chryſoſt. in Mat. hom. 51.* alibi ait: Qui dixit, Hoc eſt corpus meum, rem ſimul cum verbo effecit. Et in priorem ad Cor. epiſt. Magna (inquit) cũ fiducia & reuerenter dixit. Quod enim ait, ita eſt. Quod in poculo eſt, id eſt quod ex latere fluxit, illiuſque ſimus participes. Calicem autem benedictionis vocauit, propterea quòd ipſum in manu habẽtes, ſic ipſum laudamus cum admiratione, quaſi obſtupefacti incredibili munere, benedicimuſque quòd eum ipſum etiam profuderit, atque etiã illius nos omneis participes effecerit.

Hieronymus ad Hediliam, quæſt. 2. Quare diuus Hieronymus hunc in modum ſcribit: Nos autem audiamus panem, quem fregit Dominus, deditque diſcipulis ſuis, eſſe corpus Domini ſaluatoris, ipſo dicẽte ad eos: Accipite, & comedite: Hoc eſt corpus meũ: & calicem illum eſſe, de quo iterum locutus eſt: Bibite ex hoc omnes: Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur, &c. Iſte eſt calix, de quo in propheta le-
Pſal. 115. gimus: Calicem ſalutaris accipiam. Et alibi: Calix tuus ine-
Pſal. 22. brians quàm præclarus eſt. Si ergo panis, qui de cœlo deſcendit, corpus eſt Domini: & vinum, quod diſcipulis dedit, ſanguis illius eſt noui teſtamẽti, qui pro multis effuſus eſt in remiſsionẽ peccatorum: Iudaicas fabulas repellamus, & aſcendamus cum Domino cœnaculum magnũ, ſtratum atque mũdatum: & accipiamus ab eo ſurſum calicem noui teſtamenti, ibiq́; cũ eo Paſcha celebrãtes inebriemur ab eo
Roma. 14. vino ſobrietatis. Nõ enim eſt regnum Dei cibus & potus, ſed iuſtitia, & gaudium, & pax in ſpiritu ſancto. Nec Moy-

ſes dedit nobis panem verum, ſed Dominus Ieſus: ipſe conuiua & conuiuium: ipſe comedens, & qui comeditur. Illius bibimus ſanguinem, & ſine ipſo potare non poſſumus: & quotidie in ſacrificiis eius, de genimine vitis veræ, & vineæ Sorec, quæ interpretatur electa, rubentia muſta calcamus: & nouum ex his vinum bibimus de regno patris, nequaquam in vetuſtate literæ, ſed in nouitate ſpiritus: cantantes canticum nouum, quod nemo poteſt cantare niſi in regno eccleſiæ, quod regnum patris eſt. Hæc ille. Qui quidem verbo panis, quod viſibile eſt, notat, non eſſe ſignificans quod ſenſus renunciant, ſed quod Chriſti verba referunt: quaſi diceret: Quod ſenſibus videtur, panis eſt: ſed ipſa veritate corpus eſt Chriſti, quod ſenſus neſciunt, ſed nouit fides. Ac illam emphaſim habet pronomen [Nos] & ab oculis ad aures, à iudaicis fabulis ad Chriſti verba prouocat Hieronymus. Nos (inquit) Audiamus panem quem fregit Dominus, &c. Sit ſanè oculis carneis panis quem fregit Dominus, auribus certè noſtris ſit corpus Chriſti, propter eiuſdem verba, vt non ſignificet Hieronymus panis materiam eſſe corpus Chriſti, ſed ex pane corpus factum fuiſſe. Vnde quod factum credit, etiam eſſe conuenienter loquitur, vt illa locutione effectio ſubintelligatur. Tum autem loquitur de pane quem fregit Dominus, quod credimus conſecratione factum corpus: fregit enim quod conſecrauerat. Idem in commentariis quibus beati Marci euangelium illuſtrauit: Accepit (inquit) Ieſus panem, & benedicens fregit, tansfigurans panem in corpus ſuum. Et paulò infrà, Formans calicem vino & aqua mixtum in ſanguinem ſuum, vt alio purgemur à culpis, alio redimamur à pœnis. Hoc etiam alibi dicit planius his verbis: Poſtquam typicum Paſcha fuerat impletum, & agni carnes cum Apoſtolis comederat, aſſumit panem qui confortat cor hominis, & ad verum Paſchæ tranſgreditur ſacramentum, vt quomodo in præfiguratione eius Melchiſedec ſummi Dei ſacerdos, panem & vinum offerens fecerat, ipſe quoque veritatem ſui corporis & ſanguinis repræſentaret, id eſt, re ipſa veram carnis & ſanguinis ſui præſentiam offerret & exhiberet. Neque enim verbum

Hierony. in 26. c. Mat.

[Repræſentare] hic ſignificationem ſolam oſtendit, qualem figura efficit, ſed veram & realem ob oculos ponit rei qua de agitur præſentiam, quo ſenſu iuriſconſulti accipiũt, cùm pretium rei repręſentari dicũt, id eſt, pręſenti pecunia ſolui. & legatum eius quod in diem debetur, valere propter repræſentationem. Quæ ſignificatio in Columella annotata eſt, dum ſic ſcribit: Nulla eſt autẽ maior vel nequiſſimi hominis cuſtodia, quàm operis exactio, vt iuſta reddantur, vt villicus ſemper ſe repræſentet. Et: Itaque non ægrè conſequetur, ſi ſemper ſe repræſentauerit, id eſt, præſentem ſe oſtenderit, neque diſceſſerit. Sic & apud Ciceronem ad Atticum: Reliquæ pecuniæ vel vſuram Silio pendemus, dum à Faberio, vel ab aliquo qui Faberio debet, repræſentabimus. Et apud Suetonium in Auguſto: Quam ſummam repræſentari iuſſit. Atque hoc modo vſurpat idem verbum Tertullianus, dum ita ſcribit: Sed ille quidem vſque nunc nec aquam reprobauit creatoris, qua ſuos abluit, nec oleum quo ſuos vngit, nec panem quo ipſum corpus ſuum repræſentauit, id eſt, ſub cuius ſpecie corpus ſuum re vera præſens obtulit. Nam alio quodam in loco Chriſtum affirmat, panem, quem in manus ſumpſit ac diſcipulis diſtribuit, corpus ſuum feciſſe, cùm diceret, Hoc eſt corpus meum. Quæ verba veritatem ſubſtantiæ corporis verè præſentis exprimunt, non autem figuram ſignificant. Tametſi Tertullianus contra Marcioniſtas diſputãs, vt cauſæ ſubſeruiat, ita illa exponit, id eſt, figura corporis mei, rationem ille quidem habens ſpeciei viſibilis, ſub qua verè adeſt corpus Chriſti. Quamobrem idem ſtatim ſubiicit: Figura autem non fuiſſet, niſi veritatis eſſet corpus: nimirùm à figura corporis quæ in viſibili conſiſteret, ad veritatem corporis probandam ducens argumentum. Ob hanc ipſam cauſam alibi confirmat carnem corpore & ſanguine Chriſti veſci, vt & anima de Deo ſaginetur. Et alibi ita loquitur: Non ſciet maritus quid ſecretò ante omnem cibum guſtes? Et ſi ſcierit, panem, non illum credit eſſe qui dicitur: Nam Chriſtus carnem ſuam panem cœleſtem pronunciauit.

Lib. 1. cap. 8

Lib. 11. c. 1.

Lib. 12.

Cap. vlt.

Tertullian. lib. 1. contra Marcionẽ.

Idem lib. 4. cont. Mar.

Tertull. de reſurrect. car. ad vxorem, lib. 2.

Hilarius lib. 8. de trinitate.

Hilarius verò luculentum de hac re teſtimonium reliquit: Eos nunc (inquit) qui inter patrem & filium volun-

tatis

tatis ingerunt vnitatem, interrogo, vtrúmne per naturæ veritatẽ hodie Chriſtus in nobis ſit,an per concordiam vo luntatis? Si enim verè verbum caro factum eſt,& nos verè verbum carnem cibo Dominico ſumimus:quomodo non naturaliter manere in nobis exiſtimandus eſt, qui & naturam carnis ſuæ ad naturam æternitatis ſub ſacramento nobis communicandæ carnis admiſcuit? Vides quo pacto affirmet, Chriſtum nobis in hoc ſacramento communicare naturam ſuæ carnis diuinitati coniunctæ, atque adeò nos ipſi naturaliter copulatos per veram illius manducationem.

Pauló etiam infrà ſic ait:Si verè igitur carnem corporis noſtri Chriſtus aſſumpſit, & verè homo ille, qui ex Maria natus fuit, Chriſtus eſt, nóſque verè ſub myſterio carnem corporis ſui ſumimus, & per hoc vnum erimus, quia pater in eo eſt, & ille in nobis, quomodo voluntatis vnitas aſſeritur,cùm naturalis per ſacramentũ proprietas, perfectæ ſacramentum ſit vnitaris? Hæc ille. Non vtique hac oratione dicit,nos in ſacramento ſymbolum tantùm aut figuram ſumere, veritatem autem in cœlo quærendam eſſe, vt eius ſimus participes: at apertè fatetur nos veſci carne diuina & ſpirituali Chriſti Ieſu, & hac ratione vnum in illo eſſe.

Pauló infrà multò etiam euidentius teſtimonium dicit his verbis;

Ipſe enim ait,Caro mea vere eſt eſca,& ſanguis meus verè eſt potus. Qui edit carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in eo. De veritate carnis & ſanguinis non eſt relictus ambigendi locus. Nunc enim & ipſius Domini profeſſione & fide noſtra verè caro eſt, & verè ſanguis eſt. Et hæc accepta atque hauſta id efficiunt, vt & nos in Chriſto, & Chriſtus in nobis ſit. Anne hoc veritas non eſt?Contingat planè his verum non eſſe, qui Chriſtum Ieſum Deum eſſe negant. Eſt ergo ipſe in nobis per carnem, & ſumus in eo per ſacramentum communicatæ carnis & ſanguinis, dum ſecum hoc quod nos ſumus, in Deo eſt. Hactenus Hilarius. Quis eſt iam qui dubitet,quin non ſolùm verum Chriſti corpus & ſanguis in Euchariſtia inſit, ſed etiam caput illud ſex- *Ioan. 6.*

tum Ioannis de iis intelligatur? cùm præſertim Hilarius hoc, prolatis ex illo ipſo capite verbis vtrumque ita confirmet, vt dicat poſteà de veritate carnis & ſanguinis non relictum eſſe ambigendi locum, propterea quòd illa ſit & Domini profeſſio, & fides noſtra? In hanc ſententiam Epiphanius epiſcopus & doctor, natione Græcus, qui anno Domini 320. viuebat, in libro de vera fide Chriſtiana ſcibit, hæc Chriſti verba declarans, Hoc eſt corpus meum: Et quot ſunt (inquit) quæ ſimilia ſunt? videmus enim quod accepit ſaluator in manus ſuas, veluti Euangelium habet, quòd ſurrexit in cœna, & accepit hæc, & vbi gratias egiſſet dixit, Hoc meum eſt, hoc, & hoc: Et videmus quòd non æquale eſt neque ſimile, non imagini, non inuiſibili deitati, non lineamentis membrorum. Hoc enim eſt rotundæ figuræ, & inſenſibile quantum ad potentiam: & voluit per gratiam dicere, Hoc meum eſt, hoc & hoc: & nemo non habet fidem ſermoni. Qui enim non credit eſſe ipſum verum ſicut dicit is, excidit à gratia & ſalute. Quod autem audiuimus id credimus quòd eſt ipſius. Dominum noſtrum nouimus, totum ſenſum, totum ſenſatiuum, totum Deum, totum mouentem, totum operantem, totum lucem incomprehenſibilem, ſed qui cum gratia nobis hæc largitus eſt. Hæc Epiphanius, qui confirmat æquum eſſe vt credamus nos factos ad imaginem & ſimilitudinem Dei, propter authoritatem verborum ſcripturæ, etiam ſi illam in nobis imaginem deprehendere non queamus. Nam & credimus, inquit, verbis Chriſti dicentis, Hoc eſt corpus meum: quum nihil videamus ſimile nec deitati eius, nec imaginem in carne, nec vlla extent lineamenta membrorum. Vſqueadeò fideles illius temporis verba Chriſti, dum diceret, Hoc eſt corpus meum, in ſenſu proprio dicta intellexerunt.

Epiphanius in lib. Ancoratus.

In eandem etiam ſententiam ait beatus Ambroſius: Re vera mirabile eſt quòd manna Deus pluerit patribus, & quotidiano cœli paſcebantur alimento. Vnde dictum eſt: Panem angelorum manducauit homo. Sed tamen panem illum qui manducarunt, omnes in deſerto mortui ſunt, iſta autem eſca quam accipis, iſte panis viuus qui de cœlo deſcendit, vitæ æternæ ſubſtantiam ſubminiſtrat: &

Ambro. li. de iis, qui myſter initiantur. ca. 8. & 9. allegatur de conſecr. diſt. 2. can. re vera.

quicun-

quicunque hunc panem manducauerit, non morietur in æternum: & corpus eſt Chriſti. Et ſequenti capite. Liquet igitur, quod præter naturæ ordinem virgo generauit: & hoc quod conficimus, corpus ex virgine eſt. Quid hîc quæris naturæ ordinem in Chriſti corpore, cùm præter naturam ſit ipſe dominus Ieſus partus ex virgine? Vera vtique caro Chriſti, quæ crucifixa eſt, quæ ſepulta eſt: verè ergo carnis illius ſacramentum eſt. Ipſe clamat Dominus Ieſus: Hoc eſt corpus meum. Ante benedictionem verborum cœleſtium alia ſpecie nominatur, poſt conſecrationem corpus Chriſti ſignificatur: ipſe dicit ſanguinem ſuum. Ante conſecrationem aliud dicitur, poſt conſecrationem ſanguis nuncupatur. Et tu dicis, Amen: hoc eſt, verum eſt. Quod os loquitur, mens interna fateatur: quod ſermo ſonat, affectus ſentiat. His igitur ſacramentis paſcit eccleſiam ſuam Chriſtus, quibus animæ firmatur ſubſtantia. Atque alibi: Antequam conſecretur, panis eſt: vbi autem verba Chriſti acceſſerint, corpus eſt Chriſti. Denique audi dicentem: Accipite & edite ex eo omnes: hoc eſt corpus meum. Et ante verba Chriſti calix eſt vini & aquæ plenus. Vbi verba Chriſti operata fuerint, ibi ſanguis efficitur, qui plebem redemit. Ergo videte quantis generibus potens eſt ſermo Chriſti vniuerſa conuertere. Deinde ipſe Dominus Ieſus teſtificatur nobis quòd corpus ſuum accipiamus & ſanguinem. Nunquid debemus de eius fide & teſtificatione dubitare? Hæc ille, ex quibus intelligi poteſt, verba ſignificare & nuncupare quibus vtitur, veritatem ipſam hoc in loco exprimere. Nam quod à Domino eſſe ſignificatur, etiam eſt: quod nũcupatur eſſe, eſt: quod vocatur eſſe, eſt: Nam omnia facit & dicit in veritate. Qua ergo veritate, nomen [panis] ſignificat ſubſtantiam naturæ ante benedictionem, eadem veritate ſignificatur nomine corporis, corpus Chriſti, ſubſtantia iam cœleſtis. Idem in commentariis quibus priorem ad Corinthios epiſtolam illuſtrauit, hunc locum enarrans, Probet autem ſe ipſum homo, &c. Deuoto (inquit) animo & cum timore accedendum ad communionẽ docet, vt ſciat mens reuerentiã ſe debere ei, ad cuius corpus ſumẽdum accedit.

Idem li. 4. de ſacramẽtis, cap. 5.

Hoc enim apud ſe debet iudicare, quia Dominus eſt, cuius in myſterio ſanguinem potat, qui teſtis eſt beneficij Dei. Multo clarius eſt quod alibi ait: Sicut verus eſt Dei filius Dominus noſter Ieſus Chriſtus, nõ quemadmodum homines per gratiam, ſed quaſi filius ex ſubſtantia patris: ita vera caro, ſicut ipſe dixit, quam accipimus, & verus ſanguis eius eſt, quem potamus.

Lib. 6. de ſacr. cap. 1.

Cyrillus in Ioannẽ lib. 4. cap. 14.

Item Cyrillus docet: Oportebat igitur (inquit) fidei primùm radices in animo iacere, deinde illa quærere, quæ homini quærenda ſunt. Illi verò antequam crederent, importunè quærebãt. Hac igitur de cauſa Dominus quomodo id fieri poſſit non enodauit, ſed fide id quærendum hortatur. Sic credentibus diſcipulis fragmenta panis dedit, dicens: Accipite, manducate, hoc eſt corpus meum. Calicem etiam ſimiliter circumtulit dicens: Bibite ex hoc omnes, hic eſt calix ſanguinis mei, qui pro multis effũdetur in remiſsionem peccatorum. Perſpicis quia ſine fide quærentibus myſterij modum nequaquam explanauit, credentibus autem etiam non quærentibus expoſuit. Hæc Cyrillus, qui quoniam interpretatur Chriſtum modum manducationis ſuæ in cœna tradidiſſe, ſequitur intellexiſſe eũ verba Chriſti dicẽtis, Hoc eſt corpus meũ, proprio ſenſu intelligenda de carne verè data ad manducandum. Nam eodem capite dicit nos per myſticam benedictionem ſuſcipere Dominũ Ieſum, & in myſtica communione tangere Chriſtũ. Quod idem alibi clarè affirmat his verbis: Quòd autem myſticæ benedictionis communio reſurrectionis Chriſti quedam confeſsio eſt, verbis ipſius probatur. Fractum enim panem diſtribuebat, dicẽs: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur in remiſſionem peccatorum. Hoc facite in meam cõmemorationem. Participatio igitur myſterij vera quędã confeſsio & commemoratio eſt, quòd propter nos & pro nobis Dominus & mortuus ſit & reuixerit, & diuina nos benedictione propter hoc replet. Fugiamus igitur incredulitatem poſt tactum Chriſti, & firmi atque ſtabiles ab omni longè ambiguitate inueniamur. Hæc ſunt verba Cyrilli, quibus certam & veram Chriſti præſentiam in ſacramẽto docet, à verbis Chriſti eam probãs, Hoc eſt corpus meũ, quæ nõ niſi in proprio ſẽſu intellecta id cõfirmare poſſũt.

Idẽ lib. 12. ca. 8.

Idem

Idem alio quodã in loco ita ſcribit: Vt inter nos & Deũ ſingulos vniret Chriſtus, quanuis corpore ſimul & anima diſtemus, modum tamen adinuenit, cõſilio patris & ſapientiæ ſuæ congruentẽ: ſuo enim corpore credentes, per communionem myſticam benedicens, & ſecum & inter nos vnum corpus efficit. Atque alibi: Non poſſunt cum ſanctificatione beatæ vitæ fieri participes, qui per myſticam benedictionẽ Ieſum non ſuſceperunt. Vita enim ſecundum naturam ille eſt, qui ex vno patre genitus eſt, ſed non minus quoque corpus ſuum viuificat. Cõiunctum enim ineffabiliter eſt filio Dei, à quo vniuerſa viuificantur. Idcirco corpus ſuum dicitur, & vnus cum eo eſt. Et poſt pauca: Quòd ſi ſolo tactu ſuo corrupta redintegrantur, quomodo non viuemus, qui carnem illam & guſtamus, & manducamus? Reformabit enim omnino ad immortalitatem ſuam participes ſui. Rurſum alio loco: Mannæ nanque alimentum non æternam vitam, ſed breue famis remedium afferebat. Non ergo erat cibus verus, id eſt, panis de cœlo. Sanctum verò Chriſti corpus, ad immortalitatem & vitam æternam nutriens cibus eſt. Sed aquam illi ex petra biberunt. Quid igitur inde lucrati ſunt, qui mortui fuerunt? non erat igitur pot⁹ ille verus: ſed verus potus eſt ſanguis Chriſti, quo radicitus mors euertitur atque deſtruitur. Nõ enim hominis ſimpliciter ſanguis eſt, ſed eius qui naturali vitæ cõiunctus vita effectus eſt. Propterea corpus & membra Chriſti ſumus, quia per hanc benedictionem myſterij, ipſum filiũ Dei ſuſcipimus. Ac alibi: Chriſtus menſa eſt, in qua panes depoſiti ſunt, quibus omnes participatione corporis ſui ad vitam æternã aluntur. Ego enim (ait) ſũ panis, qui deſcendi de cœlo, & vitam æternam do mundo. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Et panis quem ego dabo, caro mea eſt, quam ego dabo pro mundi vita. Menſæ igitur propoſitio, id eſt, panes, ſanctiſsimum Chriſti corpus, quo ad vitam æternam omnes aluntur, prorſus ſignificat. Iam ad Auguſtinum veniamus. Et ferebatur (inquit) manibus ſuis. Hoc verò, fratres, quomodo poſſit fieri in homine, quis intelligat? Quis enim portatur manibus ſuis? Manibus aliorum poteſt portari homo, manibus ſuis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipſo Dauid ſecundum

Lib. 11. ca. 26. in Ioã.

Idem lib. 4 cap. 14.

Lib. 4. cap. 16.

18. cap.

Auguſt. in pſal. 33.

literam non inuenimus:in Chriſto autem inuenimus. Ferebatur enim Chriſtus in manibus ſuis,quando commēdans ipſum corpus ſuum ait,Hoc eſt corpus meū: ferebat enim illud corp⁹ in manibus ſuis.Ipſa eſt humilitas Domini noſtri Ieſu Chriſti: ipſa multùm commendatur hominibus. Hoc in loco Auguſtinus intelligit Chriſtum ſecundum literam ſe portaſſe manibus ſuis:quod,niſi verba illa Chriſti [Hoc eſt corpus meum] proprio ſenſu accipiantur, ex illis

Idem in pſal.98. non probauit.Sed alibi apertè ſcribit Chriſtum dediſſe carnem ſuam manducandā,adeóque verba Chriſti ſenſu proprio putauit intelligenda, vt non dubitauerit aliis Chriſti verbis,quæ carnem dandam polliceantur,ipſa cœnæ verba quaſi paraphraſi explicare in eo qui ſequitur loco: Menſa

Idem ſerm. de 4.fer.ca. 6. ſponſi tui panem habet integrum & calicem ſanctū, quem panem etſi fractum cōminutumque vidimus in paſſione, integer tamen manſit in illa ſua cum patre indiuidua vnitate. De iſto pane, & de iſto calice dicebat ipſe Dominus: Panis quem ego dedero, caro mea eſt pro ſeculi vita. Et, Calix quem ſanctificauero,ſanguis me⁹ eſt, qui pro vobis fundetur in remiſsionem peccatorum. Hinc patet Auguſtinum ſentire illa verba Chriſti [Panis quem ego dabo] ad cœnam pertinere,& verba Chriſti in cœna illorum verborum ſenſum referre, vt quum Chriſtus diceret, Hoc eſt corpus meum,carnem ſenſerit,nō corporis figuram. Adeò conſtat Chriſti verba proprio ſenſu intellecta fuiſſe. Vnde intellectu facile eſt quid ſibi velit Auguſtinus in ſermone ad infantes,de ſacramento altaris, dum ita loquitur: Hoc quod videtis in altari Dei, etiam tranſacta nocte vidiſtis: ſed quid eſſet, quid ſibi velit, quàm magnæ rei ſacramentum contineret,nondum audiſtis. Quod ergo vidiſtis,panis eſt, & calix, quod vobis etiam oculi veſtri renunciant. Quod autem fides veſtra poſtulat inſtruenda,panis eſt corpus Chriſti, calix eſt ſanguis. Atque hoc paucis verè dicitur, quantum fortè fidei ſatis eſt: ſed fides edoceri cupit.

Eſai.7. Ait enim propheta: Niſi credideritis, non intelligetis. Nunc ergo mihi dicere poſſetis:Iuſſiſti, vt credamus: expone,vt intelligamus. Chriſtus, eo quo placuit die, in cœlum aſcendit: illuc corpus ſuum ſuſtulit, vnde venturus eſt, iudicaturus viuos & mortuos. Ibi iam dexter aſsidet patri.

patri. Quo pacto igitur panis eſt eius corpus, & vinum ſanguis? Ita, fratres, ideo ſacramenta dicuntur, quia in eis aliud videtur, & aliud intelligitur. Quod videtur, ſpeciem habet corporalem: quod intelligitur, fructum habet ſpiritualem. Quæ verba repetit Auguſtinus ſermone ſecundo de verbis Apoſtoli: hoc adiiciens: Qui accipit myſterium vnitatis, & non tenet vinculum pacis, non myſterium accipit pro ſe, ſed teſtimonium contra ſe. Atque alio in loco hanc orationis Dominicæ particulam explanans, Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie: Ante verba Chriſti (inquit) quod offertur, panis dicitur: vbi Chriſti verba deprompta fuerint, iam non panis dicitur, ſed corpus appellatur. Et, Corpus & ſanguinem dicimus illud quod ex fructibus terræ acceptum, & prece myſtica conſecratum rectè ſumimus ad ſalutem ſpiritualem in memoriam Dominicæ paſsionis: quod cùm per man' hominis ad illam viſibilem ſpeciem perducatur, non ſanctificatur, vt ſit tam magnum ſacramentum, niſi operante inuiſibiliter ſpiritu Dei: cùm per hæc omnia, quæ per corporales mot' in illo opere fiũt, Deus operetur.

Allegatur de conſecr. diſt. 2. can. Qui manducant. *Idẽ de verbis Don. in hom. 28.* *Idem lib. 3. de trinit. ca. 4. de cõſecr. diſt. 2. Ca. Corpus & ſanguinem.*

His conſentanea memoriæ prodidit Leo ille magnus in epiſtola ad clerum & plebem Conſtantinopolitanam. *Leo. 1. epiſt. 22.*

In quibus (inquit) iſti ignorantiæ tenebris, in quo hactenus deſidiæ torpore iacuere, vt nec audita diſcerent, vel lectione cognoſcerent, quod in eccleſia Dei, in omnium ore tam conſonum eſt, vt nec ab infantium linguis veritas corporis & ſanguinis inter communis ſacramenta fidei taceatur: quia in illa myſtica diſtributione ſpiritualis alimoniæ hoc impertitur, vt accipientes virtutem cœleſtis cibi, in carnem ipſius, qui caro noſtra factus eſt, tranſeamus, id eſt carni Chriſti coniungamur corpore noſtro effecto magis ſpirituali. Hæc ſunt verba ſãcti illius epiſcopi, qui quidem dum effectum vnionis cum Chriſto non ſimpliciter veſcẽtibus, ſed virtutem cœleſtis cibi accipientibus attribuit, oſtendit diuinam hanc & ſpiritualem carnem ſine virtute ſumi poſſe, hoc eſt, ſine vita æterna: quod in malis contingit ipſorum vitio.

Idem alibi ſic ſcribit: Tũc & ſacrificij munda eſt oblatio, & miſericordiæ ſãcta largitio, quãdo ij, qui iſta depẽdũt, *Serm. de ieiunio ſept. menſ.*

quid operentur intelligunt. Nā dicente Domino, Niſi mā-ducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis: ſic ſacræ menſæ cõmunicare debetis, vt nihil prorſus de veritate corporis Chriſti & ſanguinis ambigatis. Hoc enim ore ſumitur, quod fide creditur, & fuſtra ab illis Amen reſpondetur, à quibus contra id quod accipitur diſputatur. Rurſum in ſermone de paſsione Domini: Hoc eſt (inquit) quo paſcha Domini in azymis ſynceritatis & veritatis legitimè celebratur, dum, fermento veteris malitiæ abiecto, noua creatura de ipſo Domino inebriatur & paſcitur. Non enim aliud agit participatio corporis & ſanguinis Chriſti, quàm vt in id quod ſumimus tranſeamus.

Idē ſermone 14. de paſ. Domi.

Theophylactus in 26. cap. Mat.

Sed veniamus ad alios. Theophylactus hæc verba Domini exponens [Hoc eſt corpus meum] in hunc modum ſcribit.

Porrò dicēs, Hoc eſt corpus meum, oſtēdit quòd ipſum corpus Domini eſt panis, qui ſanctificatur in altari, & non reſpōdens figura. Non enim dixit, Hoc eſt figura: ſed, Hoc eſt corpus meum. Ineffabili enim operatione transmutatur, etiam ſi nobis videatur panis: quoniam infirmi ſumus, & abhorremus crudas carnes comedere, maximè hominis carnem: & ideo panis quidem apparet, ſed caro eſt Chriſti.

Bernardus ſerm. de cœna Domini

Diuus quoque Bernardus fidē nobis facere poteſt præſentiæ carnis & ſanguinis Domini in Euchariſtia, dum ſic ſcribit: Comeſtio itaque ſacramentalis, quantū ad viſiblem ſpeciem, & quantum ad corporis Chriſti veritatem conuenit bonis & malis cõmuniter. Sed eſt alia comeſtio (ſicut iam diximus) bonorum ſolùm modò, quam per Dei gratiam & per fidem ex dilectione operantem, vitæ meritum efficit, & affectus mentium in cordibus percipientium vel miniſtrantium, intercedēte ſpirituali, & ſubtiliori quadam vnione capitis & membrorum. Et, Mira ſunt quæ de sacramento iſto dicuntur, fides eſt neceſſaria, ſcientia rationis ſuperuacua. Scientia ratione & intellectu colligitur, fides ſola authoritate inducitur, &c. Hęc ſunt, fratres, quæ fidem neceſſariò exigunt, rationem omninò non admittunt: expetunt ſimplicem creditorem, arguunt impium diſcuſſorē: & ideò credi oportet ſimpliciter, quod inueſtigari nō poteſt vti-

Ibidem.

teſt vti-

teſt vtiliter. Hic eſt torrens, quẽ trãſuadere non potuit Heliſeus. Nolite itaque quærere, quomodo fiat. Nolite dubitare, vtrùm fiat. Nolite irreuerenter accedere, ne vobis ad mortem fiat.

Totum hunc locum cõcludam definitione ſacri Niceni concilij, quæ huiuſmodi eſt: Peruenit ad ſanctum cõcilium, quòd in locis quibuſdam & ciuitatibus, presbyteris ſacramentá diaconi porrigãt. Hoc neque regulá, neque cõſuetudo tradidit, vt hi, qui offerẽdi ſacrificij non habẽt poteſtatem, his qui offerunt, corpus Chriſti porrigãt. Hîc habes vetũ præſentiæ carnis Chriſti in Euchariſtia teſtimonium. *Conci. Niceni ca. 14.*

DOROTHEA.

Si ſacramenti veritas in ipſo quærenda eſt ſacramento, cur, amabò, canit eccleſia in ſacro miſſæ officio, Surſũ corda: ac populus fidelis reſpondet, Habemus ad Dominum? Nónne ex eo manifeſtè oſtẽditur, corpus Chriſti non eſſe in his corruptibilibus elementis quærendum?

THEOPHILVS.

Diuus Cyprianus quæſtioni huic tuæ ſatisfaciet. Quando (inquit) ſtamus ad orationem, fratres dilectiſsimi, inuigilare & incumbere ad preces toto corde debemus: cogitatio carnalis hominis & ſecularis abſcedat, nec quicquam tunc aliud animus, quàm id ſolum cogitet quod precatur. Ideò & ſacerdos ante orationem præfatione præmiſſa parat fratrum mentes dicendo, Surſum corda: vt dum reſpõdet plebs: Habemus ad Dominum, admoneatur nihil ſe aliud quàm Dominum cogitare debere. Claudatur contra aduerſarium pectus, & ſoli Deo pateat, nec ad ſe hoſtẽ Dei tempore orationis venire patiatur. Confirmat hoc & beatus Auguſtinus, dicẽs: Si denique per vrbes atque oppida, caſtella, vicos, & agros, villaſque priuatas tam apertè ſuadetur & appetitur à terrenis auerſio, & in vnum Deum verumque cõuerſio, vt quotidie per vniuerſum orbẽ humanũ genus vna penè voce reſpondeat, ſurſũ corda ſe habere ad Dominũ: quid adhuc oſcitámus crapulam heſternam, & in mortuis pecudibus diuina eloquia perſcrutámur? Iã vides eccleſiam Dei ſignificare nolle, dũ nos ſublata voce exhortatur: vt animos ſurſum euehamus, corpus Chriſti à ſacramento abeſſe: imò verò eò ſpectare, vt mẽtes deorſum ſi- *Cyprianus de oratione Dominica. allegatur de conſec. diſt. 2. ca. Quando autem ſtamus.* *Augu. lib de vera religione, cap. 3*

xas,& carnalibus cogitationibus demerſas,in ſublime eri-
gamus ad Dominum:quò corda noſtra in fruendis Domi-
ni beneficiis occupata ad ipſorum beneficiorũ authorem
& Dominum contemplandum ſubleuentur,& gratiis agen
Concil. Nicenum de Euchariſtia. dis omnino vacent. Quod ſancta Nicena ſynodus perbellè
explicauir, dum ita loquitur: Ne hîc hæreamus in pane &
vino,quæ menſæ Domini apponuntur:ſed ſurſum animos
fide tollentes,animaduertamus agnum illum Dei,qui mũ-
di peccata delet,in hac præſto eſſe menſa, qui quidem à ſa-
cerdotibus ſacrificatur ἀϑύτως,nõ quaſi reliquarum victi-
marum more iterum occidẽdus,ſed peractæ ſemel paſsio-
nis memoriã renouaturus. Verè autem precioſum eius cor
pus & ſanguinem ſumentes,noſtræ eſſe reſurrectionis ſym
bola credamus. Idcirco enim non multùm,ſed parùm edi-
mus:vt norimus nos hoc cœleſti veſci cibo non ad ſaturi-
tatem,ſed ſanctimoniam. Vides vt ij ſancti patres,qui huic
concilio non ſolùm interfuerunt,verùm etiam præfuerũt,
præſẽtiam corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia fa-
teantur? Adeſſe enim agnum mundi peccata tollentem in
hac menſa,non obſcurè confirmant. Quo tandem pacto,
niſi arcana quadam ratione,diuina & ſpirituali, ſub panis
viniq́ue imagine? Quòd enim admonent,ne hîc in pane &
vino veluti pedem figamus,quæ menſæ ſuperponũtur, hoc
vtique faciũt,vt fidem noſtrã acuãt.quaſi dicãt:Etſi panem
dũtaxat & vinũ vides, nihílque aliud tibi ſenſus renunciãt:
attollere tamẽ debes animũ ad immẽſam Dei potẽtiã, atq;
ita ſub ſpecieb⁹ ſacramẽtalibus corpus & ſanguinẽ Domi-
nicũ credere. Iſtud enim innuũt manifeſtè, dũ aſſeuerãt idẽ
corpus in ſacrificiũ à ſacerdotibus offerri,nõ ita tamẽ qua-
ſi victimarũ in morẽ de integro mactetur, vt in cruce viſi-
bili ſenſibiliq́ue modo ſe ipſe obtulit: at ſic vt nõ patiatur,
aut eius effundatur ſanguis: quomodo Chriſtus ipſe inſti-
tuit,vt offerretur in memoriã perpeſſionis mortiſq́ue ſuæ.
Quòd ſi re vera Chriſti corpus nõ adſit in myſterio, quo
pacto à miniſtro offerri poterit? DOROTHEA.

Col. 3. Cur ergo Paulus nos non euocat ad elementa terrena,
vt in iis Chriſtum quæramus:ſed ad cœlum inuitat & diri-
git,dicẽs: Si reſurrexiſtis vnà cum Chriſto,ſuperna quæri-
te,vbi Chriſtus eſt ad dexteram dei ſedens?

THEOPHILVS.

Diuus Paulus toto hoc capite, nullam ſacramenti mentionem, vt nec præcedenti, facit: at hac nos ſententia hortatur, vt terrenis fluxiſque rebus, quibus nos morti obnoxios antè reddidimus, abiectis & valere iuſſis, cœleſtia bona inhiem⁹. Quaſi dicat, Si cũ Chriſto reſurrexiſtis per fidẽ charitate conditam, nouamque vitam per baptiſmum con ſequuti eſtis, date operam vt omnes veſtræ Deo placeant actiones. Ne res terrenas & fragiles appetite, deſiderij finẽ in iis ſtatuẽtes: at quærite potius ſublimia, cœlóque digna, vbi Chriſtus dexter aſsidet Deo patri. Cùm enim caput ſit, par ſanè ac conſentaneum eſt, vt eum membra ſequãtur, & cum eo coniungi aueant. Clarè nunc ergo vides, Apoſtolũ ab ea fide qua ſacramẽtum iſtud proſequimur, minimè nos abſtrahere velle: ſed incendere potius ad integritatem vitę, vt qui bonis moribus nos informet. Atque hoc verbis con ſequentibus comprobatur: Superna curate, non terreſtria. Siquidem emortui eſtis: hoc eſt, ſcelerata vita per ſuſceptũ baptiſmum in vobis interiit: & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo. Quamobrem nequaquam vos oportet ad res terrenas & humiles, quæ peccato haud vacant, viam affectare, vt illis partis fruamini.

DOROTHEA.

Iam ad tranſſubſtãtiationem, ſi commodum cenſes, aggredere.

THEOPHILVS.

Rationibus è ſcriptura ductis eam declarare tentabo. Promiſit Dominus ſe daturum nobis in panẽ carnẽ ſuam, dicens: Panis quem ego dabo, caro mea eſt, quã ego dabo pro mundi vita. Sed quod promiſit Chriſtus, eum non legimus præſtitiſſe, niſi in cœna. Ergo in cœna dedit carnem ſuã, eandẽ ſcilicet quã dedit pro mundi vita. Præterea quod datũ eſt pro mũdi vita, fuit ſubſtantialiter panis, ſed corpus quod in virginis vtero aſſũpſit: ergo nec hoc quod dabatur in cœna, fuit ſubſtãtialiter panis: ſed illud ipſũ corp⁹ quod pro nobis obtulit in cruce. Hoc amplius clara perſpicuaq; ſunt Chriſti verba [Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis traditur: Hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis effunditur] quæ declarant ſubſtantiam illius quod diſcipulis dedit. In his autẽ ſi tropos admittamus, nihil ab hæreticis tutũ erit.

Quòd niſi verba hæc eſſent ſimpliciter accipiēda, ita vt ſonant, nunquam Euangeliſtæ tanta inter ſe concordia conſenſiſſent. Fateamur ergo neceſſe eſt, Chriſtum diuinam & ſpiritualem carnē ſuam (vt & diuus Hieronymus ait) dediſſe: qua dote eam ornauit, cùm diſtribuit. Dedit autē (vt Cyrillus ait ad Theodoſium) tanquam propriam carnē, & carnē Dei, qua, vt ſacrificio, veſcimur, ait Heſychius. Proinde Chriſtus in cœna ſe propriis manibus ipſe ſacrificauit, vt Iudæis corpus ſuum, quod crucifigendum erat, iam traderet quaſi propriis manibus ſacrificatū. DOROTHEA.

In epiſt. ad Epheſ. lib. 1 cap. 1.

In Leuit. lib. 1. ca. 4. & lib. 2. ca. 8.

Nōdum intelligo, quid hîc tranſſubſtātiationem voces.

THEOPHILVS.

Ea demum ſubſiſtit, cùm prolatis conſecrationis verbis, panis ſubſtantia eſſe in Euchariſtia deſinit, eiuſque accidentia tantùm ſine ſubiecto per miraculum manent, nimirùm color, ſapor, grauitas, ſpiſſitudo, duritics, rotūditas, & ſimilia, ſub quibus eſſe Chriſti corpus incipit, vt tamen eiuſmodi panis accidentibus non afficiatur. Atque idē ſentiēdū de vini ſecūdū ſubſtantiā deſitione, & de ſubſiſtētia ſanguinis Chriſti ſub accidētariis illis proprietatib9. DOROTHEA.

Si panis ſubſtantia, poſt verba cum intentione cōſecrādi prolata, eſſe deſinit in Euchariſtia, ac in panis locū corpus Chriſti ſuccedit: vinūque pariter tranſſubſtantiatur in ſanguinem: tolletur myſterium, quod in cœna ſua Dominus repræſentare voluit. Quid enim eſt cœna, niſi viſibilis & conſpicua promiſsionis eius teſtificatio, quę Ioannis ſexto habetur: nempe, Chriſtum eſſe panem vitæ, qui è cœlo deſcendit? Panis ergo viſibilis, ſymbolū ſit oportet, quo ſpiritualis ille figuretur: niſi nobis perire volumus omnē conſolationis fructū, quem in hac parte ſuſtinendæ noſtrę imbecillitati Dominus indulget. Nam vt interior animę purgatio, per corporeā ablutionē in baptiſmo deſignata, piorū cordibus multo certius obſignatur: ita in Euchariſtia panis ad teſtandū, quòd è Chriſti carne percipitur ſpirituale alimentum, non parū momenti habet. THEOPHILVS.

Quanquam in ſacramentis ſymbola, quæ ſub aſpectum cadunt quandam habere debēt ſimilitudinem cum re ſpirituali quæ figuratur: in ſacramēto tamen Euchariſtię non neceſſe eſt, vt ſubſtantia panis piſtorij, quę per ſe cerni non

poteſt,

poteſt,pro aſpectabili corporis Chriſti ſigno maneat. Tametſi enim in baptiſmo, quæ ſordes corporis eluit aqua, immutata manet, idq́ue vt certius & clarius habeamus teſtimonium internæ animarum noſtrarum ablutionis,quæ in ſanguine Chriſti operante ſancto ſpiritu peragitur: panis tamen materialis poſt conſecrationem haud ſubſtãtialiter permanet, at omnipotentia diuini verbi ita mutatur, vt iam non ſit quod ante conſecrationem erat: ſed verè ac ſubſtãtialiter ſub panis ſpeciebus adeſt Chriſti caro. Cuius cauſa in promptu eſt. Chriſtus enim poſtquam accepit panem, benedixit gratiaſq́ue egit, nõ appellauit panem, Apoſtolis cũ porrigeret: verùm dicens, Accipite, comedite, Hoc eſt corpus meum, re vera corpus ſuum effecit: quippe cùm in Deo, dicere, facere ſit: quemadmodũ ſcriptum eſt: Quoniam ipſe dixit & facta ſunt: ipſe mandauit & creata ſunt. Psal. 33. Nihil eſt enim dictu tam inopinatum atque mirabile, nihil à cogitatione hominis tam remotum, & in omni memoria inauditum; quin ad Dei voluntatem nutumq́ue ſtatim exiſtat. At de aqua baptiſmi, quæ Chriſti ſanguinem refert ac adumbrat, quo animæ noſtræ abluuntur, minimè dixit: Hic eſt ſanguis meus: aut, Hic eſt ſpiritus ſanctus: quemadmodum de pane, vbi benedixit & fregit, dixit; Hoc eſt corpus meum, illud tanquam ipſum quod pro vobis neci dabitur. Vt ergo veniam ad id quod obiicis: nempe, ad aſſerendam myſterij veritatem, adeſſe oportere panem materialẽ, qui Chriſti corp⁹, eſcam nobis ſpiritualem eſſe teſtificetur: verum quidem eſt panem & vinum in altari proponi, adhiberique ad conficiendum ſacramentum, quo ſacramẽtum ex veritate verbi diuini æſtimetur ſecundum eius inſtitutionẽ. Cùm igitur is, qui verbo virtutis ſuæ portat omnia, ſic de Euchariſtico myſterio pronunciat: Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus: ſacramentum ita perficitur, vt eius ſubſtantia ſit corpus & ſanguis Chriſti: ſed viſibiles panis & vini ſpecies ſignificationis ergo manent, ipſorum ſubſtantia per conuerſionem in meliorem, nobiliorem, & præſtantiorem deſinente ſubſtantiã. Ac re vera Euchariſtia iam conſecrata, ſacramentũ eſt permanens. Neque enim vt baptiſmus, in ſola actione & vſu conſiſtit. Quare pro forma, viſibilem habet ſpeciem: pro materia autẽ, corpus Chriſti,

Quo fit vt, ſimulatq; viſibilia ſigna corrupta ſunt, quia forma deperit, ſacramentum etiam deſinat. Sed Euchariſtię cõſecratio, quia non ſacramentum eſt, at res ad ſacramẽtum pertinens, pro forma habet ſancta diuinaque verba, Hoc eſt corpus meum, Hic eſt meus ſanguis; pro materia verò panem & vinum aqua mixtum: adeò vt cùm ſuper ea ipſa in totum prolata fuerint cum intentione conſecrandi verba, conſecratio tãquam forma ſua perfecta eſſe dicatur, & protinus exiſtat Euchariſtiæ ſacramentum, in vſum futurę manducationis præparatum. Quoniam autem conſecratio per omnipotentiam diuini verbi mirabilem ſubſtãtiæ panis mutationem efficit, in diuinam corporis & ſanguinis Chriſti ſubſtãtiam, vnde totus Chriſtus Deus & homo verè in ſacramento adeſt, non poteſt ea ſubſtãtia panis & vini per myſterij veritatem permanere, quanuis vera & integra elementorum proprietas in accidentibus retineatur, quæ ex pluribus tritici granis & vuarum acinis in eum ſtatum & conditionem venerunt, ac etiamnũ per miraculum alendi vim habent.

DOROTHEA.

Niſi triticeus panis ſecundum ſubſtantiã ſuam maneat, quid tandem fidem nobis faciet atque teſtabitur corpus Chriſti eſcam eſſe noſtram? Quo pacto albor ille nobis iſtud ſignificabit?

THEOPHILVS.

Satis eſt vt intelligas carnem Chriſti ſpirituale eſſe alimentum, quo animi noſtri viuificãtur, non aliter ac homo ſuſtentatur & alitur ſecundum corpus, dum panem mãducat, quem in hoc adeſſe ſacramento oculi renunciãt, guſtatus ipſo te ſapore certiorem facit, teſtatur attactus: etſi fides melius edocta per Dei verbum, credit verum Chriſti corpus ſub panis accidentibus, nulla panis ſuperſtite & incolumi ſubſtantia re ipſa adeſſe. Itaque non perit repræſentatio, quam Domin9, vt infirmitati noſtræ ſeſe accommodaret, nobis obiecit, vt nihil tamen neceſſe ſit aliter panem manere, quàm ſecundum ſpeciem, quæ ſenſibus corporis occurrit.

DOROTHEA.

Si ſpectnim

Si ſpectrum & falſa imago panis duntaxat, ac non potius naturalis veritas manet, qua ratione Paulus colligit, nos omnes panem vnum ac corpus vnum eſſe, qui panem vnum ſimul participamus? Prætereo innumeros ſcripturæ locos, vbi panis ac vinum, poſtquam facta ſunt corporis & ſanguinis ſymbola, nomen nihilominus ſuum retinent. 1.Cor.10.

THEOPHILVS.

Similitudo, qua diuus Paulus oſtendit, nos vnum corpus eſſe debere, qui panem vnum ſimul participamus, nõ ſecus atque ex multis granis tritici cõmixtis inter ſe, panis conficitur, nullo modo confert ad probandum, ſubſtãtiam panis in hoc manere ſacramẽto. Nam meminiſſe panis Apoſtolo neceſſe fuit, tanquam materiæ adhibitæ, vnde myſterium cõficeretur. Atque vt tectius de tãto myſterio loquatur, vtitur aliquãdo appellatione veteri, quæ quatenus in panis nomine poſt conſecrationem manet, præteritum reſpicit, vt quum cæcos videre, & claudos ambulare Ieſu ſanante Euangeliſta narrat. Neque eſt quiſquam vel mediocriter in ſcripturis verſatus, qui nõ intelligat eas ſolere res quaſlibet vocare nominibus earũ rerum, ex quibus factæ ſunt: veluti cùm homini dicitur: Quid ſuperbis terra & cinis? Sic ergo panis Domini corpꝰ adhuc vocatur, quia ex pane conficitur, non tanquam ex materia adhibita, ex qua fiat: ſed quia mirabili materiæ conuerſione, in myſterio ſiſtitur, fitque præſens nobis, ipſaque panis ſubſtantia, ea cõuerſione, in precioſiſsimam corporis Chriſti quod ſuccedit, ſubſtantiã deſinit. Panis ergo mutatur, quia non amplius eſt quod erat: & fit corpus Chriſti, quia in myſterio ſub accidentibus panis iam adeſt, quod ante erat, ſed non præſens erat. Proinde in hoc ſacramento corpus Chriſti fit ex pane, exhibendi ordine & exiſtendi, per ſecretam ac ineffabilem ſpiritus ſancti virtutẽ: retinet tamen panis qualitates, intuentium oculis panis adhuc apparens. Quare ſcriptura panem nominat. Vt interim taceã quòd hoc nomen [Panis] ſignificat quicquid vim nutriendi ac reficiẽdi habet. Caro autem Chriſti cibus eſt ſpiritualis, quo fidelis anima viuificatur. Corpus enim Chriſti quod è terra ſumptum eſt, nimirùm è ſacræ virginis vtero, propter ineffabilem cum ſpiritu viuificante coniunctionem, vim Mat.11.

etiam ſanctificãdi & viuificandi habet. Quò fit vt Chriſti corpus etiam panis dicatur qui de cœlo deſcendit, propter naturarũ in Chriſto coniunctionem. Aſtruitur his
Hier.c.11. quòd Hieremias propheta corpus Chriſti panem vocitet, cùm Iudæos alloquens ita ſcribit, Venite, mittamus lignũ in panem eius, hoc eſt, crucẽ in ſeruatoris corpus, vt Hie-
Tertullian⁹ lib.3.& 4. aduerſus Marc. Lac. lib.4. diui. inſt.cap.18. ronymus in hunc locum exponit, Tertullianus, itẽ & Lactantius, cuius hæc verba ſunt: Lignum autem crucem ſignificat, & panis corpus eius: quia ipſe eſt cibus, & vita hominum, qui credũt in carnem, quam portauit, & in crucem, in qua pependit. Ad poſtremũ quatenus ſacramentũ hoc, in ſpecie panis etiãnum habet per miraculum (vti diximus) virtutem nutriendi, generali nomine in ſcriptura panis appellatur. Ac corpus Chriſti quod nobis in hoc myſterio offertur, corpus eius eſt glorioſum, immortale, diuinum, & ſpirituale. Nam (vt diuus Paulus ait) quod ſemina-
1.Cor.15. tur in corruptione, reſurgit in incorruptibilitate: quod ſeminatur in ignominia, reſurgit in gloria: quod ſeminatur in infirmitate, reſurgit in potentia: quod ſeminatur corpus animale, reſurgit corpus ſpirituale. Quocirca nihil abſurdi eſt, quòd in cœlo eum ad dexteram patris eſſe dicimus, in forma glorioſa, viſibili & dimẽſionibus ſuis circunſcripta: in terra verò inuiſibilem in ſacramento, ſine vlla forma & loco.

DOROTHEA.

Sed quale dabat corpus diſcipulis Dominus pridiè quàm pateretur? an non verba ſonant, mortale illud, quod ſtatim tradendum erat, dediſſe?

THEOPHILVS.

Non is certè ſum, qui inficiari velim Apoſtolos Chriſti corpus mãducaſſe, atque illud ipſum quod paſſurum erat: ſed te animaduertere etiam oportet Dominum corpus ſuum illis dediſſe impaſsibilitate dotatum, modo quidem non carnali, at diuino & ſpirituali, vt ſcilicet in veſcentes ſanctificatiõe ageret, non autem à manducantibus oblæderetur in ſacramento. Poſtquam verò reſurrexit, fideles non mortale comederunt corpus, quale habebat quo tempore mortem in viſibili ſpecie oppetiturus erat pro noſtra ſalute (Chriſtus enim excitatus ab inferis iam non eſt

mortis

morti obnoxius) ſed immortale ſemper & impaſsibile ſumpſerunt mãducarúntque diuino quodam & ſpirituali modo. Nec à ratione quiſquam alienum quod dico putabit, Apoſtolos in cœna verũ Chriſti corpus ore ſuſcepiſſe, idem ſubſtãtia quod perpeſſurum erat crucis ſupplicium, non tamen patibile, ſed impaſsibilitate donatum, ſi in memoriam redigamus: Chriſtum in monte transfiguratum, *Mat.17.*
ſuam gloriam tribus diſcipulis conſpiciendam cùm daret, idem corpus habuiſſe, quod & ante transfigurationem habebat, nimirùm patibile: eo tamen exiſtendi modo, eaque claritate, qua guſtum tãtùm immortalitatis ad horam illis præbebat, pati non potuiſſe. Cùm igitur Chriſtus in extrema cœna Apoſtolis corpus ſuum diſtribuit, imminẽte iam *Eſai.53.*
hora, qua à Deo percuſſus & deiectus, ſine decore, vt leproſus iaceret, gloriã ſuam proferre nolebat, ita vt dici poſsit Chriſti corpus eodem momẽto mortale & abiectum vno in loco eſſe viſum: in alio autem glorioſum & immortale; ſed vero corpore oblato, quod illis impaſsibile diuino & ſpirituali modo tradebat, illos in poſterùm facere iubens quod fecerat, ipſis commendabat, ac nobis per eos, perpetuam mortis perpeſsioniſque ſuæ memoriã, qua quidem morte generis humani reconciliationem, & plenam totius mundi redemptionem impetrabat.

DOROTHEA.

Nónne corpus Chriſti glorioſum ſemper eſt corpus? Illud ergò oportet certis dimenſionibus circunſcribi vt locum occùpet, formam item figuramque ſuam habere. Itaque multis in locis ſimul eſſe non poterit.

THEOPHILVS.

Corpus Dominicum hoc myſterio, ſine loco pluribus eſt in locis, ſine forma & dimẽſione: cùm idem corpus (vt antè dixi) diuinum etiam ſit ac ſpirituale: nõ quòd in ſpiritum cõuertatur, ſed quia dotatum ſit chariſmatibus, donis & prærogatiuis ſpiritus, adhec quòd in ſacramento contineatur, ſub viſibilibuſque ſymbolis verè adſit, non carnali quidem modo, ſed diuino & ſpirituali. Quanquam autem caro, vbi ad vitam reuocata fuerit, caro etiam tum futura eſt, in hoc à ſpiritu differens, quia loci ſpatio clauditur, quia videtur, quia tangitur: iſtud tamen in Chriſti

carne ſacraměto minimè aſpectabili nullam vim obtinet, cùm ibi diuina ſit & ſpiritualis propter ineffabilem ſpiritus cum illa cōiunctionem: vt ne addam, quòd Chriſto placet (qui Deus eſt, cui cuncta parent) eam ita nobis comedendam dare, vt nullo loci ſpatio comprehendatur. Ecquis verò dicere auſit, indecorum eſſe minimeque congruens virtuti ac potentiæ glorioſæ diuinitatis, vt ſua carne iudicio arbitrioque ſuo vtatur? Scimus profectò Dominū naturæ legibus non ſubiici: id quod ſatis ſuperque patefecit, cùm ad diſcipulos intraret ianuis clauſis, neque eas vi perfringens, nec expectans dum hominis manu aperirentur: ſed omne ſibi obſtaculum cedere diuina virtute, non ſine inſigni miraculo faciens. Tum enim & corpori Chriſti & ianuis ſua manſit illibata natura, adeò vt corpus eius ſolidum, quod in foribus item ſolidum erat & denſum penetraret, nec loco pelleret: quo nihil ſit magis à naturæ legibus alienum.

Ioan.20.

DOROTHEA.

Phil 3.

Sed dic, amabo te, nónne corpora noſtra, vbi gloria cœleſti & immortalitate donata fuerint, transformabuntur, vt ſint ſimilia corpori Domini glorioſo? Quod ſi ita eſt, Chriſti glorioſo corpori non eſt tribuendum, vt multis ſimul ſit in locis, nec vllo ſpatio contineatur, niſi de noſtris quoque idipſum fateri velimus: quod nullus, opinor, recipiet.

THEOPHILVS.

Corpora quidem noſtra humilia dominus Ieſus Chriſtus transfigurabit, vt conformia reddat corpori ſuo glorioſo, ſecundum efficaciam, qua poteſt etiam ſibi ſubiicere omnia. Proinde infinita non fore fatemur, vt nec glorioſum Chriſti corpus eſt infinitum, etſi per ho[illegible]myſterium multis ſit in locis, nec ſpatio vllo claudatur. Chriſtus enim diuina ſua virtute ſupraque naturam nobis exhibet offértque ſuum corpus, quo nouit modo, ſed eo, quem nec vlla ratio poſſit comprehendere, nec vlla in rerum natura exempla demonſtrare. Cæterùm quùm fatemur præſentiam corporis Chriſti in Euchariſtia, præſentiam intelligimus ſecundùm arcanum myſterij modum, non ſecundùm ambientis loci rationem. Tamen vbicunque ſint myſterij

viſibilia

viſibilia ſigna incorrupta, ibi præſto eſſe verum Chriſti corpus corde credimus & ore fatemur. Quod non eſt naturam corporis conſtituere infinitam, ſed potentiam Dei agnoſcere immenſam, cuius virtute quod agitur fiat: vt qui naturam humanam finitam naturæ diuinitatis infinitæ ſaluis proprietatibus coniunxit admirabili modo, illa etiam ſaluis proprietatibus vtatur inæſtimabili conditione, non diffuſione per omnia, ſed diſtributione in omnes quos regenerauit. Quòd autem Chriſti corpus re ipſa nunc non ſit vbique diffuſum, diuus Auguſtinus luculenter ediſſerit in libro de præſentia Dei, vbi de Ieſu Chriſto ſecundum carnem aſſumptam loquens ait: Noli itaque dubitare, ibi nunc eſſe hominem Chriſtum Ieſum, vnde venturus eſt: memoriterque recole & fideliter tene Chriſtianam confeſsionem: quoniam reſurrexit à mortuis, aſcendit in cœlum, ſedet ad dexteram patris, nec aliunde venturus eſt ad viuos mortuoſque iudicandos: & ſic venturus eſt, angelica illa voce atteſtante, vt ite viſus eſt in cœlum, & eadem carnis viſibili forma atque ſubſtantia: cui profectò immortalitatem dedit, naturam non abſtulit. Secundum hanc formam non eſt putandus vbique diffuſus. Cauendum eſt enim ne ita diuinitatem aſtruamus hominis, vt veritatem corporis auferamus. Non eſt autem conſequens, vt quod in Deo eſt, ita ſit vbique vt Deus. Nam & de nobis veraciſsima ſcriptura dicit, quòd in illo viuimus, mouemur, & ſumus, nec tamen ſicut ille, vbique ſumus. Sed aliter homo ille in Deo: quoniam & aliter Deus in homine proprio quodam & ſingulari modo. Deus enim & homo vna eſt perſona: & vtrumque vnus eſt Chriſtus, vbique exiſtẽs, quatenus Deus: ſed in cœlo duntaxat [in forma viſibili ac dimenſionibus naturalibus] quatenus homo eſt. Eadẽ de ſubſiſtẽtia corporis Chriſti in pluribus locis, non tamen ſimul in omnibus, ſententiam beatus Anſelmus confirmat. Nec tamen (inquit) naturam corporis Domini vbique eſſe dico: quia nec opus eſt, niſi vbi vult, & vbi fidei certo ſacramento hoc operatur, ad quod aſſumpta eſt & glorificata, myſterium ſcilicet ſaluationis humanæ. Et paulò poſt: Sic ergo conſtat in diuerſis locis vno horæ mo-

Auguſt. ad Dardanum epiſt. 67. cap. 3.

Act. 1.

Act. 17.

mento eſſe poſſe corpus Chriſti ſed lege creatricis naturæ, non creatæ. Cùm autem naturæ creatæ natura ſit, creatricis naturæ legibus in omnibus obedire, ſi quando pacta ſua reſoluēda ille permittit qui ea inſtituit, & ordinat non videri, debet errare vel deuiare ab ordine ſuo: maximè in illa natura, quæ in vnitate perſonæ coniuncta eſt illi verbo, per quod facta eſt omnis natura. hæc ille. Fatemur ergo cum vniuerſa omnium temporum eccleſia, corpus Chriſti glorioſum (qui Deus & homo eſt) per myſterium in compluribus eſſe locis, vt loci tamen ſpatio minimè concludatur. Quis verò ita mentis eſt inops, vt negare auſit Chriſtum hoc idem præſtare poſſe in noſtris corporibus priori reſtitutis vitæ, ſi viſum fuerit? ſupra naturam dico, ac diuina virtute. Nónne conſtat Petrum Deo ſecundum naturam cooperante ambulaſſe ſuper terram, eundémque Deo ſecundum virtutem ſuam cooperante ambulaſſe ſuper aquas? Id tamen naturæ vires legéſque tranſgreditur. Non vtique exiſtimo quenquam eſſe mente ſana, qui negare velit, Chriſtum priuſquàm moreretur, ſi cùm alicubi verſatur, eodem horæ momento in alio quodam loco eſſe voluiſſet (tametſi hoc fieri non poteſt per corporis naturam) diuina tamen virtute facere id potuiſſe, natura etiam minimè deſtructa, ſed ſalua & incolumi manente: quandoquidem Deus ſit naturæ author, cuius nutui & imperio obtemperant omnia. Chriſtus dixit habere ſe poteſtatem animam ponendi, ac rurſus eam ſumendi: quod & præſtitit, quum tamen à naturæ legibus ſit alieniſſimum.

Mat. 14.

Ioan. 20.

Ingenuè quidem certè fatemur, ſic Deo viſum eſſe, vt Chriſtus fratrib⁹ per omnia ſimilis fieret, excepto peccato. Atq; vt caro noſtra certa ſua dimēſione conſtat, continetur loco, tangitur, videtur, propriam formam habet: ita Chriſtum carnem induiſſe dicimus, cui incorruptionem dederit & gloriam, veritatem & naturam nō abſtulerit. Excitatus enim à mortuis corporis veritatē diſcipulis probauit. Videte (inquit) & palpate: quia ſpiritus carnem & oſſa non habet. Talis in cœlo & in ſede maieſtatis ſuæ: talis à cœlitibus cernitur & beatis animis, vero conſtans corpore, quod opera ſancti ſpiritus in virginis Dei matris vtero formatum eſt. At hoc minimè prohibere poteſt, quin ſecūdùm

dùm arcanum myſterij modum, verum eius corpus, inuiſibile contineatur in ſacramento, ac re vera adſit ſub panis & vini ſpeciebus, quia ita vult & ſtatuit: eiúſque ipſius nobis idem (qui veritas eſt, & is in quo plenitudo diuinitatis inhabitat) fidem facit, dicens: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur. Quamobrem iubet Paulus, vt ſeipſum probet homo, atque ita de pane illo edat, & de poculo illo bibat. Hanc dicti ſubiiciens rationem, quòd qui edit & bibit indignè, iudicium ſibiipſi edat & bibat, non diiudicans corpus Domini. Ex quibus verbis intelligi poteſt, porrecto nobis ſacramẽto ſub panis & vini ſpeciebus in Euchariſtia, nobis Chriſti corpus & ſanguinem exhiberi, qui vt communicauit carni & ſanguini propter nos, ita ea per quæ nobis coniunctus eſt, ineffabili charitate nobis rurſus communicat & impertit.

DOROTHEA.

Mirificè mihi probatur quod aſſeueras. Sed & alium mihi ex animo ſcrupulum, qui me dies noctéſque ſtimulat & pungit, vt euellas poſtulo. Quî enim fieri poteſt vt Chriſti corpus eodem tempore paſſibile & impaſſibile fuerit, tum videlicet, cùm ipſum diſcipulis in cœna dedit?

THEOPHILVS.

Eſt quòd intelligas in perſona Chriſti ex myſterij conditione, paſſibile & impaſſibile, de ipſius affirmari corpore. Paſſibile erat propter voluntatem: impaſsibile, propter vnionem. Naturâ paſſibile in viſibili ſpecie: in ſacramento datum, per diuinam virtutem impaſſibile. Paſſum eſt in cruce Chriſti corpus, vt caro hominis. Impaſsibile eſt idem in ſacramento datum, vt caro Dei, ſemper Dei & hominis. Atque in hanc ſentẽtiam ait Hieronymus diuinam carnem dari manducandam, non eam quæ ſit crucifixa. Et Auguſtinus Chriſti verba explicans, Non hoc corpus (inquit) quod videtis, comeſturi eſtis. Quibus verbis apertiſſimè ſignificat, corpus quidem verè in cibum dari, at non viſibile, non paſſibile, quale videbant, videlicet in quod dentes poſſent, vt Iudæi, laniatum exercere: ſed corpus ita ſpiritualiter datum iri, vt ſpiritualiter, nimi-

In epiſt. ad Epheſ. lib. cap. 1.
In pſal. 98.

mento eſſe poſſe corpus Chriſti ſed lege creatricis natu
non creatæ. Cùm autem naturæ creatæ natura ſit, crea
cis naturæ legibus in omnibus obedire, ſi quando pa
ſua reſoluēda ille permittit qui ea inſtituit, & ordinat n
videri, debet errare vel deuiare ab ordine ſuo: maximè
illa natura, quæ in vnitate perſonæ coniuncta eſt illi v
bo, per quod facta eſt omnis natura. hæc ille. Fatemur er
cum vniuerſa omnium temporum eccleſia, corpus Chr
glorioſum (qui Deus & homo eſt) per myſterium in co
pluribus eſſe locis, vt loci tamen ſpatio minimè conc
datur. Quis verò ita mentis eſt inops, vt negare auſit Ch
ſtum hoc idem præſtare poſſe in noſtris corporibus pri
ri reſtitutis vitæ, ſi viſum fuerit? ſupra naturam dico, ac
uina virtute. Nonne conſtat Petrum Deo ſecundum n
Mat. 14. turam cooperante ambulaſſe ſuper terram, eundémq
Deo ſecundum virtutem ſuam cooperante ambulaſſe ſ
per aquas? Id tamen naturæ vires legéſque transgreditu
Non vtique exiſtimo quenquam eſſe mente ſana, qui n
gare velit, Chriſtum priuſquàm moreretur, ſi cùm alicu
verſatur, eodem horæ momento in alio quodam loco eſ
voluiſſet (tametſi hoc fieri non poteſt per corporis nat
ram) diuina tamen virtute facere id potuiſſe, natura etiai
minimè deſtructa, ſed ſalua & incolumi manente: quando
quidem Deus ſit naturæ author, cuius nutui & imperi
Ioan. 20. obtemperant omnia. Chriſtus dixit habere ſe poteſtater
animam ponendi, ac rurſus eam ſumendi: quod & præſt
tit, quum tamen à naturæ legibus ſit alieniſſimum.

Ingenuè quidem certè fatemur, ſic Deo viſum eſſe, v
Chriſtus fratrib⁹ per omnia ſimilis fieret, excepto peccato
Atq; vt caro noſtra certa ſua dimēſione conſtat, continetu
loco, tangitur, videtur, propriam formam habet: ita Chri
ſtum carnem induiſſe dicimus, cui incorruptionem dede
rit & gloriam, veritatem & naturam nō abſtulerit. Excita
tus enim à mortuis corporis veritatē diſcipulis probauit
Videte (inquit) & palpate: quia ſpiritus carnem & oſſa
non habet. Talis in cœlo & in ſede maieſtatis ſuæ: talis à
cœlitibus cernitur & beatis animis, vero conſtans corpo
re, quod opera ſancti ſpiritus in virginis Dei matris vtero
formatum eſt. At hoc minimè prohibere poteſt, quin ſecū-
dum

dum arcanum myſterij modum, verum eius corpus, inuiſibile contineatur in ſacramento, ac re vera adſit ſub panis & vini ſpeciebus, quia ita vult & ſtatuit: eiúſque ipſius nobis idem (qui veritas eſt, & is in quo plenitudo diuinitatis inhabitat) fidem facit, dicens: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur. Quamobrem iubet Paulus, vt ſeipſum probet homo, atque ita de pane illo edat, & de poculo illo bibat. Hanc dicti ſubiiciens rationem, quòd qui edit & bibit indignè, iudicium ſibiipſi edat & bibat, non diiudicans corpus Domini. Ex quibus verbis intelligi poteſt, porrecto nobis ſacramēto ſub panis & vini ſpeciebus in Euchariſtia, nobis Chriſti corpus & ſanguinem exhiberi, qui vt communicauit carni & ſanguini propter nos, ita ea per quæ nobis coniunctus eſt, ineffabili charitate nobis rurſus communicat & impertit.

DOROTHEA.

Mirificè mihi probatur quod aſſeueras. Sed & alium mihi ex animo ſcrupulum, qui me dies noctéſque ſtimulat & pungit, vt euellas poſtulo. Quî enim fieri poteſt vt Chriſti corpus eodem tempore paſſibile & impaſſibile fuerit, tum videlicet, cùm ipſum diſcipulis in cœna dedit?

THEOPHILVS.

Eſt quòd intelligas in perſona Chriſti ex myſterij conditione, paſſibile & impaſſibile, de ipſius affirmari corpore. Paſſibile erat propter voluntatem: impaſſibile, propter vnionem. Naturâ paſſibile in viſibili ſpecie: in ſacramento datum, per diuinam virtutem impaſſibile. Paſſum eſt in cruce Chriſti corpus, vt caro hominis. Impaſſibile eſt idem in ſacramento datum, vt caro Dei, ſemper Dei & hominis. Atque in hanc ſententiam ait Hieronymus diuinam carnem dari manducandam, non eam quæ ſit crucifixa. Et Auguſtinus Chriſti verba explicans, Non hoc corpus (inquit) quod videtis, comeſturi eſtis. Quibus verbis apertiſſimè ſignificat, corpus quidem verè in cibum dari, at non viſibile, non paſſibile, quale videbant, videlicet in quod dentes poſſent, vt Iudæi, laniatum exercere: ſed corpus ita ſpiritualiter datum iri, vt ſpiritualiter, nimi-

In epiſt. ad Epheſ. lib. cap. 1.
In pſal. 98.

rùm dignè & innocenter edentibus afferret vitam. Breuiter, Chriſti Dei & hominis vnum fuit corpus, vna caro: & idem corpus ſecundum rationem aſſumpti, patibile & mortale: ſecundum verò ineffabilem vnionem, impaſſibile & viuificum. Quare ſecundum naturam aſſumpti, idem corpus & permiſſum & traditum eſt Iudæis, vt ab illis mactaretur in pretium: ſecundum vnionis rationem, in myſtica benedictione datur fidelibus in cibum.

Vt hanc ergo totam orationem concludamus, Chriſti corpus in ſacramento contineri dicimus, ac inuiſibile re vera adeſſe ſub ſpeciebus panis & vini. Quod non eſt cœleſti eius gloriæ derogare, perinde acſi corpus Chriſti terrenis ac corruptibilibus creaturis alligaremus, aut imaginatione ſub corruptibilia huius mundi, elementa ipſum pertraheremus. Ea enim illius eſt voluntas, vt diuinæ ac ſpiritualis ſuæ carnis præſentiam ſub eiuſmodi ſpeciebus nobis impertiat & communicet, nec interim vllo ſpatio loci concludatur ſymbolorum forma & effigie circumſcripta. Quod fit (vti iam ſæpiuſculè diximus) diuino quodam & ſpirituali modo. Quare eiuſmodi profeſſione nihil eius corpori tribuimus, quod humanæ naturæ veritati repugnet, cùm neque infinitum eſſe dicamus, neque in pluribus ſimul locis circunſcriptiuè, ſecundum rationem quantitatis, quæ metitur ac definit. Nam in ſacramento eſſe, eſt Dei virtute ſiſti quomodo ille nouit, non loco comprehendi qui circundet ac ambiat. Atque vt contrarium verum eſſe velimus, haud tamen abbreuiata eſt Domini manus, vt pro bonæ ſuæ voluntatis placito non poſſit naturam finitam non infinitè tractare. Quis verò neſcit Abacuc diuina virtute raptum eſſe, & momento temporis Babylonem ſalua & integra natura confeſtim delatum fuiſſe? Ergo ſi in ſacramento eſſe idem eſſet, quod in loco eſſe, tale reſponſum iis dare poſſemus, qui negant Chriſti corpus in pluribus locis eſſe poſſe in conſpicuum. Sed quum longè ſecus res habeat, ſanè quàm ineptum eſt quod adferunt aduerſarij.

Dan. 14.

DOROTHEA.

Tu omnem hîc ſcrupulum mihi exemiſti. Proinde nihil iam prohibet quominus ad eos doctores, qui de tranſ-

tranſſubſtantiatione diſſeruerunt, tranſeas.

THEOPHILVS.

Initium ducam à beato Cypriano. Panis (inquit) iſte communis in carnẽ & ſanguinem mutatus procurat vitã & incrementum corporibus. Ideóque ex conſueto rerum effectu fidei noſtræ adiuta infirmitas, ſenſibili argumento edocta eſt, viſibilibus argumentis ineſſe vitæ æternæ effectum, & non tam corporali, quàm ſpirituali tranſitione Chriſto nos vniri. Et poſt pauca: Panis iſte, quem Dominus diſcipulis porrigebat, non effigie, ſed natura mutatus omnipotentia verbi factus eſt caro. Et ſicut in perſona Chriſti humanitas videbatur, & latebat diuinitas: ita ſacramento viſibili ineffabiliter ſe diuina infudit eſſentia, vt eſſet religioni circa ſacramenta deuotio. Vnde ipſemet de iis loquens, qui cruciatuum metu fracti, fidem Chriſti abnegarant, nullâque tanti ſceleris ducti pœnitudine, cum fidelibus ad ſacram menſam accedebant, Euchariſtiam ſuſcepturi: A diaboli (inquit) aris reuertentes, ad ſanctum Domini ſordidis & infectis nidore manibus accedũt. Mortiferos idolorum cibos adhuc penè ructantes, exhalantibus etiamnum ſcelus ſuum faucibus & contagia funeſta redolentibus, Domini corpus inuadunt, quando occurrat ſcriptura diuina & clamet, & dicat: Omnis immundus manducans carnẽ. Et, Anima quæcuunque manducauerit ex carne ſalutaris ſacrificij, quod eſt Domini, & immunditia ipſius ſuper ipſum eſt, peribit anima illa de populo ſuo. Et poſt pauca: Ante offenſam placatam indignantis Domini & minantis, vis infertur corpori eius & ſanguini. Et plus modò in Dominum manibus atque ore delinquunt, quàm cùm Dominum negauerunt. In hoc ipſo libro Cyprianus miracula quædam edita, cùm indignè à nonnullis caperetur hic diuinus cibus, exponit. Præſente (inquit) ac teſte me ipſo accipite quid euenerit. Parentes fortè fugientes, dum trepidi minus conſulunt, ſub nutricis alimento paruulam filiam reliquerunt. Relicta nutrix detulit ad magiſtratus. Illi ei apud idôlum quô populus confluebat, quòd carnem necdum edere poſſet per ætatem, panem mero mixtum, quod tamen & ipſum de immolatione pereuntium ſupererat, tradiderunt. Recepit

Cyprianus de cœna Domini.

Cyprianus ſerm. de lapſis.

filiã poſtmodùm mater. Sed facinus puella commiſsũ tam loqui & indicare nõ potuit, quàm nec intelligere prius potuit, nec arcere. Ignoratione igitur obreptũ eſt, vt mater ſacrificãtib⁹ nobis eã ſecũ inferret. Sed enim puella mixta cũ ſanctis, precis noſtrę & orationis impatiẽs, nũc ploratu cõcuti, nũc mentis æſtu fluctuabũda iactari, velut tortore cogente, quibus poterat indiciis conſcientiam facti in ſimplicibus adhuc annis rudis anima fatebatur. Vbi verò ſolemnibus adimpletis calicem diaconus offerre præſentibus cœpit, & accipientibus cæteris locus eius aduenit, faciem ſuamparuula inſtinctudiuinę maieſtatis auertere, os labiis obturantibus premere, calicem recuſare. Perſtitit tamen diaconus, & reluctanti licèt, de ſacramento calicis infudit. Tunc ſequitur ſingultus & vomitus. In corpore atque ore violato Euchariſtia permanere nõ potuit. Sanctificatus in Domini ſanguine potus, de pollutis viſceribus erupit. Tanta eſt poteſtas Domini, tãta maieſtas. Secreta tenebrarũ ſub eius luce detecta ſunt, ſacerdotẽ Dei nec occulta crimina fefellerunt. Hoc circa infantem, quæ ad loquendum alienum circa ſe crimen, nec dum habuit ætatẽ. Aliud ibidem miraculũ refert de muliere quadam natu iam grandi, quæ fidẽ cùm abnegauiſſet, ac de idolothytis comediſſet, ad eum acceſſit, qui tum ſacrificabat, vt ſacroſanctæ fieret cõmunionis particeps: quam vbi ſuſcepit ore polluto, protinus magno cum cruciatu animam efflauit, non aliter ac ſi venenum hauſiſſet. Addit & aliud de muliere quadam, quæ cùm tentaſſet aperire indignis manibus capſulam in qua Domini ſanctum fuit, repentè ignis exarſit; quo quidem perterrefacta incepto deſtitit, nec attingere auſa eſt. Narrat etiam quendam alium idolorum ſacrificio contaminatum auſum eſſe partem cum cæteris latenter accipere peractis myſteriis, ſed ſanctum Dei edere & contrectare non potuiſſe: cúmque ſe ferre crederet Domini corpus, comperiſſe manibus apertis ſe cinerem portare. Idem Cyprianus ad Cornelium papam de his verba faciens, qui acerbiſſima ſupplicia & teterrimos cruciatus perferebant pro fidei confeſſione, his ſcribit verbis: At verò nunc non infirmis, ſed fortibus pax neceſſaria eſt, nec morientibus, ſed viuentibus communicatio à nobis danda eſt, vt quos

Lib.1.epi.2

excita-

excitamus & exhortamur ad prœliũ,nõ inermes & nudos relinquamus, ſed protectione ſanguinis & corporis Chriſti muniamus: & cùm ad hoc fiat Euchariſtia, vt poſſit accipientibus eſſe tutela, quos tutos eſſe contra aduerſarium volumus, munimẽto Dominicæ ſaturitatis armmeus. Nam quomodo docemus aut prouocamus eos in confeſſione nominis ſanguinem ſuum fundere, ſi eis militaturis Chriſti ſanguinem denegamus? Aut quomodo ad martyrij poculum idoneos facimus, ſi non eos ad bibendum prius in eccleſia poculum Domini, iure communicationis admittimus?

In hanc ſententiam Euſebius Emiſſenus, qui anno viuebat 350. ſcribit homelia quinta Paſchæ: Vera, vnica & perfecta hoſtia fide æſtimanda, non ſpecie, nec exterioris cenſenda eſt viſu hominis, ſed interioris affectu. Vnde meritò cœleſtis cõfirmet authoritas, quia caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Recedat ergo omne infidelitatis ambiguum, quandoquidem qui author eſt muneris ipſe etiam teſtis eſt veritatis. Nam inuiſibilis ſacerdos viſibiles creaturas in ſubſtantiam corporis & ſanguinis ſui, verbo ſuo ſecreta poteſtate conuertit, ita dicens: Accipite & comedite: hoc eſt corpus meum. Et ſanctificatione repetita, Accipite & bibite: Hic eſt ſanguis meus. Vt ergo ad nutum præcipientis Domini repentè ex nihilo ſubſtiterunt excelſa cœlorum, profunda fluctuum, vaſta terrarum: ita parem poteſtatem in ſpiritualibus ſacramentis, verbi præbet virtus, & rei ſeruit effectus. Et paulò pòſt: Nec dubitet quiſquam primarias creaturas nutu potentiæ, præſentia maieſtatis in Dominici corporis tranſire poſſe naturam, cùm ipſum hominem videat artificio cœleſtis miſericordię Chriſti corpus effectum. Sicut autem quicunque ad fidem veniens ante verba baptiſmi adhuc in vinculo eſt veteris debiti, iis verò commemoratis mox exuitur omni fece peccati: ita quando benedicendæ verbis cœleſtibus creaturæ ſacris altaribus imponuntur, ſubſtãtia illic eſt panis & vini: poſt verba autem Chriſti, corpus & ſanguis eſt Chriſti. Quid autem mirum eſt, ſi ea quæ verbo potuit creare, verbo poſſit creata conuertere? Imò iam minoris miraculi videtur eſſe, ſi id, quod ex nihilo agnoſcitur con-

Emiſſenus in oratione de corpore Domini allegatur de conſecr. diſt. 2. can. Quia corpus.

didiſſe, iam conditum in melius valeat commutare.

Theophilus Alexandrinus epiſcopus, qui agebat in terris anno Domini 390. huius ſententiæ aſſertor & defenſor, explanans hæc Chriſti verba [Hoc eſt corpus meum] hoc ita planè dicit, vt nihil eſſe poſſit illuſtrius. Hoc ſcilicet (inquit) quod nunc do, & quod nunc ſumitis. Non autem panis figura tantùm corporis Chriſti eſt, ſed in proprium Chriſti corpus tranſmutatur. Nam Dominus ait: Panis quem ego dabo, caro mea eſt. Sed tamen caro Chriſti non videtur propter noſtram infirmitatem. Panis enim & vinum de noſtra conſuetudine eſt. Si verò carnem & ſanguinem cerneremus, ſumere non ſuſtineremus. Propter hoc dominus noſtræ infirmitati condeſcendens, ſpecies panis & vini conſeruat: ſed panem & vinum in veritatem conuertit carnis & ſanguinis.

Theophilus Alexādrinus in 14. cap. Marci.

Ioan. 6.

Diuus Ambroſius eandem doctrinam tradit, dum ita ſcribit: Aduertimus igitur maioris eſſe virtutis gratiam, quàm naturam: & adhuc tamen propheticæ benedictionis numeramus gratiam. Quòd ſi tantum valuit humana benedictio vt naturam conuerteret, quid dicimus de ipſa conſecratione diuina, vbi verba ipſa Domini ſaluatoris operantur? Nam ſacramentum iſtud quod accipis, Chriſti ſermone conficitur. Quòd ſi tantum valuit ſermo Heliæ, vt ignem de cœlo deponeret: nō valebit Chriſti ſermo, vt ſpecies mutet elemētorū? Et alibi: Vides ergo quàm operatorius ſit ſermo Chriſti. Si ergo tāta vis eſt in ſermone Domini Ieſu, vt inciperēt eſſe, quæ non erant: quanto magis operatorius eſt vt ſint quæ erant, & in aliud cōmutentur? Non erat corpus Chriſti ante cōſecrationē: ſed poſt cōſecrationem dico tibi, quòd iam corpus eſt Chriſti. Ipſe dixit, & factum eſt: ipſe mandauit, & creatū eſt. Et poſt pauca: Si operatus eſt in fonte terreno, ſi operatus eſt ſermo cœleſtis in aliis rebus, non operatur in cœleſtibus ſacramentis? Ergo didiciſti quòd ex pane fiat corpus Chriſti, & quòd vinū & aqua in calicē mittitur: ſed fit ſanguis conſecratione verbi cœleſtis. Sed fortè dicis: Speciem ſanguinis non video: ſed habet ſimilitudinē. Sicut enim mortis ſimilitudinē ſumpſiſti, ita etiam ſimilitudinē precioſi ſanguinis bibis, vt nullus horror cruoris ſit, & preciū tamen operetur redēptionis.

Ambr. de iis qui myſt. init. cap. 9.

Lib. 4. de ſacr. cap. 4.

nis. Didiciſti ergo quia quod accipis, corpus eſt Chriſti. Id ipſum clarius alio quodam in loco exponit. Licèt (inquit) figura panis & vini videatur, nihil tamen aliud quàm caro Chriſti & ſanguis poſt conſecrationem credenda ſunt. Vnde ait ipſa veritas: Hæc caro mea pro mundi vita. Et vt mirabilius loquar, non alia planè, quàm quę nata eſt de Maria, & quæ paſſa eſt in cruce, & quæ reſurrexit de ſepulcro. Hęc inquam ipſa eſt. Et ideo Chriſti caro eſt, quæ pro mundi vita adhuc hodie affertur: & cùm dignè accipitur, vitam vtique æternam in nobis operatur. Panem quidem iſtum quem ſumimus in myſterio, illum vtique intelligo panem, qui manu ſancti ſpiritus formatus eſt in vtero virginis, & igne paſsionis decoctus in ara crucis. Panis enim angelorum factus eſt cibus hominum. Hæc Ambroſij verba ſunt, quibus quidem oſtendit, in ſacramento videri panis & vini figuram (quæ ſimilitudo eſt corporis quod mortem pertulit, & ſanguinis qui fuſus eſt) ſed inibi aliud nihil credendum eſſe poſt conſecrationem, quàm corpus ipſum quod ſumptum eſt de virgine, quod paſſum eſt & ſepultum, quod ſurrexit & in cœlum aſcendit, & ſedet ad dexteram Dei patris, & quod eſt venturum ad iudicandum viuos & mortuos.

Allegatur de conſecr. 2. can. omnia.

Quod ſi ita eſt, non vtique credendum eſt panis & vini ſupereſſe ſubſtantiam, etſi videntur ſpecies elementorum. Itaque fatebimur ſub ipſis ſymbolis veram certámque corporis & precioſiſſimi ſanguinis Chriſti præſentiam. Sed veniamus ad Chryſoſtomum. Is quidem in eo ſermone quem habuit in Encæniis, ſic loquitur: Num ſi ſtercus manibus haberes, auderes appropinquare fimbriæ regis? Num vides panem? num vinum? num ſicut reliqui cibi in ſeceſſum vadunt? Abſit, ne ſic cogites. Quemadmodum enim ſi cera igni adhibita, illi aſſimilatur, nihil ſubſtantiæ remanet, nihil ſuperfluit: ſic & hîc puta myſteria conſumi corporis ſubſtantia: propter quod accedentes, ne putetis quòd accipiatis diuinum corpus ex homine, ſed ex ipſis Seraphin, forcipe ignem, quem ſcilicet Eſaias vidit, vos accipere reputate, ſalutarem ſanguinem quaſi è diuino & impolluto latere effluere: & ita apprópinquantes labiis puris accipite.

Chryſoſto. in ſerm. ad mona. de Euchariſt. in Encæniis

His verbis Chryſoſtomus primùm docet veram corporis Chriſti in Euchariſtia adeſſe ſubſtantiam : deinde panis & vini abeſſe ſubſtantiam:tum manere eorũ accidentia. Niſi enim ſupereſſent accidentia, nulla eſſet fimbria regis quæ exteriori elemẽtorum ſpecie ſignificatur. Quòd ſiquis cõtẽdat viſibiliũ ſpecierũ accidẽtia,nõ eſſet fimbria regis,ſed panis & vini accidẽtia naturalia, vt creaturæ ſint fimbria, non creatoris. Huic ſanctus ille doctor his verbis obſiſtit: Num vides panẽ? num vinũ? quaſi dicat: Tu ergo putas ibi adhuc eſſe panem & vinũ, quaſi ſubſtãtia in illis adſit, quæ inſtar reliquorum ciborum concoquatur. Abſit(inquit) vt ſic cogites. Tum autem quod ſenſit, ſimilitudine explicat: ita ſuſtantiam panis conſumi à corpore Chriſti, ſicut ab igne cerã. Quod ad præſentiam carnis Dominicæ attinet, eam tam clarè docet, vt pro igne intelligat qui abſumat elementorum ſubſtantiam. Myſteria(inquit) conſumuntur corporis ſubſtantia. Atque hæc ita fieri, antequã ſumamus, illud oſtendit, quòd fimbriam regis dicat ea quæ videntur. Quod autem vtitur verbo [Puta] id facit, vt in hoc ſacramento æſtimando putet fidelis, quod dictat fides, & ratio quæ nititur ſenſibus, ſubſeruiat ei quæ ex fide eſt, quam nobis dedit ſpiritus ſanctus. Quoniam verò opus eſt, corpus Chriſti ita præſens in ſacramento ſiſti, & nobis manducandum dari ab homine miniſtro, etiam illud docet, adeſſe videlicet, qui hęc efficiat inuiſibilem ſacerdotem, & quę tam diuina ſunt, diuino & ſpirituali modo porrigere, quum interim miniſter homo ſuo munere viſibiliter fungatur. In quo æſtimando tamen, monet vt ſenſus habeamus captiuos.

Auguſt. De conſecr. diſt. 2. can. Iterum.

Iam videamus quid de hac tota quæſtione ſentiat beatus Auguſtinus. Quia Chriſtũ, inquit, fas vorari dentibus non eſt voluit, Dominus hũc panem & vinum in myſterio verè carnem ſuam & ſanguinem ſuum conſecratione ſpiritus ſancti potentialiter creari, & quotidiè pro mundi vita myſticè immolari : vt ſicut de virgine per ſpiritum ſanctum vera caro ſine coitu creatur, ita per eundem ex ſubſtantia panis & vini myſticè idem corpus Chriſti conſecretur. Corpus Chriſti & veritas & figura eſt : veritas, dum corpus Chriſti & ſanguis virtute ſpiritus ſancti in virtute ipſius

ſius ex panis & vini ſubſtantia efficitur: figura verò eſt id quod extrinſecus ſentitur. Et ſubſcribit Hilarius papa. Corpus Chriſti (inquit) quod ſumitur de altari, figura eſt, dum panis & vinum videtur extra veritas autem, dum corpus & ſanguis Chriſti in veritate interius creditur. In hanc ſententiam dicit alicubi Auguſtinus Dominum diſcipulus dediſſe in vltima cœna figuram corporis & ſanguinis, ſui, haud negans tamen veritatis præſentiam, quam in tam multis aliis locis affirmat, vt, cùm ita ſcribit. Caro eſt Chriſti, quam forma panis opertam in ſacramento accipimus, & ſanguis eius, quem ſub vini ſpecie & ſapore potamus. Caro videlicet carnis & ſanguis eſt ſacramentum ſanguinis: carne & ſanguine vtroq; inuiſibilem, ſpirituali intelligibili ſignatur viſibile Domini noſtri Ieſu Chriſti corpus & palpabile, plenum gratia omnium virtutum, & diuina maieſtate. Et in libro de corpore & ſanguine Domini: Non dubitare, inquit, debet aliquis, cum panis & vinum conſecrantur, ita tranſmutari in veram ſubſtantiam Chriſti, ita vt non remanet ſubſtantiam panis vel vini, cùm multa alia etiam in operibus Dei non minus miranda videamus. Hominem enim ſubſtātialiter mutat Deus in lapidem, vt vxorem Loth: Et in paruo artificio hominis, fœnum & filicem in vitrum. Nec eſt credendum quòd ſubſtantia panis vel vini remaneat: ſed panis in corpus Chriſti & vinum in ſanguinem conuertitur, ſolummodò qualitatibus panis & vini remanentibus.

Augu. 12. cap. cōt. Adamātium. & in prolo. ſup. pſal. 3. De conſecr. diſt. 2. can. hoc eſt.

His accedit Theophylactus eiuſdem aſſertor veritatis: Quum benedixiſſet (inquit) id eſt gratias egiſſet, fregit panem, quod etiam nos facimus preces adiungendo. Hoc eſt corpus meum, hoc inquam quod nunc ſumitis. Non enim figura & exemplare quoddam Domini corporis, panis eſt; ſed in illud ipſum conuertitur corpus Chriſti. Dominus enim dicit: Panis quem ego dabo, caro mea eſt. Non dicit, Figura eſt carnis meæ: ſed, Caro mea eſt. Et iterū: Niſi ederitis carnem filij hominis. Et quomodo, inquis, caro non videtur? O homo, propter noſtram infirmitatem fit: Quia enim panis quidem & vinum ex iis ſunt, quibus aſſueuimus, ea non abhorremus. Sanguinem verò propoſitum & carnem videntes, non ferremus, ſed abhorreremus. Idcir-

Theophylactus in 14. cap. Marci.

co miſericors Deus noſtræ infirmitati condeſcendens, ſpeciem quidem panis & vini ſeruat, in virtutem autem carnis & ſanguinis tranſelementat. Eandem ſententiam pertractat & alibi, dum hæc verba Domini explanat: Panis quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita. Attende (inquit) quòd panis, qui à nobis in myſteriis manducatur, non eſt tantùm figuratio quædam carnis Domini: ſed ipſa caro Domini. Non enim dixit, Panis quem ego dabo, figura eſt carnis: ſed, Caro mea eſt. Trāsformatur enim arcanis verbis panis ille per myſticam benedictionem & acceſſionem ſancti ſpiritus in carnem Domini. Et ne quem conturbet quòd credendus ſit panis caro: et enim & in carne ambulante Domino, & ex pane alimoniam admittente, panis ille qui manducabatur, in corpus eius mutabatur, & ſimilis fiebat ſanctæ eius carni, & in augmentum & ſuſtentationem conferebat iuxta humanum morem. Igitur & nunc panis in carnem Domini mutatur.

In 6. cap. Ioan.

Iſtud ipſum affirmat & Damaſcenus. Panis (inquit) & vinum non ſunt figura Chriſti corporis & ſanguinis: hoc Deus auertat: ſed ipſum corpus Domini deificatum, cùm ipſe Dominus dixerit: Hoc eſt non figura corporis, ſed corpus meum: nec figura ſanguinis, ſed ſanguis. Et anteà Iudæis, Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus. Tranſmutatur autem (vt idem ſuprà aſſeuerat) panis in corpus: & vinum in ſanguinem Dei. Quòd ſi modum requiris, quo pacto id fiat: ſat tibi ſit audire quoniam per ſpiritum ſanctum, quemadmodum ex ſancta Deipara ſeipſo & in ſe ipſo Dominus carnem ſuſtentauit: & nihil amplius cognoſcimus, quàm quòd verbum Dei verum eſt, efficax & omnipotens; modus autem inſcrutabilis. Et paulò pòſt: Propoſitionis panis, vinum & aqua per inuocationem & aduentum ſpiritus ſancti ſupernaturaliter tranſmutantur in corpus & ſanguinem Chriſti, & non ſunt duo, ſed vnum & idem. Fit igitur iis qui fide dignè aſſumunt, in remiſsionem peccatorum, & in vitam æternam in cuſtodiámq; animæ & corporis. His autem qui in infidelitate indignè participāt, in punitionem & ſupplicium

Damaſcenus lib. 4. orthod. fid. cap. 14.

Rurſus

Rurſus idem paulò antè: Si verbum Dei (inquit) viuens eſt & efficax, & omnia quęcunque voluit fecit: ſi volens ipſe Deus verbum factus eſt homo, & ex ſanctæ virginis puriſſimis & illibatiſsimis ſanguinibus, in ſe ipſe ſine ſemine carnem ſuſtẽtauit, non poteſt, panẽ ſuipſiuscorpus facere. & vinũ & aquã ſãguinẽ? Dixit in principio: Producat terra herbã virẽtẽ: & vſque nũc pluuia facta producit germina, diuino coadiuta & vigorata præcepto. Dixit Deus, Hoc eſt corpus meum, & hic eſt meus ſanguis, & hoc facite in meã commemorationem: & omnipotenti eius præcepto donec veniat efficitur. Nam quemadmodum omnia quæcunque fecit Dominus, ſpiritu ſancto operante fecit: ſic & nũc ſpiritus ſancti operatione, hæc ſuper naturã operatur, quæ non poteſt capere niſi ſola fides. Et iterum: Carbonem vidit Eſaias. Carbo autem ſimplex non eſt, ſed vnitus igni: ſic panis cõmunionis non panis ſimplex eſt, ſed vnitus diuinitati: & corpus vnitum diuinitati, non vna ac eadem illi natura eſt, ſed vna corporis, vnitæ diuinitatis altera: quare amborum ſimul non vna natura eſt, ſed duæ. Proinde omni cum timore, & conſcientia pura, & indubitabili fide accedamus: & omnino fiat nobis quemadmodum credimus, non dubitantes, & veneremur ipſum omni puritate animi & corporis, accedamus ei deſiderio ardenti, manus in crucis modum formantes, crucifixi corpus ſuſcipiamus.

Idẽ tradit Euthymius doctor Græcus iis verbis: Itaque ſicut vetus teſtamentum hoſtias & ſanguinem habebat, ita ſanè & nouum, corpus videlicet & ſanguinẽ Domini. Non dixit autem: Hęc ſunt ſigna corporis & ſanguinis mei: ſed, Hæc ſunt corpus meum & ſanguis meus. Oportet ergo nõ ad naturam eorum quæ proponũtur aſpicere, ſed ad virtutem eorũ. Quemadmodum enim ſupernaturaliter aſſumptam carnem deificauit, ſi ita loqui liceat: ita & hæc ineffabiliter tranſmutat in ipſum viuificum corpus ſuum, & in ipſum precioſum ſanguinem ſuum, & in gratiam ipſorum. *Euthymius in Mat. ca. 64.*

Hãc ſententiã cõfirmat diuus Anſelmus ita ſcribẽs: Chriſtus dicit, Ego ſum oſtiũ. Sed ſignificatiuè, non ſubſtãtiuè eſt oſtiũ. De hoc ſacramẽto altaris longè alius dicẽdi modus habetur. Sic enim habem⁹ in Euãgeliis: Accepit panem, benedixit, & fregit, deditque diſcipulis, dicens: Accipite & *Anſelmus in lib. de miſter. eccleſia.*

mādụcate ex hoc omnes. Hoc eſt enim corpus meū quod pro vobis tradetur. Quando in manus accepit, panis erat. Sic enim dicit: Accepit panem. Et per illā benedictionem fit panis, corpus Chriſti: non tantùm ſignificatiuè, verùm etiam ſubſtantiuè. Neque tamen ab hoc ſacramento, figuram omninò excludimus: neque figuram ſolam admittimus. Veritas eſt, quia corpus Chriſti eſt. Figura eſt, quia immolatur quod incorruptibile habetur. Conſideremus vtique verba Domini: Manducate (inquit) ex hoc omnes. Hoc enim quod vobis ad manducandum trado, eſt corpus meum. Et vt certi eſſent, quòd re vera eſſet corpus Chriſti, ſigna expreſſit, quibus hoc dignoſcere poſſint. Hoc eſt (inquit) corpus meū, quod pro vobis tradetur. Si hoc, corpus Chriſti, non tamen ſubſtantiuè, ſed ſignificatione tantùm fieret, hoc eſt, figura corporis Chriſti tātùm exiſteret: nihil ad figuram quod ſequitur. Quod pro vobis (inquit) tradetur. Nec panem nominauit, poſtquam panem benedixit, ſed corpus. Nec vinum nominauit, poſtquam vinum benedixit, ſed ſanguinē Chriſti. Igitur ſicut fides catholica credit, panis qui offertur ſacerdoti ad cōſecrandum, per ſacerdotalem benedictionem fit corpus Chriſti, non ſignificatiuè tantùm, ſed ſubſtantiuè. Hæc ille. Sed & alibi idem planè docet. Cùm ad benedictiones (inquit) myſticas operāte inuiſibiliter verbo Dei, corpus in corpus, ſubſtantia mutata ſit in ſubſtantiam: ſicut in menſa nuptiali aqua in vnū mutata ſolum affuit vinum, in quod aqua mutata erat: ſic in menſa altaris ſolùm adeſt corpus Domini, in quod verè mutata eſt vera panis ſubſtantia: niſi quod de aqua nihil remanſit in mutatione illa: de pane verò mutato, ad peragēda ſacri inſtituta myſterij, ſola remanet ſpecies viſibilis. Et ibidem circa principium: Similitudo illa panis, quæ in altari carnis ſe oculis ingerit, per ſe inſpecta, nō eſt corpus Domini. Sed cùm eſſet quiddā priori ſimile, id eſt, pani inhærens vel accidens, migrante in corpus Dominicum ſubſtantia cui inhærebat, remanſit ad peragendum ſacri inſtitutum myſterij. Quod quidem cōtra vſum & rationem eſt mundanæ ſapientiæ, vt ſublata ſubſtantia, ſubſtantiæ accidens ſubſiſtat. Sed legi naturæ non ſubiacet Deus: imò ipſius legis lex, eſt creator ſuus, poteſtque accidētia ſubducto ſub

In lib. de corp. & ſāgui. Chriſti, in epiſt. prælium.

ĉto ſubſtātiæ fundamēto vel cōtinere, vel in aliā trāſferre ſubſtātiā, qui terrā vel ſecūdū vnū prophetā, appēdit in nihilo: vel ſecundū aliū, ſuper maria fundauit eā, & ſuper flumina præparauit eam. Et paulò pòſt idem ſubuertit. Eſt igitur in myſteriis vera Dominici corporis ſubſtantia, ſed abſque viſibili ſpecie ſua: & eſt vera ſpecies viſibilis panis, ſed abſque ſubſtantia ſua. *Iob.26.* *Pſal.23.*

Huic ſubſcribit Rabanus Moguntinus olim archiepiſcopus. Figura (inquit) eſſe hoc ſacramētū videtur, dū in viſibili ſpecie frāgitur. Aliud intelligitur, quā quod viſu cernitur & guſtu ſentitur, dūque viuū in calice ſimul cū aqua miſcetur. Porrò illud fidei ſacramētū iure veritas appellatur. Veritas, dū corpus Chriſti & ſanguis, virtute ſpiritus in verbo ipſius, ex panis viníque ſubſtātia efficitur. Figura verò, dū ſacerdote quaſi aliud gerente ob recordationē ſacræ paſſionis, ad arā, quod ſemel geſtū eſt, quotidiè immolatur agnus. Iure igitur ſimul veritas & figura dicitur: vt ſit figura vel character veritatis, quod exterius ſentitur: veritas verò, quicquid de hoc myſterio rectè intelligitur aut creditur. Non enim omnis figura vmbra eſt vel falſitas. Vnde Paulus de vnico Dei filio ad Hebræos loquens ait: Qui cū ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtātiæ eius. Hæc ſunt eius verba. Sed & multo clarius tertio capite eiuſdem libri loquitur. Omnia (inquit) quæcūque voluit Dominus fecit in cœlo & in terra. Et quia voluit ea ſic eſſe, licèt in figura panis & vini, omnino nihil aliud quàm caro Chriſti & ſāguis poſt cōſecrationē credēda ſunt. Vnde ipſa veritas ad diſcipulos: Hæc, inquit, caro mea eſt pro mūdi vita. Et vt mirabilius loquar, nō alia planè, quā quæ nata eſt de Maria, & paſſa in cruce, & reſurrexit de ſepulchro. Hæc, inquā, ipſa eſt, & ideo caro Chriſti eſt, quæ pro mūdi vita adhuc hodie offertur, & cū dignè percipitur, vita vtique æterna in nobis reparatur, &c. Iam videamus quid de eadem quæſtione venerabilis pater Hugo de ſancto Victore ſentiat. Cùm vnum ſit ſacramentum (inquit) tria ibi diſcreta proponuntur: ſpecies videlicet viſibilis, veritas corporis, & virtus gratiæ ſpiritualis. Aliud eſt enim viſibilis ſpecies, quæ viſibiliter cernitur. Aliud eſt veritas corporis & ſanguinis, quæ ſub viſibili ſpecie inuiſibiliter creditur: atque aliud gratia ſpi- *Hugo de ſancto Victore 2. lib. de ſa. cap. 7. part. oct.*

ritualis, quæ cum corpore & ſanguine inuiſibiliter & ſpiritualiter percipitur. Quod enim videmus, ſpecies eſt panis & vini. Quod autem ſub ſpecie illa credimus, verum corpus Chriſti eſt, & verus ſanguis Ieſu Chriſti, quod pepēdit in cruce, & qui fluxit de latere eius. Nec per panem & vinum, corpus & ſanguinem tantùm ſignificari credimus: ſed ſub ſpecie panis & vini, verum corpus & verum ſanguinem conſecrari. Et ſpeciem quidem viſibilē, ſacramentum eſſe veri corporis & veri ſanguinis: corpus autem & ſanguinem ſacramentum eſſe gratiæ ſpiritualis. Et quemadmodum ſpecies illic cernitur, cuius res vel ſubſtantia ibi eſſe non creditur: ſic res ibi veraciter & ſubſtantialiter præſens creditur, cuius ſpecies non cernitur. Videtur enim ſpecies panis & vini, & ſubſtantia panis & vini non creditur. Creditur autem ſubſtantia corporis & ſanguinis Chriſti, & tamen ſpecies non cernitur. Hæc ille.

Bernardus de cœna Domini. Porro beatus Bernardus iiſdem ferè verbis eandem ſententiam explicat. Vt, inquit, ſpecies ibi cernuntur, quarum res aut ſubſtantiæ eſſe non creduntur: ita res verè & ſubſtantialiter creditur, cuius ſpecies non videtur. Species enim panis & vini videtur, & ſubſtantia panis ac vini non creditur. Subſtantia autem corporis & ſanguinis Chriſti creditur, & ſpecies tamen non videtur. Species ergo panis & vini proponitur, vt plena perfectáque refectio eſſe doceatur in ſumptione corporis & ſanguinis Chriſti, ac plena refectio cibi & potus. Subſtantiæ autem cibi & potus præcipuæ, panis & vinum ſunt. Et in quodam ſermone exponens hunc locum Prophetæ, Iſte formoſus in ſtola ſua: Ne *Eſai.63.* memineris (inquit) priorum, noua ego facio. Quid magis nouum, quàm quòd in myſterio Dominici corporis mutatur materies, & ſpecies ſeruatur? priſtina manet forma: ſed noua gratia, quia noua ſubſtantia. noua quidem, non in ſe, ſed in huiuſmodi ſpecie. Nouum planè, quòd carnis Dominicæ ſubſtantia in aliena ſpecie ſumpta, ſanctificationem virtutis animæ confert, & ſpiritualem mundat ſubſtantiam in myſterio altaris immaculata caro. Nouum quidem & ſupra reliquorum vſum ſacramētorum, quòd non modò ſanctificationis

tionis noua gratia datur,ſed & ſubſtantia naturalis mutatur. Nam per ſacramenti benedictionem accipit oblatus panis hanc ineffabilem mutationem ex myſtica conſecratione & verbi viuentis copulatione: hæc viuifica gratia in carnem Chriſti redũdat. Caro enim non prodeſt quicquã, ſed ſpiritus qui viuificat, ſacroſanctæ carni cõferens in ſolenni ſacramento ſpiritualem efficaciam, ad viuificandos tanti participes myſterij. Formoſus ergo in ſtola, hoc eſt, in carne ſua: ſed multò formoſior in aſſumpto ſpiritu, qui vtique carne præſtãtior, quia verbo vicinior. Sic Bernardus: Cui aſtipulatur Marcus Marullus in Euangeliſtario, de ſacramento corporis Chriſti diſſerens. Pœnitentes (inquit) de iis quibus te offendimus Domine, & eadem ſacerdoti tuo cõfeſſi, atque ab ipſo cui tu poteſtatem ſoluendi dediſti abſoluti, ad mẽſam ſaluberrimi conuiuij tui accedimus, vt corpori & ſanguini tuo communicemus, indigni quidem, ſed tamen abs te inuitati, qui infirmitati noſtræ præſentaneum porrigens remediũ, ſacratiſſimum corpus tuũ ſub ſpecie panis: Accipite, inquis, & comedite: Hoc eſt corpus meum. deinde precioſum ſanguinem tuum ſub ſpecie vini in calicem infuſum propinans ais: Bibite ex hoc omnes: Hic eſt enim ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis effundetur in remiſſionẽ peccatorũ. Et antè per Salomonem in prouerbiis hortatus es dicẽs: Venite & comedite panem meũ, & bibite vinũ quod miſcui vobis. Ad tuũ ergo cõuiuiũ à te inuitati, à te vocati accedimus, cũ plena fide, cũ indubitata credulitate cõfitentes panẽ & vinũ tuis verbis à tuo ſacerdote conſecratũ tuũ eſſe corpus, tuũ eſſe ſanguinẽ. Tu enim ipſe qui veritas es, hoc teſtaris & affirmas, cui minimũ refragari, infidelitatis crimẽ eſt. Panis viniſque figurã oculis cernimus, odorẽ naribus haurimus, ſaporẽ ore guſtamus, duritiẽ atq; liquorẽ tactu ſentimus: & tamẽ nõ noſtris ſẽſib', ſed tuo teſtimonio credim'. Omnis enim homo mẽdax, tu ſolus verax, tu ipſa veritas, quæ nec decipi poteſt, nec decipere. Nos itaq; corp' tuũ clemẽtiſsime Domine, & tuũ ſãguinẽ aliena ſpecie velatũ fideliter accipim', nec omnino qua ratione id fieri poſsit quęrim', aut quomodo panis viniq; ſubſtãtia in ſubſtãtiam corporis & ſanguinis tui trãſeat, cũ accidẽtia non mutẽtur, ſcrutamur.

Ioan. 6.

Marcus Marullus lib. 2. Euãgeliſt. ca. 17

Maius eſt enim miraculũ iſtud, quàm vt humano ingenio vel ſcientia comprehendi poſsit: te tamen tradente verum eſſe credimus, etiã quod intelligere quomodo verum eſſe poſsit nequimus. Etenim ſuis finibus circũſcriptus eſt intellectus noſter: tuæ autem potentiæ, tuæ ſapientiæ nullus eſt finis, nulla circunſcriptio: omnem numerum, omnem excedit modum. Stultus eſt igitur qui tãti myſterij altitudinem ſe deprehẽdiſſe putat, niſi ipſe reueles, ipſe aperias, ipſe illum tam ſingularis intelligentiæ efficias capacem. Nos interim non ideò credimus panem & vinum in ſubſtantiam tui corporis & ſanguinis trãſmutari: quia & vxor Loth verſa ſit in ſtatuã ſalis, & virga Moſis in colubrum, & cibus atque potus in carnem & ſanguinem animalis: nam ſimul cum accidentibus iſta mutata ſunt: ſed quia nihil verius eſſe nouimus his quæ te docente diſcere contingit. Confitemur te eſſe verbum, quo facta ſunt omnia, & ſine quo factum eſt nihil. Quid ergo factu tibi impoſsibile, ſi modò illud vt fiat, tuæ cõuenit maieſtati? Abſit igitur vt quicquã dubitemus de tam mirabili ſtupendóq; ſacramento, cuius tu & author es & teſtis: in quo magis mirari licet tuæ in nos benignitatis magnitudinem, quàm incõprehẽſibile operis arcanum. Tu te Domine nobis præſtas in cibum, qui te pro nobis ſupra crucem obtuliſti in ſacrificium, ſed ibi viſibilis & paſsibilis & mortalis apparebas: hîc lates glorioſus & deuicta iam morte triumphans. Ibi abſcondita erat in homine diuinitas: hîc panis, viniq́ue figura cælatur & humanitas. Sed licèt neutrũ cernant oculi, vtrumque tamen confitetur fides. Et poſt pauca ait: Porrò cùm tibi placuiſſet ineffabili corporis & ſanguinis tui ſacramento fideles tuos paſcere & tibi vnire, ſub panis viniſque figura latere voluiſti, vt nemo horreret guſtare, quod fideliter guſtatum beatitudinem conferret.

Lanfrancus in concil. Rom. ſub Leone 9. Eandem doctrinam approbat Lanfrãcus Cantuarienſis archiepiſcopus, in ea fidei profeſsione, quam in Romana ſynodo coram Leone nono huius nominis pontifice edidit, imperante Hẽrico in Germania. Credo (inquit) terrenas illas ſubſtantias, quæ in menſa Domini per ſacerdotale miniſterium diuinitus ſanctificantur, ineffabiliter, incomprehenſibiliter, & mirabiliter operante ſuperna po-

tentia,

tentia, cōuerti in eſſentiam Dominici corporis & ſanguinis, reſeruatis ipſarum rerum ſpeciebus & qualitatibus: ne videlicet, in proprio illo ſuo modo ac genere ea percipientes Chriſti fideles, cruda & cruenta horreſcerent: vt & credētes, fidei ampliora pręmia perciperēt, ipſo nihilominus dominico corpore, permanente in cœleſtibus ad dextram patris, inuiolato, integro, incōtaminato, illæſo: nempe impaſsibili & immortali: vt verè vtrumque dici poſsit, & ipſum corpus quod de virgine ſumptū eſt, atque ipſum ſanguinem, qui in ara crucis pro nobis effuſus eſt, ſub ſpeciebus panis & vini nos ſumere, & quodam modo non ipſum: ipſum quidem, quantum ad veræ vtriuſque naturæ eſſentiam, proprietatem, & virtutem: non ipſum autem, ſi modum illum ineffabilem ſpectes, quo ſub alienis ſpeciebus mirabiliter & incomprehenſibiliter latitat. Hæc fides eſt, quam tenuit à priſcis temporibus & nūc tenet eccleſia, quæ per totum orbem diffuſa, catholica nominatur. Hanc Latini, hanc Græci, hanc Armeni magno cōſenſu ſequuntur. Hæc ille: cui admodùm cōſentit poſterior Berengarij confeſsio in Romano concilio, anno domini 1079. ſub Gregorio ſeptimo edita in hanc formam: Ego Berēgarius corde credo & ore cōfiteor, panem & vinum quæ ponuntur in altari, per myſterium ſacræ orationis & verba noſtri redemptoris ſubſtantialiter conuerti in veram ac propriā & viuificatricem carnē & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti: & poſt conſecrationem eſſe verum Chriſti corpus, quod natum eſt de virgine, & quod pro ſalute mūdi oblatum in cruce pependit, & quod ſedet ad dexteram patris: & verum ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui de latere eius fluxit, non tantùm per ſignum & virtutem ſacramenti, ſed etiam in proprietate naturæ & veritate ſubſtantiæ. Sicut in hoc breui continetur, & ego lego, & vos intelligitis, ſic credo, nec contra hanc fidem vlterius docebo. Sic me Deus adiuuet, & hæc ſancta Euangelia.

Poſterior Berengarij, olim archidiaconi Andegauenſis retractatio.

Poſt tot tantaque teſtimonia, edita eſt & promulgata in Lateranenſi concilio, ſub Innocentio Papa, anno domini 1215 (cui quidem concilio interfuerunt Patriarchæ, Conſtantinoplitanus & Hieroſolymitanus, 70. archiepiſcopi, 400. epiſcopi, abbates duodecim, & 800. priores, vt ita di-

Innocentius 3. de ſumma trinit. & fi. cathol. cap. firmiter credimus.

cam, conuentuales, celebris illa conſtitutio, quæ incipit, Firmiter credimus, cuius verba abſcribere non pigebit.

Vna eſt fidelium vniuerſalis eccleſia, extra quam, nullus ſaluator omnino. In qua, idẽ ipſe ſacerdos eſt, & ſacrificiũ, Chriſtus Ieſus, cuius corpus & ſanguis in ſacramento altaris ſub ſpeciebus panis & vini, veraciter continentur: tranſſubſtantiatis pane in corpus, & vino in ſanguinem, poteſtate diuina. Vt ad perficiendum myſterium vnitatis accipiamus ipſi de ſuo, quod accepit ipſe de noſtro. Nulluſque poteſt hoc conficere ſacramentum, niſi ſacerdos legitimè ordinatus, ſecundum claues eccleſiæ, quas Chriſtus ipſe dedit Apoſtolis ſuis & eorum ſucceſſoribus.

DOROTHEA.

Priuſquàm dem manus, vincique me patiar (etſi nihil vehementius cupio, quàm orationi tuæ aſſentiri) duo etiãnum adferam, quæ me diu ſollicitam habuere: alterũ quidem, Auguſtini eſt dictum: alterum verò, Gelaſij Papæ in Romana ſynodo. Auguſtinus enim ad Dardanum ſcribẽs: Tolle (inquit) ſpatia corporibus, & nuſquam erunt. Quæ autem nuſquam ſunt, nec erunt: à corporibus qualitates diuelle, nullus iam locus erit, vbi ſubſiſtant. Proinde ea nõ eſſe prorſus erit neceſſe. Eadẽ ergo ratione dicere poſſum, te, dum tollis ſpatium & dimentiones corporis Chriſti in ſacramento, efficere vt non ſit ibi corpus omnino.

THEOPHILVS.

Diuus Auguſtinus illic naturam corporis explicat, quæ locum adiunctum neceſſariò exigit, quatenus ex ſuæ naturæ finibus æſtimatur. Sed iſtud de te audire velim, nũ credendum ſit Chriſto deo & homini, de ſuo corpore aſſeueranti, quòd à loci ratione ſit alienum, dum ait: Hoc eſt corpus meum? An agemus cum eo quaſi ad exhibendum, quia locus abſit, qui ſit corpori cognatus, & ſine quo per naturã corpus non ſit? Reſpondebit, opinor, pro Chriſto Catholicus, Chriſtum non ſecundum naturam loqui, ſed ſecundum gratiam. Quid dimenſiones & locum quærimus, quæ ſenſus percipiant, quum agatur quod ſit perceptibile ſola fide, & ab eo agatur, cui omnis poteſtas eſt data in cœlo & in terra? Quod autem reſpondet Catholicus fieri per gratiam, non minuit veritatem rei datæ, ſed diſtinguit modũ

Neque,

Neque enim Chriſtus ita corpus ſuum dat in myſterio, vt loco claudatur & ſuis circunſcribatur dimenſionibus: ſed illud dat diuino quodam & ſpirituali modo, quem humana mens aſſequi non valeat. Quod dum affirmamus, corpus Chriſti minimè loco & ſuis dimenſionibus ſpoliamus: ſed à myſterij inueſtigatione ſenſus noſtros & carnis iudicium auertimus, cùm ſciamus myſterium non eſſe locum, & dimenſiones à nobis æſtimandas non exhiberi, quod eſſet modo exhiberi naturali.

DOROTHEA.

Tu in hoc animo meo egregiè ſatiſfeciſti. Venio ad Gelaſium. Is quidem ſubſtantiam & naturam panis & vini ſcribit in ſacramẽto manere, ſicut natura humana in Chriſto Ieſu ſalua & incolumis manet, diuinæ coniuncta eſſentiæ. Si res ita habet, quî vera eſſe poſſunt, quæ adhuc perbellè diſſeruiſti? *Gelaſius aduerſus Eutychetem.*

THEOPHILVS.

Gelaſij verba cõtra Eutychetem & Neſtorium ſcribẽtis hæc ſunt: Sacramenta corporis & ſanguinis Chriſti quæ ſumimus, ſunt res diuina. Quare per ea naturæ diuinæ participes efficimur. Subſtantia tamen panis & vini minimè eſſe definit. Ac imago quidem & ſimilitudo corporis & ſanguinis Chriſti Ieſu, in actione myſteriorum celebratur. Manifeſtè ergo ſatis oſtenditur, in Chriſto Ieſu domino noſtro ſentire nos oportere: id etiam quod profitemur, celebramus & ſumus in eius imagine: vt quemadmodum naturæ tranſeunt ac conuertuntur in hanc diuinam ſubſtãtiam opera ſancti ſpiritus, & in ſua tamen natura manent: ſic hoc ipſum principale myſterium (cuius vis & efficacia verè nobis per ea repræſentatur, ex quibus conſiſtit, in ſuo eſſe propriè manentibus) vnum Chriſtum in integro inque ſua veritate manere declarat. Sanctus hic epiſcopus oſtendere conatur argumento ab Euchariſtia ducto, nullam in Chriſto naturarum eſſe cõfuſionem, ſed in ſuæ eas naturæ finibus manere, quod & in Euchariſtia fieri oſtẽdit, ſed iis verbis, quę (ſi rectè intelligantur) cũ eccleſiaſtica doctrina conſentiant. Nam de pane & vino fatetur, quòd tranſeant & conuertantur in diuinam ſubſtantiam, Quòd vero addit illa in ſua ſubſtantia vel natura manere: vel ſubſiſtentiam

ſentit accidentium, vel naturæ proprietatem: & diſiunctim loquitur de natura vel ſubſtantia.

DOROTHEA.

Audiui quodnam ſit huius ſacramẽti verbum. Reliquum eſt, vt de elemento vel materia dicas.

THEOPHILVS.

Elementum, panis eſt & vinum aqua mixtum, quibus cùm accedit & adiungitur conſecrationis verbum, ſacramentum perficitur: quod quidem conſtat viſibili elementorum ſpecie, & inuiſibili Domini noſtri Ieſu Chriſti carne & ſanguine, quæ re ipſa vereque hoc ſacramento participamus.

DOROTHEA.

Quidnam hoc verbo [Conſecrare] intelligis?

THEOPHILVS.

Rem ſacram vocamus, quæ Deo eiuſque cultui dicata eſt & conſecrata. Ita Conſecrare eſt rem prophanam ad ſpiritualem & diuinum vſum ſeparare. Sed cùm in cœna Chriſtum Euchariſtiam conſecraſſe dicimus, ea conſecratio non eſt ſola ſeparatio rei prophanę ad diuinum vſum, ſed & aliquid eo amplius, nimirùm ſacratiſsimæ rei exhibita præſentia, mirabili ex re prophana facta conuerſione. Quare Conſecrare hîc appellamus, cùm inuiſibilis ſacerdos panem & vinum in ſubſtantiam ſui corporis & ſanguinis ſecreta poteſtate verbo ſuo conuertit: Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus: vt intelligi poteſt ex beato Cypriano, quem ſuprà citauimus. Ex quo (inquit) à Domino dictum eſt: Hoc facite in meam cõmemorationem, Hæc eſt caro mea, & hic eſt ſanguis meus: quotieſcunque his verbis & hac fide actum eſt, panis iſte ſubſtantialis, & calix benedictione ſolemni ſacratus, ad totius hominis vitam ſalutemque proficit, ſimul medicamentum & holocauſtum ad ſanandas infirmitates & purgãdas iniquitates exiſtens. Hæc Cyprianus de conſecratione loquens, qui nõ ſolùm ſeparationis meminit rei prophanæ ad diuinum & ſpiritualem vſum, ſed ipſius rei mutationis, vt ex pane fiat corpus, ex vino ſanguis, quæ vocat ille medicamentum & holocauſtum ad ſanandas infirmitates & purgandas animas. Vnde apertius idẽ ait eo ipſo ſermone: Chriſtus vſque hodie

Cyprianus ſerm. de cœna Domini.

hodie hoc veraciſsimum & ſanctiſsimum corpus ſuum creat,& ſanctificat,& benefícit,pieque ſumētibus diuidit. Baſilius in Liturgia effectus huius cōſecrationis meminit his verbis:Te ergo rogo, qui ſolus bonus es, & ad exaudiendum propenſus, reſpice in me peccatorem & inutilem ſeruum tuum,& purga animam meam & cor meū à mala conſcientia,& fac me virtute ſancti tui ſpiritus idoneum, vt ſacerdotij gratia indutus,huic ſanctę menſæ aſsiſtam,& ſanctum & impollutum corpus tuum & ſanguinem precioſum conſecrem. Tu enim es qui offers & offerris,& qui ſuſcipis & impertis Chriſte Deus noſter. Et ibidem:Sed tamen propter tuam ineffabilem & immenſam benignitatē, citra vllam mutationem & cōuerſionem homo factus es, & pontifex noſter appellatus es, & huius miniſtratorij & incruenti ſacrificij conſecrationem nobis tradidiſti, vt Deus omnium.

DOROTHEA.

Quia eò vſque ſermocinando prouecti ſumus,vt in conſecrationis ſacramenti mētionem inciderimus,quo pacto ea peragi debeat,niſi moleſtum eſt, explica. Etenim nonnullos affirmantes audio illam viua prædicatione confici debere,quò auditores ædificet,quò in eorum penetret animos,cordibus imprimatur & inſideat, quò efficaciam in complemento eius quod promittit,exerat. Intereà loci negant illi,verba cōſecrationis ſuper creaturis omnis ſenſus expertibus debere proferri, aſſeuerātes promiſsiones illas ex quibus pendet conſecratio,non ad elementa ipſa,ſed ad eos qui recipiunt,deſtinari:nec Chriſtum panem alloqui, vt corpus ſuum fiat:ſed iubentem diſcipulos manducare, illis corporis & ſanguinis ſui cōmunicationem polliceri.

THEOPHILVS.

Etſi Dominus in cœna, poſtquam accepit panem & vinum,& benedixit,ſymbola non affabatur,ſed diſcipulos qui eā ſumebant:tamen cùm illos accipere iuberet quod porrigebat,teſtatū apud eorū animos reliquit, certioresq́; fecit illos,ſe non tradere cibum cōmunem,& ſuum corpus ſuumq́ue ſanguinem,quæ ex pane & vino diuina poteſtate efficiebat ſubſtātiis cōuerſis. Quod autē ibi tum faciebat, juſsit vt & ipſi,& eorū ſucceſſores ſua authoritate facerēt

donec reuertatur in memoriā mortis ac perpeſsionis ſuæ. Sacerdos ergo non apud populum concionans, ſed ſacroſanctis vacās myſteriis eccleſiæ nomine, tāquam illius miniſter publicus, ſolenni prece, & inuocato Dei nomine benedicit & ſanctificat propoſita dona, non propriis quidem verbis vtens, ſed omnipotenti Domini noſtri Ieſu Chriſti ſermone: oratque vt corpus & ſanguinem ſuum ipſe conſecrare dignetur. Inuiſibilis enim ſacerdos ſolus habet poteſtatē cōſecrādi, qui in eccleſia viſibilis ſacerdotis aſsiſtēs miniſterio, creaturas viſibiles verbi ſui virtute in ſubſtātiā corporis & ſanguinis ſui conuertit. Vnde intra eccleſiam catholicam in miniſterio cōſecrandi corporis & ſanguinis Domini, nihil à bono maius, nihil à malo minus perficitur ſacerdote: quia non in merito conſecrantis, ſed in verbo efficitur creatoris, & in virtute ſpiritus ſancti. Si enim in merito ſacerdotis, nequaquam ad Chriſtū pertineret. Nunc autem ſicut ipſe eſt qui baptizat, ſic ipſe eſt qui per ſpiritū ſanctum hāc creaturam panis efficit carnem ſuam, & vinū tranſmutat in ſanguinem. Atque in hanc ſentētiam Heſy-

In Leui. lib. 2. cap. 8. chius ait: Aaron & filij eius illud rectè comedūt. Niſi enim Chriſtus rogatus ore ſacerdotis, ipſe venerit, & cœnā ſanctificauerit, & initiauerit ea quæ aguntur, nullatenus ſacrificium Dominicum fiunt. Idem & Ambroſius cōfirmat in

Lib. 4. de ſacr. cap. 4. hunc modum ſcribens. Panis iſte (ait) panis eſt ante verba ſacramentorum: vbi acceſſerit conſecratio, de pane fit caro Chriſti. Hoc igitur aſtruamus Quomodo poteſt qui panis eſt, corpus eſſe Chriſti? Conſecratione. Conſecratio igitur quibus verbis eſt, & cuius ſermonibus? Domini Ieſu. Nam per reliqua omnia quæ dicūtur, laus Deo defertur, oratione petitur pro populo, pro regibus, pro cæteris. Vbi venitur vt conficiatur venerabile ſacramentum, iam non ſuis ſermonibus ſacerdos, ſed vtitur ſermonibus Chriſti. Ergo

In Matth. hom. 83. ſermo Chriſti hoc conficit ſacramētū, nempe is quo facta ſunt omnia. Cui conſonāt que ſcripſit diuus Ioānes Chryſoſtomus. Non ſunt (inquit) humanæ virtutis hæc opera. Quæ tunc in illa cœna confecit, ipſe nūc quoque operatur,

Chryſoſt. hom. de prodit. Iudæ. ipſe perficit: miniſtrorum nos ordinem tenemus. Qui verò hæc ſanctificat & tranſmutat, ipſe eſt. Sed & idem alibi in eandem ſententiā loquitur apertius, ſic ſcribens: Et nūc ille

præſto

præſto eſt Chriſtus, qui illã ornauit mẽſam: ipſe iſtã quoq; conſecrat. Non enim homo, qui propoſita de cõſecratione menſæ, Domini corpus facit & ſanguinẽ: ſed ille qui crucifixus eſt pro nobis Chriſtus. Sacerdotis ore verba proferuntur: & Dei virtute conſecrantur & gratia. Hoc eſt (ait) corpus meum. Hoc verbo propoſita conſecrantur: & ſicut illa vox quæ dicit: Creſcite & multiplicamini & replete terram: ſemel quidem dicta eſt, ſed omni tempore ſentit effectum ad generationẽ operante natura: ita & vox illa ſemel quidem dicta eſt, ſed per omnes menſas eccleſiæ vſque ad hodiernum diem, & vſque ad eius aduentum præſtat ſacrificio firmitatẽ. Hæc ſunt Chryſoſtomi verba, ex quibus, quid in hac cõſecratione de eius authore & miniſtro ſit ſentiendum, quæ etiã cõſecrationis verba ſunt, intelligi facillimè poteſt. Idem alibi ſic eadẽ de re ſcribit: Sacra ipſa oblatio, ſiue illam Petrus, ſiue illam Paulus, ſiue cuiuſuis meriti ſacerdos offerat, eadẽ eſt, quam dedit Chriſtus ipſe diſcipulis ſuis, quamque ſacerdotes modò cõficiũt. Nihil habet iſtã, quàm illa minus. Cur id? Quia non hanc ſanctificãt homines, ſed Chriſtus qui illam antè ſacrauerat. Quemadmodum enim verba quæ locutus eſt Chriſtus, eadem ſunt quæ ſacerdotes nunc quoque pronunciãt, ita & oblatio eadem eſt. A qua ſententia ne tranſuerſum quidem (vt aiunt) digitum beatus Auguſtinus diſcedit. Nec ſimiliter, inquit, cõprehendimus has duas ſpecies, panis & vini, vt ante conſecrationem comprehendebamus: cùm fideliter fateamur ante cõſecrationem, panem eſſe & vinum, quæ natura formauit: poſt cõſecrationem verò, carnem Chriſti & ſanguinem, quæ benedictio conſecrauit. DOROTHEA.

2. hom. in 2. ad Timoth. cap. 1.

Auguſt. in lib. ſent. Proſp.

Quid de iis cenſes, qui ſine ſolenni & catholica prece, & abſque inuocatione nominis diuini ſuper dona propoſita, panem inquam & vinum, tãtùm recitant aut legunt verba Pauli 1. Cor. 11. Dominus Ieſus in qua nocte tradebatur? Eóſne Domini corpus & ſanguinem cõſecrare exiſtimas?

THEOPHILVS. Diuus Paulus illic ſolùm hiſtoricè narrat ea quę Chriſtus geſſit, hoc cùm inſtitueret ſacramentum, non autem aliquam conſecrandi formã tradit. Quapropter vt is minimè baptizaret, qui Euãgelij verba de baptiſmi inſtitutione recitaret aut legeret, quibus

quidem diſcipulos baptizare docuit,cùm diceret:Ite & baptizate omnes gentes in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti,niſi ſimul eſſentialis baptizandi formæ verba pronunciaret,quæ hæc ſunt:Ego te baptizo in nomine patris & filij & ſpiritus ſancti:cùm id faciens,nō obiret eccleſiæ miniſterium,nec quicquam infanti diceret,nec pro Chriſto legatione fungeretur,tāquam Deo per ipſum baptizante: at hiſtoriæ modò verba recitaret:ita qui tantùm recitat hiſtoriam inſtituti huius ſacramenti,nec inuocat tanquam eccleſiæ miniſter nomen Dei ſuper dona propoſita panis & vini,nec item conſecrationis verba ad hoſtiam præſentem dirigit,is nullo modo conſecrat,nec verum ſacramentum ſecūdū eccleſiæ catholicæ ſenſum & traditionē efficit.

DOROTHEA.

Ne in poſterum argutiis impoſtorum decipiar, audire velim quænam illa eſt ſolennis precatio,qua in cōſecrationis miniſterio nomen Dei inuocatur.

THEOPHILVS.

Ea eſt huiuſmodi:Quam oblationem tu deus in omnibus quæſumus benedictam,aſcriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris, vt nobis corpus & ſanguis fiat dilectiſsimi filij tui Domini noſtri Ieſu Chriſti.Qui pridie quàm pateretur accepit panem in ſanctas ac venerabiles manus ſuas, & eleuatis oculis in cœlum ad te Deum patrem ſuum omnipotentem, tibi gratias agēs benedixit,fregit,& diſcipulis ſuis dedit[Quæ verba ſacerdos in Chriſti perſona tanquam eius miniſter perſequitur ac pronunciat] dicēs:Accipite & māducate ex eo omnes:hoc eſt enim corpus meum Simili modo poſtquam cœnatum eſt,accipiēs & hunc præclarum calicem in ſanctas & venerabiles manus ſuas,item tibi gratias agens, benedixit, & dedit diſcipulis ſuis,dicēs: Accipite & bibite ex eo omnes: hic eſt enim calix ſanguinis mei, noui & æterni teſtamēti, myſterium fidei,qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum.Hæc quotieſcunque feceritis,in mei memoriam facietis. DOROTHEA.

Iſtáne precatio veterū doctorū teſtimonio cōprobatur?

Chryſo.lib. 3.de ſacerd.

THEOPHILVS.

Beatus Iohānes Chryſoſtomus prolixæ & ſacræ orationis

nis

nis in conſecratione Euchariſtiæ facit mētionem,dum ait: Cùm aſtat pontifex,is preces diuturnas fundit, quò gratia in ſacrificium influat.Miſſa etiam Græcorū prodit , quòd epiſcopus ſe erigat,ſignétque crucis ſigno oblationem , & dicat: Fac ô Domine, hūc panē precioſum corpus Chriſti tui,Amen.Et in calicē dicat:Quod in calice eſt,fac precioſum ſanguinem Chriſti tui, tranſmutās ſpiritu tuo ſancto. Theophylactus ſuper illud, Accepto Ieſus pane,cū gratias egiſſet,&c.dicit nos & gratias agere, ſicut fecit Chriſtus: preces quoque adiungere,& dicere : Hoc eſt corpus meū. Non enim figuram tātùm & exēplar Dominici corporis panem eſſe, ſed in illum tranſelementari. Quoties autem Iuſtinianus in nonnullis cōſtitutionibus ſanctarum & canonicarū orationum in ſacrificio meminit? & in Latinorū eccleſia,quoties Ambroſius conſecrationis mētionē facit? Libro de ſacramētis quarto ad verbum ferè recitat formā conſecrationis canoni noſtro inſertā.Idē facit Auguſtinus dum ait:Noſter panis & calix certa cōſecratione,myſticus fit nobis,non naſcitur.Proinde quòd non ita fit, quāuis ſit panis & calix,alimentum eſt refectionis,non ſacramētum religionis.Alio item loco nominatim myſticæ precis meminit,qua illud,quod ex frugibus terrę acceptum eſt,conſecratur,& ſumitur ad ſalutem ſpirituale,vti ſuprà docuimus. Atque ante horum patrum tempora beatus martyr Cyprianus illum tantùm panem & calicē pro digniſsimo ſacramento veneratur, qui fuiſſet catholica conſecratione ſanctificatus.Longè autem illo antiquior Irænæus docuit (vt & antè monuimus)eum panē qui percipiat inuocationem Dei,fieri Euchariſtiā. Diuus etiam Baſilius meminit verborū inuocationis nominis diuini,quæ dicuntur,quando ſanctus Euchariſtiæ panis,& calix benedictionis populo oſtenduntur,quæ ab Apoſtolis nō reperimus ſcripta,ſed tradita tantùm. Quis enim (inquit) ſanctorum verba illa nobis ſcripto reliquit?Innuūt hi omnes ſancti epiſcopi,eos nequaquam cōſecrare,qui verba conſecrationis à patribus accepta,& quaſi per manus tradita,nolunt obſeruare.

In 14. cap. Marci.

Cap. 5.

August. cont. Fauſt. Manic. lib. 20. cap. 13.

Idē lib. 4. de trini. habetur de cōſecr. diſt. 2. can. Corpus de cœna Domini.

Lib. 4. cap. 34.

Lib. de ſpir. ſanct. cap. 27.

DOROTHEA.

At cur tandem in hoc ſacramēto immiſcetur aqua vino?

THEOPHILVS.

Sācti patres & doctores catholici iſtud fieri perhibēt exemplo & miniſterio Domini, quod etſi in Euangelio nominatim nō dicitur, patrum tamen concors teſtimonium nobis ſatiſfacere debet, maximè cùm illis regionis Iudææ mos ſuffragetur, quòd ibi nō merum, ſed aqua mixtū vinū ex more bibatur. Quanquā magis intuēdū myſterium eſt. Nam primùm ſignificatur adimpletio figuræ quæ in lege præceſsit, de qua dixit Apoſtol⁹: Bibebāt autē de ſpirituali cōſequente eos petra. Moyſes propheta Dei virga, hoc eſt, verbo Dei, tangit petrā, & fluit aqua, & bibit populus Dei. Tangit ſacerdos calicem, redundat aqua in calice, ſalit in vitam æternā: & bibit populus Dei, qui gratiā conſequutus eſt. Accipite & aliud: vnus ex militibus tēpore Dominicæ paſsionis (quam repræſentamus in hoc ſacrificio) lancea latus Chriſti mortui aperuit, & continuò exiuit ſanguis & aqua: aqua, vt emundaret: ſanguis, vt redimeret. Per vinum igitur redemptio, ablutio per aquam ſignificatur. Per aquā quoque populi ſignificātur, dicente Ioanne: Aquæ multæ, populi multi. Quum ergo in calice vino aqua miſcetur, ſignificatur, quòd Chriſto populus adunatur, & credentium plebs ei in quem credit, copulatur. Huius inſtituti antiquitatem videmus apud Irenæum vicinum Apoſtolorum tēporibus. Ait enim: Quando mixtus calix & fractus panis percipit verbum Dei, fit Euchariſtia ſanguinis & corporis Chriſti. Similia habet & papa Alexander, qui ſub Traiano vixit, de conſecr. diſtinct. 2. can. Sanctus item martyr Cyprianus hāc traditionē a Chriſto ipſo deſcēdiſſe cōfirmat. Quemadmodū (ait) in ſacrificando calice Domini offerri aqua ſola non poteſt, ſic nec vinum. Nam ſi vinum tantùm quis offerat, ſanguis Chriſti incipit eſſe ſine nobis. Si verò aqua ſit ſola, plebs incipit eſſe ſine Chriſto, &c. Huic eſt ſimile quod Euſebius Emiſſenus in homilia de corpore & ſanguine Domini ait: Hoc dominici ſanguinis vinū, aqua miſcendum eſſe, non ſolùm traditione Dominus, ſed etiam ipſo genere paſsionis oſtēdit. Ex cuius ſacro latere ſanguis & aqua lanceæ illiſione profluxit. Atque hoc ipſum Iulius pontifex ad epiſcopos per Aegyptum latius declarat, dicēs in vino oſtendi ſanguinem Chriſti, in aqua verò populum intelligi. Ergo cùm in calice vino aqua miſcetur, intel-

Ambroſ. de ſacra. — *1. Cor. 10.* — *Num. 20.* — *Ioan. 19.* — *Matt. 26.* — *1. Cor. 11.* — *Apoc. 17.* — *Lib. 5. cont. her.* — *Lib. 2. epiſt. 3. ad Cæcil.* — *De conſecr. diſt. 2. can. Cùm omne.*

ligi populum Chriſto adunari, & credentium plebem ei in quem credit copulari & iungi. Cui conſonat decretum editum ſuper hac re in cōcilio quod ſub Martino papa habitum eſt. Eſt autem eiuſmodi: Non oportet aliud quicquā in ſacramento offerri præter vinum & aquā & panem, quę in typo Chriſti benedicuntur: quia dum in cruce Chriſtus penderet, de corpore eius ſanguis effluxit & aqua: & hæc tria vnū ſunt in Chriſto Ieſu: hæc hoſtia & oblatio Dei in odorem ſuauitatis. Conciliū item Carthaginenſe ſextum, cui quidem beatus Auguſtinus interfuit. Sententia autem decreti ſuper hac re editi, hæc eſt: In ſacramentis corporis & ſanguinis Chriſti nihil amplius offeratur, quàm ipſe Dominus tradidit, hoc eſt, panis & vinum aquæ miſtum. Idem illud Græca Chryſoſtomi miſſa teſtatur, & totius denique catholicæ eccleſiæ conſuetudo vniuerſalis ab initio ad noſtra vſque ſecula obſeruata.

De conſecr. diſtinct. 2. can. Non oportet.

Cap. 24.

DOROTHEA.

Cur in ſpeciebus panis & vini hoc ſacramentum adminiſtratur?

THEOPHILVS.

Vt intelligamus, quam vim habet panis in nutriendis corporibus, ad ſuſtinēdam præſentem vitam, eandem corpori Domini ineſſe ad alendas ſpiritualiter animas. Sicut vino exhilarantur hominum corda, reficiuntur vires, totus homo roboratur: ita & Chriſti ſanguine animos noſtros lætificari, refici, & corroborari.

DOROTHEA.

Cur duo ſigna proponuntur, ac panis quidem ſeparatim in corpus, vinum autem conſecratur in ſanguinem?

THEOPHILVS.

Quò doceamur per panem, qui dentibus teritur, Chriſti carnem in paſsione attritam fuiſſe: & per vinum, quod in ora fidelium funditur, ſanguinem eius à corpore ſeparatum, & in precium noſtræ redemptionis effuſum: atque etiam animā Chriſti ab eius corpore eſſe diuulſam (cū pro nobis mortuus eſt, qui in corpore & anima perieramus) vt per corpus ſuum, corpus noſtrum, & per animā ſuam, animā noſtrā redimeret. Similiter, vt corpus & animā noſtrā

corpori & animæ Chriſti per virtutem ſalutaris Euchariſtiæ conglutinari & vniri confidamus: vt ſic toto Chriſto totus homo in corpore & anima viuificetur, & ſaluus ſit.

DOROTHEA.

An vtroque ſymbolo vti peræquè omnes abſque exceptione debent?

THEOPHILVS.

Salutaris fructus, quem Euchariſtia præbet iis qui illam dignè ſumũt, non à ſpeciebus panis & vini pẽdet, ſed à virtute viuificæ carnis & precioſi ſanguinis Chriſti promanat. Cùm autem ſub alterutra ſpecie Chriſtus integer verè adſit (neque enim poſt reſurrectionem ſeparari caro & ſanguis eius vnquam poſſunt, quoniam amplius nõ moritur) vtique ſalutaris Euchariſtia pari fructu tam ſub vna, quàm ſub vtraque ſpecie à fidelibus percipitur. Nec de ſpirituali fructu quicquam decedit vnam ſpeciem ſumenti: nec accedit quicquam ei, qui vtranque percipit.

DOROTHEA.

Hoc ergo vis, ſpecies panis & vini vſum ſuum in ſola ſignificatione conſumere, nec quicquam ad gratiam & virtutem ſacramenti addere.

THEOPHILVS.

Sanè quidem. Domini enim ſolius eſt præſtare gratiam, non vllius creaturæ. Ideóque in conſecranda Euchariſtia, iuxta Chriſti inſtitutum ambę quidem ſpecies neceſſariæ ſunt: quoniã non ad ſolam ſumptionem ſed ad renouandam paſsionis & mortis Domini memoriã Euchariſtia præparatur. Quatenus ergo ſacrificio ſeruit Euchariſtia, quo mors & immolatio Chriſti repræſentatur, ſpecies vſum ſuum vtiliter accommodant, vt ex diuerſis & ſeparatis ſpeciebus Chriſti ſanguis pro peccatis noſtris effuſus, & à corpore ſeparatus apertè ſignificetur. Quatenus verò ad ſpiritualem gratiam & animarum ſalutem accipiendam fideles Euchariſtiam ſumunt iam diuerſitas ſpecierum, quæ propter ſolam ſignificationem adhibetur, nullam amplius vtilitatem habet: ſed vna ſpecies, quoniam integrum ſumenti exhibet Chriſtũ, totius gratiæ vbertatem ſemel confert, vt iam ſuperueniente altera ſpecie, quæ non alium ſed eundem Chriſtum præbet, ad ſpiritualem gratiam nihil

amplius addi queat. Hinc catholica eccleſia (quæ in intelligendis mandatis Chriſti diligens, in obſeruandis ſedula, nec minus ad vtilitatem fidelium promouendam ſemper intéta & ſollicita cernitur) dum ſacrificium illud, quo Dominicę paſſionis & immolationis memoriam redintegramus, celebratur, propter ſignificationum neceſſitatem vtriuſque ſpeciei vſum atten̄tè ſemper cuſtodiuit. In diſpenſanda verò fidelibus Euchariſtia libertatem ſuam (quam nullo præcepto Chriſtus ei ademit) ſemper ad fidelium vtilitatem accommodauit, & nunc vtranque, nunc alteram tantùm ſpeciem fidelibus adminiſtrauit, pro vt iuxta temporum hominūq; conditionem ad communem omnium vtilitatem vidit expedire. In quo cùm procul dubio ſpiritum ſanctum ducem & conſultorē ſemper ſecuta ſit, nec in vllum Domini præceptum deliquiſſe, nec in prouidenda filiorum ſuorum vtilitate aberraſſe exiſtimanda eſt, præſertim cùm vnitatis Chriſtianæ pręcipuam ſemper rationem habuerit, & hoc ſollicitè cauerit, ne ſingulare hoc & vnicum pacis, charitatis, & vnitatis myſterium diſſenſionum & diſſidiorum cauſas in eccleſiam inueheret, & publicam eccleſiæ pacem diſſiparet.

DOROTHEA.

Nónne hæc Chriſti verba, Bibite ex hoc omnes, expreſſum mandatum declarant certumq; inſtitutum? An verò Paulus mentiebatur, quum dicebat Corinthiis ſe accepiſſe à Domino quod illis tradiderat? Nam poſtea traditionē explicat, vt omnes promiſcuè vtroque ſymbolo communicarent. Quòd ſi à Domino Paulus accepit omnes ſine diſcrimine admittendos, cur vniuerſa penè plebs altero ſymbolo ſpoliatur?

THEOPHILVS.

Hęc Chriſti verba, Bibite ex hoc omnes, ad ſolos Apoſtolos & eorū ſucceſſores pertinēt, quibus Dominus dicens, Hoc facite in mei cōmemorationē, præcepit vt hoc ſacramentū facerent, conſecrarent, offerrent, ac ſumerēt in mortis & paſsionis ſuæ recordationem, eos inſtituens eiuſmodi verbis legis Euangelicę ſacerdotes. Quare ad laïcos nullo modo ſpectant, qui neutiquā adigi debent ad vtranque ſpeciem participādam. Ac cęremoniam iſtam cōmunionis

vtriuſque ſpeciei ad neceſſitatē alligare velle abſurdū fuerit, tā propter abſtemios, quàm ꝑpter ægrotos & ſimiles, quià vini ſpecie planè abhorrent. Re aūt vera verba Chriſti nō tā ſtrictè & coactè intelligēda ſūt, vt eccleſia quæ credit non ſolùm laico, verū etiam ſacerdoti non celebrāti ſufficere vnam ſpeciē, propterea damnari debeat. Nam Dominus (vt & antè diximus) vix quicquā externorum ita præcipit, vt non reliquerit eccleſiæ ſuæ facultatē, ſicut pro tēporis ratione viderit expedire, id ipſū moderandi & ordinandi ad cōmunē vtilitatē & ædificationē eccleſiæ, modò ne in ſcopo erretur, & eo quod per externa impetrandū eſt, quis fraudetur. Quis verò neſcit Chriſtū, cùm hoc ſacramētum inſtitueret, ſtatim à cœna Apoſtolis ſuis pedes lauiſſe, nominatimq; præcepiſſe, vt hoc officij alij aliis præſtarent? Si

Ioan. 13. ego (inquit) magiſter & dominus laui pedes veſtros, & vos debitis alter alterius lauare pedes. Exemplū enim dedi vobis vt quemadmodū ego feci vobis, ita & vos faciatis. Hoc vtique mandatū Chriſti, ſecundum externam literam non minus cogit, quā hæc eiuſdē verba: Bibite ex hoc omnes: at catholica tamē eccleſia non vtitur externo illo opere apud ſacramentū coporis & ſanguinis Chriſti, cū Chriſtus eo ſit vſus, & mandauerit (vt verba ſonāt) deinceps eo

In ſerm. de cœna Domini. quo ipſe fecerat modo, obſeruari. Quinetiā laudatiſſimum iſtud & piētiſſimū opus prorſus ferè exoleuit: etſi beatus Bernardus magnū ſacramētum appellat, & beatus martyr

Sermo. de vnctione chriſmatis. Cyprianus ante ipſum teſtatus eſt, Chriſtū nō modò lauiſſe Apoſtolis pedes, verùm etiā ſolemni deuotione præcepiſſe & inſtituiſſe, vt idē facerent deinceps Apoſtoli. Iſtud autē externū opus intercidit ac in deſuetudinē abiit (vt ex beato Auguſtino colligitur) ne putetur eſſe rebaptizatio. Et ex hac ratione multi lotionē illam in conſuetudinē recipere noluerunt, vt ille idem teſtatur libro de ritibus eccle-

Cap. 18. ſiæ ad Ianuarium. Externam autem illam ceremoniam omittere commodius vtiliúſque erat, quàm eius pertinaci retentione errori tanto locum dare.

Ad eundem modum Apoſtolus, ſicut à Domino accepit, ita dicit ſe tradidiſſe Corinthiis ſacræ cœnæ celebrandæ ritum: quòd Dominus Ieſus qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens fregit, & dixit, &c. Similiter & poſtquam

poſtquam cœnauit. At minimè nunc hunc ritum in eccleſia ſeruamus: non enim poſt cœnam, aut veſperi, ſed manè & ieiuni ſeruamus: nec frangimus hoſtiam conſecratam populo porrigendā; neque ſedemus ad menſam, quomodo tamen Chriſtus ipſe fecit. Et plurima prætereà in Euangelio recitantur à Chriſto facta apud ſacramentum iſtud, quæ tamen nos eodem modo non peragimus.

DOROTHEA.

Vndenam iſta inſtitutionis Chriſti mutatio accidit?

THEOPHILVS.

Diuus Auguſtinus eius mutationis hanc adfert cauſam. Placuit (inquit) ſpiritui ſancto, qui eccleſiæ ſuæ ſemper adeſt, vt in honorē tanti ſacramenti in os Chriſtiani prius Dominicū corpus intraret quàm cęteri cibi. Ideóque mos iſte per vniuerſum orbem ſeruatur. Saluator autem quò vehementius cōmendaret myſterij illius altitudinem, vltimum hoc voluit infigere cordibus & memoriæ diſcipulorum, à quibus erat ad paſſionem digreſſurus: & ideò non pręcepit quo deinceps ordine ſumeretur, vt Apoſtolis, per quos eccleſias diſpoſiturus erat, ſeruaret hunc locum. Nam ſi hoc ille monuiſſet, vt poſt alios cibos ſemper reciperetur; credo quòd eum morē nemo mutaſſet. Non eſt ergo eccleſia catholica condēnanda, quòd vna ſpecie ſacramenti in recta & vera fide contenta, non vtranque ſpeciem ſuis omnibus diſtribuat; nec debet vinculū pacis & charitatis, quo in eadem eccleſia ſumus inuicem colligati, propter externas iſtas ſpecies ſolui & diſſipari; quum externum omne vnitati eccleſiæ Chriſti & charitati cedere oporteat. *Epiſt. 18. ad Ianuarium.*

DOROTHEA.

At quid ais de eccleſia Corinthiaca, in qua (vt ſuprà dixi) omnes ſine exceptione fiebant vtriuſque ſymboli participes? Ignorabátne quos Chriſtus conuiuas ad cœnam ſuam admiſiſſet?

THEOPHILVS.

Ingenuè prætereà fatebor, id nō modò in Corinthiorū obſeruari tū ſolitū eccleſia, ſed in multis etiā aliis, vt ex Tertulliano poteſt intelligi. Caro (inquit) noſtra corpore & ſāguine Chriſti paſcitur, vt aīa de Deo ſaginetur. Quomodo *Lib. de reſurrect. carn.*

Refert Theodoret. lib 3. cap. 18. huiuſmodi manibus (dicebat Ambroſius Theodoſio) ſacrũ Domini corp⁹ ſuſcipies: Qua audacia poculum ſanguinis precioſi ore tuo participabis? Et Hieronymus, Sacerdotes (inquit) qui Euchariſtiam conficiunt, & ſanguinem Domini populo diſtribuunt. Chryſoſtomus: Non ſicut in veteri lege partem quidem ſacerdos comedebat, partem verò populus: verùm omnibus corpus vnum proponitur, & poculum vnum. Ea quæ ſunt Euchariſtiæ, communia ſunt omnia inter ſacerdotem & populum. Quod idem intelligit ex diui Cypriani ſcriptis ſuprà citatis. Scribit enim in hũc modum: Quos excitamus & exhortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquimus, ſed protectione ſanguinis & corporis Chriſti munimus. Hoc ipſum Gregorius ſua ætate ſeruatum fuiſſe docet. Quis ſit (inquit) ſanguis agni, iam non audiendo, ſed bibendo didiciſtis. Eius ſanguis in fidelium ora profunditur. At conſuetudo tamen nunquam generalis fuit in vniuerſa Chriſti eccleſia, vt fidelibus omnibus promiſcuè vtraque ſpecies diſtribueretur: cùm Hieroſolymis in primitiua illa eccleſia (vbi ingens erat fideliũ multitudo) legamus communionem ſub ſola ſpecie panis oblatam, Luca teſtante, cùm dicit: Erant autem perſeuerantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus. Nec enim Chriſtus ita videtur hominibus de populo, id eſt, laicis præcepiſſe vt carnẽ ſuam ederent, & ſanguinem ſuum biberent, vt ſi ſanguinem prętermitterent, peccarẽt: cùm de ſe apud Ioannem ita loquatur: Ego ſum panis viuus, qui de cœlo deſcẽdi. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. Quod autem rectè poſſit corpus Chriſti & dari ſine ſãguine & accipi, multis authoritatibus doceri poteſt. Ac in Niceni quidem concilij capite decimooctauo, quod ſuprà protulimus, ſcriptũ eſt, diaconos, quibus non liceat offerre iis qui offerant, dare ſolitos Chriſti corpus, quod eis nec canon vllus, nec cõſuetudo cõcedat. Solius Chriſti corporis fit mentio, quod diaconi quadam temeritate & arrogantia ſacerdotibus in ſacrificio epiſcoporum, vt ita dicam communicantibus dabant. Si ſanguinem etiam præbuiſſent, non prætermiſſum eſſet. Et tamen Euchariſtiæ illic fit mẽtio, vt intelligamus Euchariſtiæ verbum vſurpatum eſſe in præbendo ſolùm

In 2. Mal. *Chryſoſt. in 2. ad Cor. cap. 8. hom. 18.* *Cyp. lib. 1. epiſt. 2. ad Cornel. pap.* *Act. 2.*

aliis

aliis Chriſti corpore. Nec me fugit quàm Satanæ miniſtri (vt ſolenne illis eſt ſcripturas ludibrio habere) hîc ludant & cauillentur, hæc dicta volentes per ſynecdochen, vt à parte totum accipiatur. Sed eiuſmodi effugium non vnius æſtimamus aſſis. Nam complures alios ſimiles locos proferre poſſumus, vbi ei reſpõſo nullus poſsit eſſe locus. Cuiuſmodi eſt quod Ambroſius narrat, fratrem cùm nauigaret, ſeque in ſummo verſari periculo cerneret, ab iis quos initiatos eſſe comperiſſet, ne expers ſacramenti è vita exiret, diuinum illud fidelium ſacramentum popoſciſſe, idque curaſſe in orario, quam ſtolam vocant, ligandum inuoluẽdumque in collo, atque ita ſe in mare deieciſſe, cumque incolumis & ſaluus ad portum perueniſſet, eum primo quoque die vti liberior copia eccleſiæ fuit, accepiſſe ſacramentum. Cui dubium eſt, quin ſolum Chriſti corpus eſſet? cùm præſertim ſanguis in orario ligari non potuerit? Eodem pertinet id quod ſexto eccleſiaſticæ hiſtoriæ libro de quodam Serapione Alexandrino ſcriptum eſt, eũ ſibi per puerum curaſſe corpus Chriſti adferendum, quod cùm ſumpſiſſet, læto animo exceſsiſſe vita. Paulinus etiam ſummus vir & pontifex in vita beati Ambroſij narrat, Horatũ quẽdam, ſeu Honoratũ eccleſię Vercellenſis ſacerdotem, cùm ad beatum Ambroſium ea ipſa hora qua ſpiritum erat editurus, introire cuperet, tertio vocantis ſe vocẽ audiuiſſe, Surge, feſtina, quia mox eſt receſſurus, cumque cùm deſcẽdiſſet, viro Dei, Domini corpus obtuliſſe, quo accepto ipſũ è vita migraſſe. Hîc corporis tantùm, non etiam ſanguinis fit mentio. Nuſquam tamen legitur, quo primùm tempore hoc ſciuerit eccleſia, vt laici Eucharistiam ſub vna tantùm ſpecie ſumerent: etſi in ſacris canonibus inuenitur laica cõmunio, quam ſub ſpecie tantùm panis fieri interpretantur. Ac veriſimile eſt eam ab Apoſtolorũ traditione manaſſe. Sic enim Hieroſolymis fractum panem participabant fideles, quæ haud dubiè participatio eſt corporis Domini. Nam ſi conuiuia & ἀγάπας nos intelligere oportet, non erit laudis in conuiuãdo perſeuerare, cùm hæc vita ſit Epicureorum, qui pingues & nitidi bene curata cute viſuntur. Cùm ergo res ſit tam vetus, Chriſtí que inſtituto nõ repugnet, & multi ſãctiſsimi viri iam ante Nicenam ſynodum

Ambr. ſerm. de fratris exceſſu cap. 7.

Act. 2. & 20. 1. Cor. 10.

ſta vſi ſint, conciliumque generale (quod Conſtantiæ celebratum eſt, cùm de hoc nonnulli quererentur, qui tum hæretici eccleſiæque hoſtes iudicati ſunt) retinuerit, ſtatueritque non pugnare cum Euangelicis ſcriptis, eccleſiáque ipſa hoc adhuc tenuerit: eos qui contradicant, queranturque hac parte diſcedi à Chriſti inſtituto, nõ modò non eſſe audiendos, ſed ex eccleſiæ corpore, communione ac ſocietate diſtrahendos, inter omnes qui ſana mente ſint, planè conſtat.

Conc. Conſtant. ſeſſ. 13

DOROTHEA.

Quid ergo ſibi vult Gelaſius papa, dum Maiorico & Ioanni epiſcopis in hæc verba ſcribit? Comperimus quòd quidam ſumpta tantummodò corporis ſacri portione, à calice ſacrati cruoris abſtineant; qui proculdubio, quoniam neſcio qua ſuperſtitione videntur aſtricti, aut integra ſacramenta percipiant, aut ab integris arceātur. Diuiſio enim vnius eiuſdemque myſterij ſine grandi ſacrilegio non admittitur.

Refertur de conſec. diſt. 2. can. comperimus.

THEOPHILVS.

Gelaſius illic agit, ſermonémque habet de quibuſdam ſacerdotibus, qui neſcio qua ſuperſtitione à calice abſtinebant poſt oblatum Deo noſtræ redemptionis ſacrificium: id quod intelligi poteſt ex duodecimi Toletani concilij decreto, cuius hæc eſt ſententia: Relatum eſt nobis quoſdam de ſacerdotibus non tot vicibus communionis ſanctæ gratiam ſumere, quot ſacrificia in vno die videntur offerre: ſed ſi in vno die plurima Deo offerunt ſacrificia, omnibus ſe oblationibus à communione ſuſpendunt: & in ſola tantùm extrema ſacrificij oblatione communionis ſanctæ gratiam ſumunt: quaſi non ſit illis toties vero & ſingulari ſacrificio participandum, quoties corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti immolatio facta conſtiterit. Nam Apoſtolus dicit: Nónne qui edunt hoſtias, participes ſunt altaris? Certum eſt quòd hi, qui ſacrificantes non edunt, rei ſunt Dominici ſacramenti. Quicunque ergo ſacerdotum deinceps diuino altari ſacrificium oblaturus acceſſerit, & ſe à communione ſuſpenderit: ab ipſa qua ſe indecenter

Refertur de conſec. diſt. 2. can. Relatum eſt.

1. Cor. 10.

priuauit

priuauit gratia communionis, anno vno repulſum ſe nouerit. Nam quale erit ſacrificium, cuius nec ipſe ſacrificans particeps eſſe dignoſcitur? Ergo modis omnibus tenendum eſt, vt quotieſcunque ſacrificans corpus & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti in altari immolat, toties perceptionis corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti participem ſe præbeat.

DOROTHEA.

At quî fieri poteſt vt corpore & ſanguine Domini veſcamur?

THEOPHILVS.

Hîc mens & ratio humana ſilere debent. Hoc fide percipimus: & credimus Chriſtũ morti ſeſe expoſuiſſe, vt nos à morte liberaret, & reſurrexiſſe, vt nobis vitam acquireret. Ideóque hoc ſacramentum ſtatuit, vt mortis & reſurrectionis ſuæ fructus ad nos permanaret.

DOROTHEA.

Nónne hi fructus fide percipiuntur?

THEOPHILVS.

Fateor: ſed hos fructus cõfirmari & augeri amplius voluit Dominus ex hoc ſacramento.

DOROTHEA.

Quid ergo in eo continetur?

THEOPHILVS.

Ex iis quæ adhuc expoſita ſunt, nullo negotio intelligi poteſt. Sub panis ſymbolo, verè ſuſcipimus corpus Chriſti Ieſu, quod pro nobis in ara crucis immolatum eſt: ſub vini ſpecie, ſanguinem, qui pro nobis in peccatorum remiſſionem & redemptionis precium effuſus eſt. Et in hunc finem eſt inſtituta Eucharistia, vt oblationis per Chriſtum factæ ſemper ſimus memores.

DOROTHEA.

Chriſtus ergo duplicem vſum ſacramenti corporis & ſanguinis ſui commendauit?

THEOPHILVS.

Certiſſimum iſtud quidem eſt. Sed veſperam iam appetere video, & ſatis longus adhuc à nobis habitus eſt ſermo. Vereor autem ne rerum quas explicauimus copia vel tenebras tuæ menti offundat, vel officiat memo-

riæ. Cùm enim animus eidem ſemper rei intentus eſt, tandem laſſeſcit, vt vt illa ſuauis ſit & frugifera: nec fideliter audita continere ſolet, eorum ſi obruatur multitudine. Vt ergo ſingula tenacius in animo tuo hæreant, melius eſſe duco vt hoc intermiſſo ſermone, animos per amœniſsimi horti areas oblectemus. Varij flores neſcio quid iucunditatis afflabunt nobis, & ſenſus feſſos nonnihil amœnitate ſua refocillabunt.

DOROTHEA.

Quando id vtile eſſe cenſes, ſurgamus.

FINIS.

Errata ſic corrigito.

Folio 1.pag.1.verſ 8.ab vltimo, flagrans. 2.ab vltimo, capeſſebat.fol.3.pag.2.ver.11.ab vlti.quæque iiſdē clauduntur.fo.4.pa.2.ver.13.ab vlt.In deligendo fo. 8.pa.1. ver.vlt.mortificatus quidē.& pa.2.ver.5.qui nullis afflictionibus.fol.12.pa.1.ver.9.ab vlt.viuūt habitu.fo.13.pa. 1.verſ.21.ab vlti.ſed & lignea.fol. 14. pag.2. verſ.17.ab vlt.non iam.fol.16.pa.1.verſ.12.ab vlt. debita poteſtate ſpoliet:ſed vt ſingulos in officio contineat, & pro poteſtate ſibi in omnes conceſſa.fol.18.pag.1.verſ.2.ab vl. Cephas Antiochiam.fol.19.pag.1.verſ.17. ab vlt.etiam ſi æquales ſint.fol.20.pag.2.verſ. 6.ab vlt. Zozymíque. fol.21.pag.1.verſ.1.benè tentum. & pag. 2. verſ.3.referri debere.fol.29.pag.2.verſ.5. per carnem, id eſt, cū obſiſtente.fol.30.pag.2.verſ.8.ex natura humana, non ex donata gratia.fol.31.pag. 1. ver.6.ab vlt. retinendam & fulciendam.& pag.2.verſ.3.ab vlt.ad illi obtēperandū ē fol.32.pag.1.verſ.18. ab vlt. ſimulacro. & verſ.4.ab vlti. alis ipſum.& verſ.3.ab vlt.velum.& pa 2.verſ.2.temeritatē.fol.35.pag.1.ver.6.ab vlt.nō fit.& mox abinde verſ. 2. ſugillaret.fol.36. pag.1.ver.19. ſigna & prædictiones. fol.39.pag.1.verſ.7.ac mens figēda magis in diſputatione Gregorij.fol.40.pag.1.ver.2.ab vlt. Atque hæc colēdi fol 41.pag.1.ver.10.iudicauerit.fol.43.pag.1.verſ.4.ab vltimo.grauius fuit.fol.44. pag.2.verſ. 22.diffidentes. fol.48.pag.2.ver.8.virgines corruptæ.fol.57.pag.2.ver. 12.ab vlt.hîc alit & conſeruat.fol.60.pag. 2.ver.8.victor redit.fol.61.pag.1.ver.9.ab vlt.omni petenti.fol.62.pag. 2.ver.5.& caſto fieri non poſſe.fol.69 pa.1.ver.24.multā locutionem auerſatur Deus.fol.72.pa.2.ver.22.nomē eius ſanctius reddatur.fol.75.pag.1.ver.17. ab vlt.Nobis pluraliter,non mihi. & pag.2.verſ.8.tempus extendere. fol.81.pag.1.ver.5.ab vlt.in hac oratione. fol. 83. pag.2. ver.vlt.quæ per ſe dare poterant. fol. 85. pag. 2.ver.20. nobis adeſſe.fol.88.pag.2.verſ.10.ab vlt.Id ſcientes dilecti cōfugiamus.fol.91.pag.1.ver. 4.aut cooperantibus eis.fol.98.pag.1.ver.12. ab vlt.rectè etiam & vtiliter.fol. 99.pap.2.ver.penult.ſcilicet filij Adę.fol.108.pag. 1.ver. 6.ab vlti. ab operibus mortuis. & pag. 2.verſ.20, apud

patrem aduocatum iuſtum.fol.111.pag.2.ver.6.ſeque ab his correptus auerteret.& verſ.6.ab vlt.vel pro reorum ſalute.fol.112.pag.1.ver.10.ab vlt.peccata tua, confide. fol.114.pag.2.ver.16.extrinſecus prolata.& ver.4.ab vl. adnumerant. fol. 116.pag.1. verſ. 2. nominatim dicere, Sacerdotibus confitemini:quoniã.& ver.10. verba ſubnectit.fol.117.pag.1.ver.12.qui habent(inquiunt).& ver. 4.ab vlt.locum hunc.& ver.penult.dum eũdem. fol.118. pag.1.ver.9.ad euincendum.& pag.2.ver.1.cõſtricti.fol. 119.pag.1.ver.13.voluerit.& ver.penult.libro itẽ. fol.120. pag.2.ver.3.prophetæ dicẽti.& ver.15.neceſſariũ non eſt. fol.121.pag.1.ver.11.ab vlt.vel indiciis.fol.122.pag.1.ver. 14.ab vlt.offertur.& pa.2.ver.9.ne tranſuerſũ quidẽ vnguem.fol.123.pag.1.ver.7.animo meo abunde.& pag.2. ver.9.ab vlt.hanc præpoſitis.fol.124.pa.1.ver.3.quo autẽ modo fructificare poterimus?ſi vtique peccatis aduerſa faciamus.fol.134.pag,1.ver.8.lapſi reparatio 135. pag.1. ver.penult. conſilij ſui.fol.136.pag.1.ver.15.illum dignũ. fol.142.pag.2.ver.12.& decreuit.fol.144. pag. 2.verſ.5. prætereuntem viatorem. fol. 147. pag.1.ver. 10. Quin hoc etiam. & verſ. 16. ab vlt. proindeque iuſtum. fol. 149.pag 1.verſ 2.ſpecie opertam.fol.158.pag.1.verſ. 10. alia ſpecies nominatur.fol.162. pag. 1.verſ.8.ab vlt.vita non fuit.fol.163.pag.1.ver.17.ab vlt.Illud inquam ipſum.fol.166. pag.2. verſ.20. verſaretur. fol. 169. pag.1, ver.5.armemus.16.confirmat.fol.170.pag.1.ver.9.offertur.pag.2.ver.6.eſſe fimbriam.32.eſt,voluit Do. fo.171. pa,1.ver.4.extra.veritas.7.diſcipulis.8.ſanguinis vſu.12. vini ſpecie.14.inuiſibili.18.ipſa trãſmutari.19. remaneat ſubſtantia.31.Dominici corp.ibidem pag.2.ver.à fine 8. inſcrutabilis.fo.172.pag.1.ver.5.ſuiipſius.pa.2.verſu.25. aqua in vinũ.fol.173. pag.1.ver. 4.ſubnectit.fol. 175. pa. 1.ver.2.a fin.ſtantinopolitanus.pag.2.ver.3.extra quam nullus ſaluatur.fol.177.pag.1. verſ.2. benedicit. verſ.4.à fine,at ſuũ.pag.2.ver.6.omnipotentis.fo.18. pag.2. ver. 16.vos debetis. fol.182.pag.2.ver.9.intelligitur.fo. 183. pag.1.ver.14.vbi liberior.fol.185. pag. 1.ver.12. te velle. fol.186.pag.2.ver.4.ad eũdem.fo.187.pag.1.ver.9. Melchiſedecini.fol.190.pag.1.ver.6.à fine, coæuum. pag.2. ver.7.à fine,circũdatus eſt.fo.191.pa.1.ver.9. omnes per

pag.2.ver.6.à fine,Propheta loquitur.fol.193. pa.1. ver. 25.nouus etiam.fol.195.pag.1.ver. 5.quòd offerebatur. fol.196.pag.2.ver.16.Simeon in.25.ſacrificium.fo.197. pag.2.ver.27.ſub tegumentis.fol.201. pag.1.ver. 2. hinc enim.32.alia atque alia ratione. pag.2.ver.3. aſtatur.fol. 202.pa.1.ver.14.Theophilactus:Simul atque.fo.203.pa. 1.ver.3.& 4. explicatius ei lo.fo.204.pa.2.ver.17.intelligo,ea omniũ.fol.205.pag.1.ver.1.ſi nullũ.9.quin ſimul. 19.potiſsimũ.33. ſacrificium nouæ.fo.206.pa.1.ver.3.At ſacer.28.meis meritis.fol.207.pag.2.ver. 26. ſubnectit. fol.209.pag.1.ver.22.deum tibi.fol.212.pag.2.ver.8.hos paſsim.fol.215.pag.1.ver.23.ſacramentaliter.fol.220.pa. 1.ver.12.peracta.ver.penul.nouus.fol.222. pag.2.ver.30. quum.fol. 224.pa.1.ver. 3.acceptam.pag.2. ver.10.incipit.fol.226.pa.1.ver.à fine,5.miniſtrũ præ.fol.228. pa.1. ver.18. προσευχὰς. fol. 231.pag. 2.ver.2.Chryſogoni.fol. 234. pag.2. ver. 26. bonorum videlicet. fol. 236. pag.1. ver.13.hoſtiam ſan.ver.pen.quum corpus.fol.237.pag.1. ver.àfine,6.terreno iſto.fol.240.pa.1.ver.22.& precatorẽ.30.ſibiipſique.fol.242.pag.2.ver.11.à fine,ex eleemo. fo.247.pa.1.ver.16.ſtipula cõ.pa.2.ver.8.ſiueiudicio.6.à fine,detrimenti & verſu.fo.248.pa.2.ver.vl.ſæuiſsimis. fol.249.pa.1.ver.18.exequiis.29.coniũge verſum ſequẽtem cũ verſu ſequẽte,nec enim ſeparata eſt ſentẽtia:& in ver.28.quod eſt cedere,ſcribe cũ diphthõgo, cędere.fol. 251.pag.1.ver.31.ſubiiciantur.fol. 252.pag.2.ver.15.comparatum.fo.253 .pag.1.ver. 5.à fine, ſubuertere. fol. 163. pag. 2. verſu 28. ſine literis . fol. 265. pag . 1. verſu 1. à permultis. fol.266.pag.2. ver.8.facerent. 11. exceptum. fol.268.pa.2.ver.25.ſine bono.fol.269.pag.2. ver. 7.à fine,hanc rationem.fo.270.pag.1.ver.4.à fine,noui teſta. fo.272.pag.1.ver.31.Gallicanas.fol.273.pag.2.ver.5.à fi. eúmque.fol.274.pag.1.ver.7.à fine,eſſentialiter.fo.279. pag.1.ver.7.à fine,presbyterij:fol.283.pa.2.ver. à fine,11. Mileuitani. fol.284.pag.1.ver.12.duxerit.30. oboriatur. fo.288.pag.2.ver.7.à fine.Perdit nos Dom.fo.291.pa.1. ver.17.haud du.fol.293.pag.1.ver.11.cachinnãtur.fo.295. pag.2.ver.25.laſsi.fol.301.pag.1.ver.6.à fine,inobedientiæ, vna dictione.pag.2.ver.11.non habemus,neque.

PETRI BVLENGERII TRECENSIS INSTITVtionum Chriſtianarum liber ſextus.

THEOPHILVS.

EXTREMA diſputatione noſtra, Dorothea ſoror, heri fatebar ingenuè, Chriſtũ duplicem vſum ſacramenti corporis & ſanguinis ſui cõmendaſſe Sed quia nox inſtabat, eius rei rationem data opera in hodiernum diem diſtuli. Hãc igitur, vt te velle video, ego nunc expediam. Chriſtus qua bonitate eſt, cùm ſemel in gregem ſuum per baptiſmum admiſſos diuina ſua carne perpetuò velit alere, ſtatuit primùm, vt à fidelibus corpus ſuũ, velut animæ ſalutare alimentum ſumeretur. Accipite (inquit) & comedite. Deinde, vt Deo patri in memoriã paſſionis ſuæ offerretur. Cuius oblationis miniſteriũ, Apoſtolis, velut nouæ legis ſacerdotibus tradens: Hoc, inquit, facite in mei commemorationem.

DOROTHEA.

Iſta, quæſo, fuſius mihi fac explices. ſtrictius enim & anguſtius dicuntur, quàm vt omnino poſsim intelligere.

THEOPHILVS.

Perinde eſt, acſi Dominus noſter dicat: Quemadmodũ ex pane & vino diuina poteſtate corpus & ſanguinem meũ effeci & conſecraui: quemadmodum Deo patri offero & ſacrifico, ac illud vobis in cibum potumq́ue ſpiritualẽ diſtribuo: ſic & vos verbi mei virtute illud conſecrate, offerte, myſticéque ſacrificate ad renouandam ſalutaris ſacrificij, quod in cruce offero, memoriam. Carnẽ meam comedite, & bibite ſanguinem meum, ac fidelibus in mei memoriam diſtribuite. Quotieſcũque enim comederitis panem hunc, & de poculo biberitis, mortem Domini annunciabi- *1. Cor. 11.*

tis donec veniat. Quibus ex verbis conſtat poteſtatem cõſecrandi, offerendi, ac diſtribuendi corpus Domini non Apoſtolis tantùm datam eſſe, ſed omnibus etiam ipſorũ ſucceſſoribus vſque ad mundi cõſummationem: idque in memoriam mortis & paſſionis Dominicæ.

DOROTHEA.

Duplex ergo Chriſti eſt oblatio.

THEOPHILVS.

Prorſus. Nam ſicut Chriſtus Deo patri in cruce pro noſtra redemptione ſe obtulit: ita in cœna iam antè ſe Deo obtulerat patri, ſub ſpeciebus panis & vini incruentum inſtituens ſacrificium recordationis mortis ſuæ, gratiarum actionis & laudis.

DOROTHEA.

Hoccine ex Euangeliorum contextu edocere me poſsis?

THEOPHILVS.

Clariſsimè profectò id demonſtrari poteſt, ſi facta dictáque Chriſti attentè conſiderare volumus. Ex iis enim apparet quòd quemadmodum loco circuncifionis, antiqui ſacramenti, inſtituit Chriſtus ſacramentũ nouũ baptiſmatis: ſic & loco multiplicium oblationum & ſacrificiorũ veteris teſtamenti (quæ tantùm vmbræ quædam fuerunt rerum futurarum) nouum iſtud tradidit ſacrificium.

DOROTHEA.

Te igitur oportet, ſi rem ſatis aſſequor, componere ac comparare dicta & facta Chriſti cum verbis & ritu ſacrificiorum veteris teſtamenti, vt appareat quàm pulchrè reſpondeat figuræ veritas, & hoc illi ſuccedat.

THEOPHILVS.

Hoc ipſũ præſtare conabor, ac docebo quomodo Chriſtus tanquam lux vera, omnem veterum ſacrificiorum vmbram in cœna ſua auferat & procul abigat, in quorum omnium locum ſacrificiũ iſtud (quod ea omnia ſignificabãt) repoſuit & ordinauit.

In veteri teſtamento Moyſes de agno Paſchali (quod nihil aliud erat quàm oblatio & ſacrificium figurale) ita loquitur: Eſt phaſe, id eſt, tranſitus Domini. De hoc verò nouo ſacrificio (quod illo ſignificabatur) Chriſtus ait: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis traditur, nimirum in remiſsionem peccatorũ, in qua vtique fit verus tranſitus Domini.

Exod. 12.

mini, cùm videlicet peccatum & mortem euadimus, & poteſtas diaboli deponitur. Rurſus de illo eodem agno Paſchali Moyſes ibidem iubet, vt accepto ſanguine aſpergantur eo ſuperliminare, & ambo poſtes domus, vt ſit eis ſanguis in ſignum liberationis à plagis Aegypti. De hoc verò Chriſtus ait: Hic eſt calix noui teſtamenti in meo ſanguine, qui pro vobis effunditur in remiſsionem peccatorum. De illo iterum ait Moyſes ad Iſraelitas: Cùm introieritis terram, quam Dominus Deus daturus eſt vobis, vt pollicitus eſt, obſeruabitis cæremonias iſtas religione perpetua. De hoc verò mandat Chriſtus: Hoc facite in mei commemorationem, vſque dum rediero. Alibi de ſanguine ſacrificiorum, quo primùm liber teſtamenti, & omnis populus, deinde tabernaculum, omniáque vaſa miniſterij Dei aſpergebantur, ait: Hic eſt ſanguis teſtamenti, quod ad vos mandauit Deus. Chriſtus autem dicit: Hic eſt calix noui teſtamenti in meo ſanguine, qui pro vobis effunditur. *Exod. 24.*

Similiter de ſacrificio primitiarum, quod peculiariter ſacrificium iſtud noui teſtamenti ſignificabat, præcepit Moyſes: Cùm intraueris terram, tolles de cunctis frugibus eius primitias, & pones in cartallo, pergéſque ad locum quem Dominus tuus elegerit, vt ibi inuocetur nomen eius: accedeſque ad ſacerdotẽ qui fuerit in diebus illis, & adferes ad eum: ſuſcipiétque ſacerdos cartallum de manu tua, & ponet ante altare Domini Dei tui. Et præcipit inde Moyſes, vt in hac oblatione Iſraelitæ clara voce fateantur, agantque Deo gratias, quòd in manu forti & brachio extento induxerit eos in terram promiſsionis, quódque ſuſceperint omnia quæ Dominus erat eis pollicitus. Hîc quum Chriſtus ab Apoſtolis ſibi cœnam parari iuſsiſſet, accipit ad eundem modum panem, ſimúlque calicem, in ſanctas manus ſuas, gratias agens patri cœleſti. Poſtremò iubet Moyſes, vt cõpleta oblatione & gratiarum actione, adoratoque Domino, filij Iſrael in loco illo oblationis primitiarum, epulentur in omnibus bonis, quæ Dominus Deus ipſis erat largitus. Chriſtus autem in cœna ſua, cùm gratias egiſſet, dedit Apoſtolis ſuis proprium corpus & ſanguinem, ſub panis & vini ſpeciebus, dixitque omni cõſolatione & gaudio plena illa *Deu. 26.*

verba:Accipite,comedite,& bibite:Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur:Hic eſt ſanguis meus,qui pro vobis effunditur.

Poſſent ad eũdum modum vniuerſa libaminum,& omnium ſacrificiorum veteris teſtamenti genera cum hoc ſacrificio conferri. Sed quæ hactenus adduximus ſatis eſſe poſſunt in prꝫſentia. Vidit hanc collationem Theophylactus in verbis illis Domini: Hic eſt ſanguis meus,cùm ait:
Marc.14. Sãguinem noui teſtamenti dixit Chriſtus, opponendo veteri: habebat enim & vetus teſtamentum ſanguinem,quo aſpergebatur & populus & liber legis. Sic & in hunc locũ:
Mat.26. Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti:Sicut vetus (inquit) teſtamentum immolationem habebat & ſanguinem:ita& nouum teſtamẽtum ſanguinem habet & immolationem.
Ibidem. Quod teſtatur & Euthymius: Sicut (ait) vetus teſtamentũ hoſtias & ſanguinem habebat: ita ſanè & nouum,corpus
Lib. de ſpir. & litera. ca.11. videlicet & ſanguinem Domini. Vnde Auguſtinus oblationem hanc appellat veriſſimum & ſingulare ſacrificium. Et beatus Irenæus aſſeuerat nos Euchariſtiam corporis &
Irenæus lib. contr. hære. cap.34. ſanguinis Chriſti offerre patri cœleſti creaturam ſanctificãti,gratias agentes pro ſua donatione.In miſſa etiã Chryſoſtomi, in oratione Cherubici interpellat eccleſia Chriſtum hoc modo: Propter ineffabilem & immenſam tuam humanitatem, intrepidè & irreuocabiliter fact⁹ es homo, & ſummus pontifex noſter.Sacrificiorum ritus inſtituiſti, ac ſolennis huius & immaculati ſacrificij celebrationem nobis tradidiſti tanquam Dominus omnium. Hoc modo docent reliqui patres omnes ac doctores catholici.

DOROTHEA.

Nullúſne alius in ſcriptura ſacra locus occurrit,vnde & iſtud noſſe liceat?

THEOPHILVS.

Pſal.109. Ex verbis Pſalmographi id quidem intellectu procliue eſt. Cùm enim pſalmo quodam Chriſtus à ſpiritu ſancto pronuncietur ſacerdos in ꝫternum ſecundum ordinẽ Melchiſedec, neceſſarium eſt vt,quemadmodum Melchiſedec in typum & figuram Chriſti,panem & vinum obtulit,tan-
Gen.14. quam ſacerdos viuentis & æterni Dei, idq́ue dum benedixit Abrahamo parta victoria,quatuórque regibus obtruncatis ex acie recedenti: ita re vera Chriſtus in cœna corpus &

pus & ſanguinem ſuum ſub panis viníque ſymbolis Deo obtulerit. Alioqui ſi tãtùm in cruce obtuliſſet, non impleuiſſet quod panis & vini ſacrificio à Melchiſedec figuratũ eſt:at figuram dũtaxat Aaronici ſacrificij,quod effuſo ſanguine peragebatur. Quare nec ſacerdos eſſet ſecundum ordinem Melchiſedec, qui nuſquam ſanguine ſacrificaſſe legitur,ſed pane ſolùm & vino.Cũ igitur hoc diuinæ ſcripturæ prorſus aduerſetur, omnino neceſſe eſt vt Chriſtus ſimilitudinem ſacrificij Melchiſedecimi pane & vino ſit imitatus, figurámque veritate adimpleuerit, vt eccleſiæ ſuæ nouum traderet ſacrificium in pane & vino, ad memoriã ſanctiſsimæ paſſionis ſuę, vſque ad finem ſeculi iugiter offerendum.

DOROTHEA.

Enimuerò in Geneſeos libro nequaquam dicitur Melchiſedecus obtuliſſe panẽ & vinum:at protuliſſe duntaxat.

THEOPHILVS.

Næ panem & vinum protulit:non vt Abrahami & tyronum, quos armis inſtructos eduxerat, vires cibo reficeret: nam vſi fuerant commeatu, quem (vt contextus ipſe declarat) interceperant,opimíſque ſpoliis onuſti è prælio reuertebantur,vt Abrahamus oſtendit,dum regi Sodomorum ait:Non accipiam quicquam ex omnibus quæ tua ſũt his tantùm exceptis quæ comederũt iuuenes:Ergo vt Deo offerret ſacrificarétque gratias illi acturus de victoria Abrahæ paruis admodum copiis inſtructo data.Quod Moſes ſatis ſupérque ſignificat,quum Melchiſedecum panem & vinũ protuliſſe dicit,quòd eſſet ſacerdos Dei altiſsimi.

DOROTHEA.

Nullámne huius rei mentionem faciunt doctores antiqui?

THEOPHILVS.

Non modò eccleſiæ Chriſtianæ,tum Græcæ,tum Latinę doctores,ſed etiam veteres Hebræorum Rabini,qui aduẽtum Domini præuerterunt, magno conſenſu Melchiſedecum Dei viuentis ſacerdotem, panem & vinum obtuliſſe aſſeuerant.

DOROTHEA.

Singulari cum voluptate,quid hac de re ſentiant, audirem,eorum ſi dicta recitare non grauareris.

THEOPHILVS.

Haud equidem iſtud grauatè faciã. Itaque ab Hebręis ducam initium. Rabi Pinhas Iahir filius: Tẽpore (inquit) Meſſiæ omnia ſacrificia ceſſabunt: ſed ſacrificium panis & vini nunquam deſinet, vt in Geneſi legitur: Et Melchiſedec rex Salem panem & vinum excepit. Et quòd ſeparabit ſacrificium panis & vini a ceſſatione ſacrificiorum, probat illud Pſalmographi: Tu es ſacerdos in æternum, &c. Atque hoc loco, vbi legimus, Protulit, hic Rabin', Excepit, vel Separauit, legit: quoniam offerenda Deo excipiuntur, ſeparãtur, ac ſegregantur à communibus vſibus.

Gen.14.

Rabi Samuel Barnabas de Melchiſedec ait: Sententias ſacerdotij tradidit ei, & erat ipſe ſacrificans panẽ & vinum, Deo ſancto & benedicto, ſicut dictũ eſt: & ipſe erat ſacerdos Deo altiſſimo. Et poſt varias expoſitiones magiſtrorũ dicit: Melchiſedec produxit panem: Hic eſt panis propoſitionis & vinũ, id eſt, libamina. Hæc autem ſunt ſacrificia. Hanc quoque magiſtrorum refert dicentium, quòd legem reuelauit ei, qui dixit: Venite & comedite panem meum, & bibite vinum quod miſcui. Poſtremò hanc refert traditionem Melchiſedec, hoc eſt, ac ſi dixiſſet ſcriptura quod ſcriptum eſt pſalmo 109. Iurauit Dominus & non pœnitebit eum, tu es ſacerdos ſecundũ (vel ſupra) ordinem Melchiſedec. Et quis eſt iſte? Iſte eſt rex iuſtus & ſaluator rex Meſſias, ſicut apud Zachariam dicitur: Ecce rex tuus venit tibi iuſtus & ſaluator. Et quid docet dicẽdo, Protulit panem & vinum? quaſi dicat: Erit placenta tritici in terra. Et quod ſcriptum eſt Gen. 14. Et ipſe erat ſacerdos Deo altiſſimo. Hæc ex Rabi Moſe Hardaſan.

Zacha.9.

Iam venio ad catholicos doctores, qui docebunt nõ modò Melchiſedecum panem & vinum Deo in ſacrificiũ obtuliſſe: ſed Chriſtum etiam in cœna hanc exercuiſſe oblationem, quam eccleſiæ ſuæ fieri præcepit in memoriã mortis & paſsionis ſuæ, cùm ſe obtuliſſet ipſe patri ſub panis & vini ſpeciebus. Beatus martyr Cyprianus: In ſacerdote (inquit) Melchiſedec ſacerdotij Dominici ſacramẽtũ prę figuratũ videm', ſecũdũ quod ſcriptura diuina teſtatur & dicit: Et Melchiſedec rex Salẽ protulit panẽ & vinũ. Fuit autẽ ſacerdos Dei ſummi, & benedixit Abrahã. Quòd autẽ Melchiſedec typũ Chriſti portaret, declarat ſpiritus ſanctus in pſalmis ex perſona patris ad filiũ, dicẽs: Ante luciferũ ge-

Cyp.lib.2. epiſt.3.ad Cæcilium.
Gen.14.
Pſal.109.

nuerā te:iurauit Dominus,& nō pœnitebit eum:tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedec. Qui ordo vtique eſt de ſacrificio illo veniēs, & inde deſcēdens, quòd Melchiſedec ſacerdos Dei ſummi fuit, quòd panē & vinum obtulit,quòd Abraham benedixit. Nam quis magis ſacerdos Dei ſummi,quàm Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui ſacrificiū Deo patri obtulit?& obtulit hoc idem quod Melchiſedec obtulerat,id eſt,panē & vinum, ſuum ſcilicet corpus& ſanguinem?Et paucis de benedictione Melchiſedec & fide Abrahæ interpoſitis,ait: Vt ergo in Geneſi per Melchiſedec ſacerdotem benedictio circa Abraham poſſit ritè celebrari,præcedit antè imago ſacrificij, in pane & vino ſcilicet conſtituta.Quam rem perficiens & adimplens Dominus panem & calicem mixtum vino obtulit, & qui eſt plenitudo,veritatem præfiguratæ imaginis adimpleuit. Sed & per Salomonem ſpiritus ſanctus typum Dominici ſacrificij præmōſtrat immolatæ hoſtiæ panis & vini,ſed & altaris & Apoſtolorum faciens mentionē:Sapiētia,inquit, ædificauit ſibi domum,& ſubdidit columnas ſeptem. Mactauit ſuas hoſtias, miſcuit in cratere vinū ſuū, & parauit menſam ſuam.Et miſit ſeruos ſuos,conuocās cum excelſa prædicatione ad craterem,dicens:Qui eſt inſipiēs,declinet ad me.& indigentibus ſenſu dixit: Venite & edite de meis panibus,& bibite vinū quod miſcui vobis. Rurſum,verbis quibus hoc ſacramentum conficitur recitatis, dicit: Vnde apparet ſanguinem Chriſti non offerri,ſi deſit vinū calici, nec ſacrificium Dominicum legitima ſanctificatione celebrari,niſi oblatio & ſacrificiū noſtrū reſponderit paſsioni. Quomodo autē de creatura vitis nouū vinū cum Chriſto in regno patris bibem*,ſi in ſacrificio Dei patris & Chriſti vinum non offerimus, nec calicē Domini dominica traditione miſcemus?& infrà adiungit:Si Ieſus Chriſtus Dominus & Deus noſter ipſe eſt ſummus ſacerdos Dei patris, & ſacrificium Deo patri ipſe primus obtulit,& hoc fieri in ſui commemorationem præcepit,vtique ille ſacerdos vice Chriſti ferè fungitur, qui id,quod Chriſtus fecit,imitatur. Et ſacrificium verū & plenum tunc offeret in eccleſia Deo patri,ſi ſic incipiat offerre,ſecūdum quod ipſum Chriſtum videat obtuliſſe.

Arnobius preſbyter, philoſophus & orator inſignis, Lactātij Firmiani præceptor, qui anno vixit 300: Hic eſt (inquit, de Chriſto loquens) qui per myſterium panis & vini ſacerdos factus eſt in æternum ſecundum ordinem Melchiſedec, qui panem & vinum ſolus obtulit in ſacerdotibus, dum Abraham victor reuerteretur de prælio.

Damaſcen. lib. 4. ortho. fid. cap. 14. Damaſcenus: Pane & vino ſuſcepit Melchiſedec Abrahã ex cæde alienigenarum reuertentem, qui erat ſacerdos Dei altiſsimi. Illa menſa hanc myſticam præfigurauit mẽſam, velut & ſacerdos ille, Chriſti veri ſacerdotis figuram præ ſe ferebat & imaginem. Tu es (inquit) ſacerdos ſecundum ordinem Melchiſedec. *Tomo epiſt. 3.* Hieronymus ad Euagrium ſcribit ſe perlegiſſe Hippolytũ, Irenæum, Euſebium Cæſariẽſem, & Emiſſenum, Apollinarium quoque, & Euſtathium Antiochenum, eorumque omnium opiniones deprehendiſſe diuerſis argumentationibus ac diuerticulis ad vnum compitum perueniſſe, vt docerent Melchiſedec in typum præceſsiſſe ſacerdotis filij Dei, de quo dicitur: Tu es ſacerdos *Pſal. 109.* in æternum ſecundum ordinem Melchiſedec. Ordinem autem eius multis illos modis interpretari, quòd ſolus & rex fuerit & ſacerdos, &c. quòd neque carnis & ſanguinis victimas immolauerit, nec brutorum ſanguinem, nec eorũ animalium exta, id eſt, quicquid ſuper eſcam eſt, ſuſceperit, ſed pane & vino ſimplici puroque ſacrificio Chriſti dedicauerit ſacramentum. Idem in pſal. 109. Hoc ſolùm, inquit, interpretemur, Tu es ſacerdos, &c. Hoc ſolùm dicamus, quare dixerit ſecundũ ordinem. Nequaquam ſacerdos eris ſecundum victimas Iudaicas: ſed eris ſacerdos ſecundũ ordinẽ Melchiſedec. Quomodo enim Melchiſedec rex Salẽ, obtulit panem & vinum: ſic & tu offeres corpus tuum & ſanguinem verum panem & verum vinũ. Iſte Melchiſedec, iſta myſteria quæ habemus dedit nobis. ipſe eſt qui dixit: Qui manducauerit carnẽ meam, & biberit ſanguinẽ meũ, habet vitam æternã. Secundum ordinem Melchiſedec tradidit nobis ſacramentum ſuum. Hæc ille. *Lib. 4. de ſacram. c. 3.* Ambroſius item oſtẽdit Euchariſtię figurã præceſsiſſe Iudæorũ ſacramẽta. ait autem: Tunc victor venit, occurrit illi Melchiſedec ſacerdos, & obtulit ei panem & vinum. Quis habuit panem & vinũ? Melchiſedec. Ipſe ergo author ſacramentorum. Et

infrà:

infrà:Obtulit ergo Melchiſedec panẽ & vinũ. Vult autem Ambroſius ſacramenta Chriſtianorũ eſſe anteriora, quàm ſunt Moſis ſacramenta: quod non poteſt eſſe,niſi propter ſacrificium panis & vini à Melchiſedec oblatum.
Huic aſtipulatur diuus Auguſtin⁹.Itẽ in ſacerdote(inquit) Melchiſedec Dominicum ſacramẽtum præfiguratum videmus,ſecũdum quod ſcriptura diuina teſtatur & dicit: Et Melchiſedec rex Salem protulit panem & vinũ,&c.Atque hæc verba à beato Cypriano mutuatus eſt Auguſtinus. *Lib.4.de doct. chriſt. cap.21.*

Theophylactus etiam:Verùm quem alium (ait) afferre poſſunt præter Chriſtũ Iudæi,qui ſit ex inſtituto Melchiſedec pontifex factus? Nónne erãt ſub lege omnes?Nónne vniuerſi ſabbata obſeruabãt,offerebantque ſacrificia?Apertiſsimè itaque de Chriſto id eſſe dictum conſtat.Hic enim ſolus,Melchiſedec illius in morẽ,pane & vino ſacrificauit.
Marcus quoque Marullus:Primus, inquit, Melchiſedec in ſacrificio panem & vinum obtulit:inde tu diceris in æternum ſacerdos,non ſecundum ritum eorum qui pecora ſacrificabant,ſed ſecundum ordinem Melchiſedec,qui pane vinóque litauit.Illius tamen ſacrificium ſignum & vmbra fuit : tuum autẽ veritas eſt & lux.Tuum iſtud & prophetæ futurum prædixerunt,& figuræ ſignificarunt, vt in eo credendo quod & vetuſtas promitteret, & nouitas exhiberet, fides noſtra ſtabiliretur atque firmaretur magis . Vides vt communi conſenſu omnes iſti ſancti doctores affirment, quod de oblatione Melchiſedec & Chriſti Ieſu in medium attuli,qui quidem panis & vini ſacrificio figuram , quæ in Melchiſedec præceſſerat,adimpleuit? *Lib.2.Euãgel.cap.17.*

DOROTHEA.

Iſtud ergo aſſeuerãter pronunciandum,Chriſtianam eccleſiam toto terrarum orbe diffuſam,duo Chriſti agnoſcere ſacrificia.

THEOPHILVS.

Duo re vera agnoſcit,eadẽ ſecundum ſubſtantiã, ſed ſecũdum rationem & ritum offerendi multum diuerſa. Vnũ in cruce cruentũ , quo ipſe mediator noſter iuſtã numinis iram placauit,eique nos recõciliauit flagitiorum noſtrorũ maculas ſuo luens ſanguine , tradensque ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorẽ ſuauitatis. De hoc ait Apoſtolus: Vna oblatione cõſummauit in æternũ *Epheſ.5.*

Hebr.10. ſanctificatos. Et: In illo complacitum eſt patri vniuerſam
Col.1. plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare cuncta erga ſe, pacificatis per ſanguinem crucis eius per eundem, ſiue quæ in terra ſunt, ſiue quæ in cœlis. Iterum: Per quem habemus redemptionem per ſanguinem ipſius, remiſsionẽ
Ephe ſ.1. peccatorũ, iuxta diuitias gratiæ ſuæ. Et: Inſtaurauit omnia per Chriſtũ & quæ in cœlis ſunt, & quæ in terra per eundẽ.
Eſai.63.& 53. Et apud Eſaiam, Torcular calcaui ſolus. Et: Eius liuore ſanati ſumus. Alterum ſacrificium eſt, quo in cœna ſub ſpeciebus panis & vini corpus & ſanguinẽ ſuum ipſe ſacerdos iuxta ordinẽ Melchiſedec patri obtulit, perpetuum cōdẽs nouæ legis ſacrificiũ, quod Apoſtolis ſuis & ipſorum ſucceſſoribus, vt ad finem vſque ſeculi in ſui memoriam facerent, commendauit. Nam quemadmodum ante Chriſti aduentum Deus patribus certa quædam ſacrificia tradidit, quibus magni iſtius ſacrificij, quod futurum ipſi expectabant, memoriam in animis ſuis excitarẽt, fidem ſtabilirẽt, & fructum eius credendo & precando ſibi applicarent, & per eorum oblationem beneficiorum Dei gratis animis recordarẽtur: Sic Chriſtus eccleſiæ ſuę mundam & ſalutarẽ corporis & ſanguinis ſui oblationem, ſub ſpecie panis & vini commendauit, qua corporis eius in cruce pro nobis appenſi, & ſanguinis effuſi memoriam in animis noſtris ſubinde renouaremus, & fructum iſtius oblationis cruẽtæ, qua in æternum conſummauit ſanctificatos, in nos transferremus. Hoc eſt enim facere in memoriam eius, gratis animis cōmemorare mortẽ Domini, & per memoriam & meritum paſsionis eius deprecari patrem vt nobis recōcilietur. Hæc eſt mũda & ſalutaris oblatio illius vnici ſacrificij, quo omniũ ſalus comparata eſt, memoriã redintegrãs quæ non ſolùm ſignificat, ſed re ipſa in ſe cōprehendit veritatem illarum rerum, quas diuerſorum ſacrificiorũ oblationes olim præſignabãt: eadem nimirum corporis & ſanguinis Chriſti hoſtia, quæ in cruce eſt oblata, nō alia: idem agnus, nō alius, & vnus vtrobique Chriſtus. Sed tũc cruẽto & paſsibili modo oblatus eſt, qua oblatione omnibus credentibus remiſsionem peccatorum & redemptionem ſufficienter impetrauit. Nunc verò eandẽ ſub myſterio, modo incruento & impaſsibili offerimus, non vt peccatorum re-

miſsionem

miſsionem & animarum noſtrarum ſalutem iam primùm promereamur, ſed vt paſsionis Dominicæ memoriam renouãtes, Deo gratias agamus pro ſalute nobis in cruce imperrata, & ibi promeritam peccatorũ remiſsionem & redẽptionem fide ac pio mentis affectu nobis adiungamus & vendicemus.

DOROTHEA.

Satis ergo ſuperque antehac audiui, eſſe in Euangelica lege, interna & ſpiritualia ſacrificia: cuiuſmodi ſunt, ſacrificium contribulati cordis & humiliati ſpiritus, & ob colendam pietatem ſuſceptæ carnis afflictiones, ſacrificium labiorum, precum, gratiarum actionis, & laudis, & ſiqua ſunt ſimilia. Quamobrem diuus Paulus hortatur vt præbeamus corpora noſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, acceptam Deo, & rationalem cultum, ſpiritualem intelligens colendi Dei ritum quem carnalibus legis Moſaicę ſacrificiis tacitè opponit. Sic beneficentia & communicatio, victimæ appellãtur, quibus placetur Deus. Sic Philippenſium benignitas, qua Pauli inopiam ſubleuarant, hoſtia bonæ fragrantiæ. Sic omnia fidelium bona opera, ſpirituales hoſtiæ. Admonet etiã beatus Petrus, vt ipſi veluti viui lapides ædificemur domus ſpiritualis, ſacerdotiũ ſanctum, ad offerendas ſpirituales hoſtias, acceptabiles Deo per IeſumChriſtum. At externũ eſſe & ſenſibile ſacrificiũ, cuius Apoſtoli & eorum ſucceſſores ſoli cõſtituti ac ordinati ſunt miniſtri, id perquàm libenter didicero. *Rom.12.* *Heb.13.* *Philip.4.*

THEOPHILVS.

Si in lege naturali, & Moſaica lege, præter ſacrificia interna & ſpiritualia (quæ promiſcuè omnibus permittũtur) aliqua fuerũt externa & ſenſibilia ſacrificia, diuinitus à Deo monſtrata, certis hominum alligata officiis, à quorũ oblatione alij magnis cõminationibus & pœnis arcebãtur: omnino neceſſarium eſt, vt legi Euãgelicæ (quę perfectiſsima eſt) ſuũ adſit ſacrificiũ, quodquidem à ſacerdote miniſtro peculiariter offeratur. Lex enim perfectiſsima cœnam ſibi ſacrificium exigit, ita vt lege durãte duret ac permaneat ſacrificiũ ipſi peculiare. At internum & ſpirituale ſacrificiũ, quod omni legi cõmune fuit, non eſt huiuſmodi, nec ſacrificatio Chriſti in cruce: cuius etſi ſemper in ſacramentis durat effectus, ipſa tamen ſacrificatio morte finita eſt. *1.Reg.13.* *2.Paralip.26.*

Quòd ſi ſoli effectui initi volueris in quo ſemper durat, hoc erit commune etiam operibus & ſacramentis veteris legis: quoniã & illa virtutem habuerũt à paſsione Chriſti prçuiſa, ſicut ſacramenta Euãgelij efficaciam habent à paſſione Chriſti exhibita. Idéque eſt de adminiſtro ſacerdote

Heb. 7. iudicium. Hæc enim tria colligata ſunt, & ſeſe neceſsariò cõſequuntur, lex, ſacerdotium, & ſacrificiũ. Sacerdos legis naturæ fuit primogenitus, paterfamiliâs: legis ſcriptæ Aaron cum filiis: Euangelij Chriſtus, cui Deus iurauit, & non pœnitebit eum, Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedec. Habebit ergo ſacerdotium iſtud peculiare ſacrificium, cuius oblatio durante lege duret: vbi excluditur ſacrificatio in cruce, quæ Euangelio oriente facta eſt ſemel, nunquam poſteà futura. Neceſſe eſt ergo vt alia toto Euangelij tempore ſacrificatio frequentetur, quæ eſt in officio miſſæ oblatio, vbi Chriſtus quotidie eſt (vt ait Ambroſius) verus ſacerdos & vera hoſtia, ſacerdote miniſtro in perſona eccleſiæ ſimul offerente. Nec vllius eſt momenti effugium, quo veritati catholicæ illudunt hæretici: manere ſcilicet Chriſtum æternum ſacerdotem, & vbique

Heb. 5. offerri, quia Hieroſolymis ſit crucifixus, paſſioníſque eius æterna ſit efficacia & omnibus profutura, etiam iis qui procul à Hieruſalem in oriente & occidente abſunt. Neque enim diſceptamus de fructu & permanentia ſacrificij, ſed ſacrificationis permanſione, quam Chriſtus, dum Apoſtolos & eorum ſucceſſores exercere iuſſit, illos vtique ſacerdotes effecit: cùm ſit proprium ſacerdotis munus offerre ſacrificia, quemadmodum docet Apoſtolus dicens: Omnis pontifex, qui ex hominibus aſſumitur, pro hominibus conſtituitur in his quæ apud Deum aguntur, vt offerat dona & ſacrificia pro peccatis, qui placabilis eſſe

Hier. 31. poſſit ignorantibus & errantibus, quandoquidem & ipſe circundatus infirmitate: & propter hanc debet, quemadmodum pro populo, ita & pro ſe ipſo immolare pro peccatis. Nec quiſquam ſibi ipſi vſurpat honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Quòd ſi Chriſtus qui non venerat legem ſoluere, quatenus vel naturalis vel moralis erat, ſed eam potius adimplere, cùm nouam legem ſuam (de qua iam antè per Hieremiam promiſerat) in mundum

induceret

inducerer, eam peculiari ſacrificio pariter & ſacerdotio non inſtruxiſſet, nónne ſolam in hac parte contra præcedentium legum communem morem, mancam atque inchoatam reliquiſſet? Cùm igitur neceſſe fuerit, iuxta Apoſtoli ſententiam, vt ſuccedente noua lege ſacrificium etiam huic legi peculiare conſequeretur: meritò Apoſtoli & eorum ſucceſſores, velut huius ſacrificij miniſtri aſſumpti ſunt: nec eſt veriſimile Dominum, in hac legis parte, bona certè, ſancta & pia, eccleſiæ ſuæ defuiſſe. Quare omnes per totum terrarum orbem diſperſæ eccleſiæ, iam inde ab initio Chriſtianę religionis, vnanimi fide & magno conſenſu perpetuũ hunc obſeruarunt morem, vt nõ niſi ordinatis & vnctis ſacerdotibus in miniſterio eccleſiaſtico vterentur, ſicut ex libris eorum, qui ipſis Apoſtolorum temporibus vixerunt, apertiſſimè cõprobatur. Clemens beati Petri diſcipulus, & in cathedra Romana ſucceſſor, ſacerdotum meminit ad Iacobum epiſcopum Hieroſolymitanum. Similiter & Dionyſius Areopagita, qui Pauli ſectator fuit, ad Demophilum monachum ſcribens, ſacerdotem ait à miniſtris non debere iudicari. Similiter Anacletus, Euariſtus, Alexander, Sixtus, Teleſphorus, Iginus, qui omnes in ſede Apoſtolica Aniceti eiuſdem ſedis duodecimi poſſeſſoris tempora præceſſerunt, de ſacerdotibus in eccleſia Chriſti miniſtrantibus ſacramenta, & ſacrificantibus multam & euidentem mentionem in ſuis decretis faciunt. Atqui eccleſiam Chriſti vſque ad tempora Aniceti (qui Antonino pio imperãte vixit anno Domini 156.) ab omni errore immunẽ permanſiſſe Egeſippus & Irenæus teſtantur: Quẽadmodũ nemo pius dubitare poteſt, quin ſãcti iſti martyres, adhuc recenti Chriſti ſpiritu pleni, eccleſiam ab omni errorum ſorde tenuerint impollutam. Hi tamen omnes ſacerdotium externum, & ſenſibile externúmque ſacrificium in eccleſia eſſe docuerunt. Idem ergo aſſeuerare non eſt erroris affine, cùm ante ea tempora nullus error in eccleſiam inuaſerit. Sequentium patrum, Cypriani, Hieronymi, Ambroſij, Auguſtini, & reliquorum teſtimonia notiſſima ſunt & paſſim obuia, quibus in eccleſia Chriſti externum ſacerdotium & ſenſibile ſacrificium aſſeuerant. Quòd ſi error eſt ſacerdotium externum & ſacrificium itidem ex-

Heb. 7.

ternum confiteri, vnde is error in eccleſiam Chriſti in initio mox irrupit? Cùm adhuc in ea ſancti homines præeſſēt qui fidei ſuæ integritatem & rectitudinem, etiam miraculorum virtute, ac ſanguine vegeto & alacri animo, pro Chriſti nomine, effuſo cōprobauerunt? Si error eſt iſtud ipſum affirmare, & eundem errorem mox ab initio eccleſiæ totus orbis Chriſtianus imbibit, & continuata ſerie vſque ad hæc tempora tranſmiſit: quomodo Chriſtus non vanus promiſſor apparet, qui eccleſiæ ſuæ ſpiritum ſanctum eſt pollicitus, qui eam doceret omnem veritatem? Cuius promiſsionis fidem Chriſtus nequaquam præſtitit, ſi eccleſiam tam craſſo & pernicioſo errore demerſam, iam inde ab initio vſque ad hæc noſtra tempora neglexerit? Vides amentiam & impietatem hæreticorum apertis rationibus coargui, qui dum negāt ſacerdotium & ſacrificium externum ac ſenſibile, quod tota ſemper eccleſia confeſſa eſt, per extremam blaſphemiam Chriſtum mendacem facere conantur, quaſi contra pollicitationem ſuam ſpiritu ſuo eccleſiam defraudauerit, & veritatem hactenus abſcōditam his demum poſtremis temporibus reuelauerit, vt nunc tandem error detegeretur, quem tota Chriſti eccleſia agnoſcere non valens, pro veritate comperta perſeueranter adhuc retinuerit.

DOROTHEA.

Nullúſne præterea locus in ſacra ſcriptura occurrit, qui ſacrificij cœnæ, quod eccleſiæ Chriſtum commendaſſe dicis, mentionem faciat?

THEOPHILVS.

Hanc tam ſalutarem victimam in ſpiritu præuidit Malachias, cùm ait: Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra. Ab ortu enim ſolis vſque ad occaſum, magnum eſt nomen meū in gentibus, & in omni loco ſacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda. Propterea loquitur de ſacrificio, quod, ſublatis veteribus ſacrificiis, in locū eorum erat ſucceſſurum. Nec ſpirituale ſolùm eſt ſacrificiū, quod externo legis ritu deſignare voluerit, & typis ætati ſuæ congruentibus deſcribere, quò facilius ſeculi ſui hominibus indicaret, gentes in veram religionis participationem

Mala. 1.

eſſe vocandas. Nam ſpiritualia ſacrificia nullius legis propria ſunt, ſed omnibus temporibus & hominibus communia, & cum ſacrificiis veterum ſemper coniuncta durauerunt. Veteres enim patres etiam tenebantur mortificare corpora ſua, Deo offerre ſacrificium laudis & iuſtitiæ, ſpiritum humiliatum & contritum, & ſimilia: nam & vitia fuerunt iis prohibita, & laus diuina præcepta. Ad huiuſmodi autem ſacrificiorum ſpiritualium obſeruationem externis quoque oblationibus exercebantur. Nam etſi nonnulla ſacrificia Chriſti duntaxat paſſionem ipſiúſque pro hominum peccatis immolationem ſignificabāt, ſicut primogeniti ouium agni, & agnus Paſchalis: tamen pleraque vitiorum pœnitentiam, ac virtutum quædam obſeruationem ſignificabāt: in hirco enim & capra vniuſcuiuſque peccatoris fœtens ac luxurioſa, plenáque verbis impudicis petulantia ſignificabatur: ac ſimiliter in tauro ſuperbia, in vitulo laſciuia, in hœdo & paſſere clamor & inconſtantia: quæ quidem vitia cùm in confeſſione per pœnitentiam mactantur atque deſtruuntur, ſacrificia ſunt Deo accepta & grata. Sacrificia autem, quę bonos mores & virtutes præfigurabant, erant, ouis, agnus, bos, aries, turtur, pullus columbæ, & cætera id genus. In oue enim ſimplicitas & manſuetudo: in agno innocentia: in boue fructuoſa prędicatio: in ariete vtilis ac manſueta dominatio: in turture verò, qui amiſſa coniuge nulli poſteà copulatur, caſtitas: in columbis, quæ felle carent & gregatim volant, charitas præfigurabatur. Quæ ſpiritualia ſacrificia ſapientes in lege prætulerunt externis & carneis ſacrificiis. Cùm ergo ſpiritualis Dei cultus communis ſit tam legi naturæ, quàm ſcriptæ & Euangelicæ, & eadem ſpiritualia ſacrificia ſint in veteri & nouo teſtamento, neceſſariò intelligendum eſt prophetam loqui de ſacratiſsimo Chriſti ſacrificio, quod ex gentibus congregata eccleſia per totum terrarum orbem offert in recordationem mortis Domini, & ad virtutem eius in credentes transfundendam. Neque enim locus hic accipi poteſt de ſacrificio, quo ſe in cruce pro peccatis generis humani obtulit: illud enim nec inter gentes, nec in omni loco, ſed in Iudæa conſummatum eſt.

DOROTHEA.

Hanccine potes explanationem præſentis loci, antiquorum eccleſiæ doctorum fulcire teſtimonio?

THEOPHILVS.

Iuſtinus ad Tryphonem

Iuſtinus martyr in dialogo πρὸς τρύφωνα, Euchariſtiam eſſe noui teſtamenti oblationem iis verbis tradit: Non eſt voluntas mea, dicit Dominus, in vobis, & victimas veſtras non accipiam de manibus veſtris, quia ab ortu ſolis vſque ad occaſum, nomen meum glorificatum eſt in gentibus, & in omni loco incenſum offertur nomini meo, & victima munda, quia magnum nomen meum in gentibus, dicit Dominus: vos verò contaminatis illud. De iis quæ à nobis gentibus, in omni loco offeruntur ſacrificiis, hoc eſt, de pane Euchariſtiæ, & de calice Euchariſtiæ prædicit hoc, dicens, Et nomen ipſius glorificare nos & contaminare vos. Hæc Iuſtinus alloquens Iudæos, quos dicit vos. Sed manifeſtiſſimè affirmat noui teſtamenti oblationem conſtare Euchariſtia, quam in apologia ſua dicit verum eſſe corpus & ſanguinem Domini, tam verè quàm Chriſtum carnem ſumpſiſſe ex virgine.

Irenæus lib. 4. contr. hæreſ. cap. 32.

Irenæus, Eum (inquit) qui ex creatura panis eſt, accepit, & gratias egit, dicens: Hoc eſt corpus meum: & calicem ſimiliter, qui eſt ex ea creatura quæ eſt ſecundum nos, ſuum ſanguinem confeſſus eſt, & noui teſtamenti nouam docuit oblationem, quam eccleſia ab Apoſtolis accipiens in vniuerſo mūdo offert Deo: de quo in duodecim prophetis Malachias ſic præſignauit: Ab ortu ſolis vſque ad occaſum nomen meum glorificatur inter gentes, & in omni loco incēſum offertur nomini meo, & ſacrificium purum.

In epiſt. ad Burdegalenſes cap. 3.

De hoc ſacrificio ait diuus Martialis epiſcopus ac diſcipulus Domini, qui anno 40. vixit: Sacrificium Deo creatori offertur in ara, cuius corpus & ſanguinem in vitam æternam offerimus. Et: Quod inuidia Iudæi immolarunt, exiſtimantes ſe deleturos à terra nomen eius, in altari ſanctificatum pro noſtra ſalute proponimus, certò ſcientes hoc vno remedio vitam nobis dandam, & mortem auferendam.

Eccleſiaſt. hierar. cap. 3. ſpecul.

Et Dionyſius Areopagita in eandem ait ſententiam: Poſt ſacras diuinorum operum laudes, quòd hoſtiam ſalutarem (quæ ſupra ſe eſt) liter, reuerenter ſe excuſat, idipſum

ipſum primò decenter exclamans: Tu dixiſti: Hoc facite, in meam commemorationem. Deinde tanto miniſterio ad imitationem Dei inſtituto, dignus fieri poſtulat, & ſimilis ipſi Chriſto pro viribus euadere, vt & ſacramenta ſanctè conficiat & caſtè diſtribuat, & qui ad communionem acceſſuri ſunt dignè participent, ſicque veneranda myſteria & laudata oculis ſubiicit, in ſignis ſanctè propoſitis. Sanè opertum & indiuiſum panem aperit in partes concidens, & vnum ſingularem calicem omnibus impertiens, vnitatem ſignanter multiplicat, atque diſtribuit, inq; his conſummat cœleſte myſterium. Hæc Dionyſius, qui ſalutarem hoſtiam litari dicens, notat Chriſtum extra quem non relinquitur nobis hoſtia pro peccatis: vt panis appellatione quod eſt viſibile ſacramenti. Cùm autem dicit cœleſte myſteriũ, Euchariſtiæ rem cœleſtem innuit & hoſtiã ſalutarem, quæ non eſt alia à Chriſti corpore & ſanguine, quæ pro nobis oblata ſunt in cruce ad precium, quomodo nunc in menſa proponuntur in edulium. Tum autem notat multiplicari vnitatem, vt integrum & vnum Chriſtum multis dari inſinuet atque diſtribui, non verò diuidi illum, ſed multiplicari vnitatem.

Sanctus quoque Ignatius: Non licet, inquit, ſine epiſcopo neque offerre, neque ſacrificium immolare, neque miſſas celebrare.

Nouus etiam Canon Apoſtolorum huius meminit ſacrificij his ferè verbis: Si quis epiſcopus, aut presbyter, aut diaconus, aut alius oblationis eccleſiaſtici ordinis factæ particeps non extiterit, cauſam dicito: & ſi iuſta fuerit, veniam conſequatur: ſin minus, à conſortio ſegregetur, vt author offenſionis factus populo & ſuſpicionem præbens in offerentem. Atque idipſum eſt quod poſt id locorum à ſancto ſpiritu declaratum eſt in concilio Epheſino, ſub Theodoſio iuniore, cui non modò interfuit beatus Cyrillus Alexandriæ quondam epiſcopus, ſed etiam præfuit. Celebramus, inquit, in eccleſiis incruentam ſacrificij ſeruitutem, annunciantes mortem vnigeniti filij Dei, id eſt, Ieſu Chriſti ſecundum carnem, & eius reſurrectionem ac in cœlos aſcenſionem pariter confitentes. Sic etiam ad benedictiones myſticas accedimus, & ſanctificamur, parti-

cipes ſancti corporis & precioſi ſanguinis Chriſti omnium noſtrûm redemptoris effecti, non vt communem carnem percipientes, quod abſit, nec vt viri ſanctificati & verbo coniuncti ſecundum dignitatis vnitatem, aut ſicut diuinam poſſidentis habitationem, ſed verè viuificatricem, & ipſius verbi propriam factam: vita enim naturaliter vt Deus exiſtens, quia propriæ carni vnita eſt, viuificatricem eam eſſe profeſſus eſt. Et ideo quamuis dicat ad nos, Amen amen dico vobis, niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem: non tamen eam vt hominis vnius ex nobis æſtimare debemus: & quæ ſequuntur. Sanctiſſimum quoque Nicenum concilium huius antè mentionem fecerat canone 18. (quem ſuprà citauimus) dum negat conceſſum eſſe diaconis, quibus non liceat Domini ſacrificium offerre, iis qui offerant dare Chriſti corpus. Id quoque ipſum ſeptima generalis ſynodus actione ſexta teſtatur anno Domini 781. ſub Adriano pontifice celebrata, his verbis: Nemo vnquam ſanctorum Apoſtolorum, qui tubæ ſunt ſpiritus ſancti, aut glorioſorum patrum noſtrorum, incruentum noſtrum ſacrificium in memoriam paſſionis Chriſti Domini Dei noſtri, & totius ſuæ diſpenſationis factum, imaginem illius corporis dixerit. Nam is qui accepit à Domino, ſic non dicit aut confitetur: ſed audiuit eum ſic dicentem Euangelicè: Niſi comederitis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non intrabitis in regnum cœlorum. Et: Qui manducat carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in eo. Et cùm accepiſſet Ieſus panem, & gratias egiſſet, fregit & dedit diſcipulis ſuis, & dixit: Accipite, edite: hoc eſt corpus meũ. Et accepto calice, cùm gratias egiſſet, dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes: hic eſt enim ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro mundis effunditur in remiſſionem peccatorum. Non autem dicit: Sumite, edite imaginem corporis mei, & quæ ſequuntur. Sed ad alios doctores catholicos veniamus.

Chryſ. in epi. ad Heb. hom. 17. c. 9 Chryſoſtomus: Nónne, inquit, per ſingulos dies offerimus? offerimus quidem, ſed recordationem facientes mortis eius: & vna hæc hoſtia, non multæ. Quomodo vna eſt, non multæ? Et quia ſemel oblata eſt illa, oblata eſt in ſan-

cta ſanctorum. Hoc autem ſacrificium exemplar eſt illius, idipſum ſemper offerimus, nec nũc quidem alium agnum, craſtina alium, ſed ſemper idipſum. Proinde vnũ eſt hoc ſacrificium: alioqui hac ratione quoniam in multis locis offertur, multi ſunt Chriſti? Nequaquam, ſed vnus vbique eſt Chriſtus, & hîc plenus exiſtens, & illic plenus, vnum corpus. Sic enim qui vbique offertur vnum corpus eſt, non multa corpora, ita etiam & vnum ſacrificium. Pontifex autem noſter ille eſt, qui hoſtiam mundantem nos obtulit: ipſam offerimus & nunc, quæ tunc oblata quidem conſumi poteſt. Hoc autem quod nos facimus, in commemorationem fit eius, quod factum eſt: Hoc enim facite, inquit, in mei commemorationem: non aliud ſacrificium, ſicut pontifex, ſed idipſum ſemper facimus, magis autem recordationẽ ſacrificij operamur. Et in priorẽ ad Cor. epiſ. quãtũ interſit inter hoſtias, quæ in veteri lege mactabantur, & inter eam, quæ in noua hac offertur, oſtendit his verbis: Hic autem quoniam multo maioris venerationis & dignitatis plenum ſacrificium inſtituit, & cùm hoſtiam ipſam repræſentauit, & pro animalium, quæ rationis ſunt expertia, cæde ac victima ſeipſum offerri iuſsit, &c.

Athanaſius in epiſt. ad Hebræos: In æternum (inquit) Chriſti eſt ſacerdotium: quia quotidie offertur per miniſtros Dei oblatio, Chriſtum & pontificem habens & ſacrificium, qui propter nos ſeipſum ſanctificat, frangit, & diſtribuit. Quotieſcunque enim hoc fiet, mors Domini annunciabitur.

Ambroſius quoq; huius externi nouæ legis ſacrificij teſtimoniũ nobis perhibet. Ante (inquit) agnus offerebatur, offerebatur vitulus: nunc Chriſtus offertur quaſi recipiens paſsionem, & offert ſeipſum quaſi ſacerdos.

Sic in eandem ſententiam Damaſcenus: Hæc eſt pura, inquit, hoſtia & incruenta, quam ab ortu vſque ad occaſum ipſi offerri per prophetam Dominus loquitur, corpus videlicet & ſanguis Chriſti in ſtabilimẽtum animæ noſtræ & corporis, inconſumptum & incorruptũ, non in ſeceſſum iens (abſit enim) ſed in noſtram ſubſtantiam & conſeruationem, omnimodi nocumẽti reparatio, ſordis omnis purgatio. Et poſt pauca ſubdit: Etſi quidã exemplaria corporis *Lib. 4. orth. fidei, cap. 14*

& ſanguinis Domini, panem & vinum vocauerunt, vt deifer Baſilius non tamen poſt ſanctificationem dixit, ſed priuſquam ſanctificaretur ipſa oblatio, ita vocabant. Vides vt corpus & ſanguinem Domini, hoſtiam & oblationem Damaſcenus appellet.

Augu. lib. de ciuit. Dei cap. 20.

Sed quid de hac re ſentiat Auguſtinus, videamus. Vnde verus, inquit, ille mediator, in quantum formam ſerui accipiens mediator effectus eſt Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus, quum in forma Dei ſacrificium cum patre ſumat, cum quo & vnus eſt Deus, tamen in forma ſerui maluit ſacrificium eſſe quàm ſumere, ne vel hac occaſione quiſquam exiſtimaret cuilibet ſacrificandum eſſe creaturæ. Per hoc & ſacerdos eſt ipſe offerens, ipſe & oblatio. Cuius rei ſacramentum, quotidianum eſſe voluit eccleſiæ ſacrificium, cùm ipſius corporis ipſe ſit caput, & ipſius capitis ipſa ſit corpus, tam ipſa per ipſum, quàm ipſe per ipſam ſuetus offerri. Huius veri ſacrificij multiplicia variáque ſigna erant ſacrificia priſca ſanctorum, quum hoc vnum per multa figuraretur, tanquam verbis multis res vna diceretur, vt ſine faſtidio multum commendaretur. Huic ſummo veróque ſacrificio, cuncta ſacrificia falſa ceſſerunt.

Lib. 17. de ciuit. Dei cap. 20.

Et alibi: Corporis (inquit) & ſanguinis Chriſti ſacrificium ſucceſſit omnibus ſacrificiis veteris teſtamenti, & pro omnibus illis ſacrificiis & oblationibus corpus Chriſti offertur Deo & participantibus miniſtratur. Et in quendam pſalmum:

In pſal. 39.

Sacrificium & oblationem noluiſti. Quid ergo? nos iam hoc tempore ſine ſacrificio dimiſſi ſumus? Abſit. Corpus autẽ perfeciſti mihi. In hoc corpore ſumus, huius corporis participes ſumus, quod non ad iudicium accipiatis: Qui enim manducat & bibit indignè, &c. Iam nos in luce ſumus: tenemus corpus Chriſti, tenemus ſanguinem Chriſti.

De conſecr. diſtin. 2. ca. Hoc eſt.

Atque alibi: Hoc eſt (ait) quod dicimus, quod modis omnibus approbare contendimus, ſacrificium eccleſiæ duobus modis confici, duobus conſtare, viſibili elementorum ſpecie, & inuiſibili Domini noſtri Ieſu Chriſti carne & ſanguine & ſacramento, & re ſacramenti, id eſt, corpore Chriſti, ſicut Chriſti perſona conſtat & conficitur ex Deo & homine: cùm ipſe Chriſtus verus ſit Deus, & verus ſit homo, &c. Idem alio etiam in loco ita ſcribit:

Auguſt. li.

ſcribit: Verum ſacrificium, quod vni vero Deo debetur, 20. *contra*
quo eius altare ſolus Chriſtus impleuit, in victimis peco- *Fauſt. Ma-*
rum imitata dæmonia, ſibi arroganter expoſcunt. Vnde *nich. cap.* 18
dicit Apoſtolus: Quæ immolant gentes, dæmoniis immolant, & non Deo, non quòd auſſerebatur culpans, ſed quia illis offerebatur. Hebræi autem in victimis pecorum, quas offerebant Deo, multis & variis modis, ſicut re tanta dignum erat, prophetiam celebrant futuræ victimæ, quam Chriſtus obtulit. Vnde iam Chriſtiani, peracti eiuſdem ſacrificij memoriam celebrant, ſacroſancta oblatione, & participatione corporis & ſanguinis Chriſti. Atque hæc ſententia pluribus verbis in libro de fide ad Petrum diaconum habetur, qui liber Auguſtino tribuitur. Verba ſunt hæc: Firmiſſimè tene, & nullatenus dubita, ipſum vnigenitum, carnem pro nobis factum, ſe pro nobis obtuliſſe ſacrificium & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis: cui cum patre & ſpiritu ſancto, cum quibus vna eſt illi diuinitas, ſacrificium panis & vini ſancta eccleſia per vniuerſum orbem offerre non ceſſat. In illis enim carnalibus victimis figuratio fuit carnis Chriſti, quam pro peccatis noſtris ipſe erat oblaturus: & ſanguinis, quem erat effuſurus in remiſſionē peccatorum. In iſto autem ſacrificio gratiarum actio atq; commemoratio eſt carnis Chriſti, quam pro nobis obtulit: *Cap.* 32.
& ſanguinis, quem pro nobis effudit. Et multò apertius lib. I. contra inimicum legis & prophetarum idem confirmat. Ideo (inquit) addidit Apoſtolus, ſecundum carnem, quia eſt Iſrael ſecundum ſpiritum, qui veteres vmbras iam non ſequitur, ſed eam conſequentem, quæ illis vmbris præcedentibus ſignificata eſt, veritatem. Hæc quippe eccleſia eſt Iſrael ſecundum ſpiritum, à quo diſtinguitur ille Iſrael ſecundum carnem, qui ſeruiebat in vmbris ſacrificiorum, quibus ſignificabatur ſingulare ſacrificium, quod nunc offert Iſrael ſecundum ſpiritum. De huius domo non accepit vitulos, neq; de gregibus eius hircos. Iſte immolat Deo ſacrificium laudis, non ſecundum ordinem Aaron, ſed ſecundum ordinem Melchiſedec. Vnde in pſalmo, Chriſtus eſſe dicitur ſacerdos ſecundū ordinē Melchiſedec. Nouerunt qui legunt, quid protulerit Melchiſedec, quādo benedixit Abraham. Et ſi iam ſunt participes eius, vidēt tale ſa-

crificium nunc offerri Deo toto terrarum orbe. Dei autem iuratio incredulorum eſt increpatio, & quòd Deum non pœnitebit, ſignificatio eſt, quia hoc ſacerdotiũ nõ mutabit. Mutauit quippe ſacerdotium ſecundum ordinem Aaron. Vnde alius propheta dicit ad eum, qui carnaliter eſt Iſrael: Non eſt mihi volũtas in vobis, dicit Dominus omnipotẽs: & hoſtiam non accipiã de manibus veſtris. Ecce quid eſt ſecundũ ordinẽ Aarõ. Cur autem hoc nõ accipiat, addidit, & dixit: Quia ab ortu ſolis vſq; ad occaſum glorificatum eſt nomen meũ in gentibus, & in omni loco incenſũ offertur nomini meo & hoſtia pura, quia magnũ eſt nomẽ meũ in gẽtibus, dicit Dominus omnipotẽs. Ecce quid eſt ſecundũ ordinẽ Melchiſedec. Hęc ille, qui alibi Euchariſtiã appellare nõ dubitat ſacrificium precij noſtræ redẽptionis, vbi de ſepultura Monicæ matris loquitur. Cùm corpus elatũ eſt (inquit) imus & redimus ſine lachrymis: nã neq; in iis precibus quas ibi fudimus cũ offerretur pro ea ſacrificiũ precij noſtri, iã iuxta ſepulcrũ poſito cadauere, priuſquàm Deo poneretur ſicut illic fieri ſolet, nec in eis precib⁹ ego fleui. Ecquod optas luculẽtius huius incruenti ſacrificij proferri teſtimoniũ? Nõ ergo audiẽdos eſſe dicimus eos, qui excluſa corporis & ſanguinis Domini in ſacro altari pręſentia, hoc laudis & gratiarũ actionis ſacrificiũ, memoriã tantũ & imaginẽ quãdã illius ſingularis veri & vnici ſacrificij, quo nos Chriſtus expiauit, eſſe contẽdũt: licèt memoriã eius ipſius ſacrificij in hoc externo & ſenſibili eccleſiæ ſacrificio, nos etiã redintegrari fateamur: quũ ibi ita nobis proponatur Chriſti immolatio, vt crucis ſpectaculũ penè ob oculos ſtatuatur. Qualiter in oculis Galatarũ Chriſtũ fuiſſe crucifixũ dicit Apoſtolus, dũ illis propoſita crucis pręedicatio fuerat.

Lib. 9. cõfeſ.

DOROTHEA.

An non loquuntur hac de re Hebræorum Rabini, quorum ſuprà meminiſti? Non grauatè enim eorum ſententias audiero.

THEOPHILVS.

Rabi Iohai pro ſacrificio vini duos locos adfert: vnum ex prophetica prædictione Iacob, vbi poſtquam dixiſſet de aduentu Meſſię, Non auferetur ſceptrũ de Iuda & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentiũ: ſuddit, Ligans ad vineã pullũ ſuum, & ad

Gene. 49.

& ad Sorec [quod genus eſt generoſiſsimæ vitis] pullum aſinæ ſuæ. Hebraica vox, quam interpres vertit pullum, ciuitatem etiã ſignificat. Iam animæ ciuitas eſt corpus. haud dubiè animo præuidebat (inquit) Meſsiam in vnitatẽ ſacramenti Euchariſtię alligaturum corpori ſuo ſanguinem ſub ſpecie vini. Alter locus eſt in libro Iudicum: Nunquid poſſũ deſerere vinũ meũ, quod lætificat Deũ & homines? *Cap. 9.*
Nũc non apparet, inquit, alius modus, quo vinum lætificet Deũ, niſi in ſacrificio, quod de ipſo fiet. Multo verò clarius eandem ſententiam Rabi Cahana expreſsit: Ligãs ad vitem ciuitatẽ ſuam. Hæc verba (ait) oſtendunt quòd ſacrificiũ, quod ex vino fit, non ſolùm tranſmutabitur in ſubſtantiã ſanguinis Meſſiæ, ſed etiã cõuertetur in ſubſtãtiã corporis eius. Verba autẽ illa [Et ad palmitem, ô fili mi, aſinũ ſuũ] ſignificant quòd diuinitas & Dei filius vnietur aſino, id eſt, materiæ ſuæ. Quemadmodũ enim aſinus fert onera & veſtes viatorum: ita rex Meſſias delicta totius orbis portabit ſuper ſe, iuxta illud Eſaię: Et Deus obuiare fecit in eo peccatũ omniũ noſtrũ. Cũ autem in eadem Iacob prophetiã dicitur: Lauabit in vino veſtẽ ſuã: eadẽ eſt ſentẽtia verbis diuerſis: quoniã veſtis materiã noſtrã innuit, iuxta illud Iob: Pelle & carne veſtiſti me. [Et in ſanguine vuæ palliũ ſuũ:] id eſt, diuinitatem ſuã. Nam ſicut pallium totũ hominẽ circundat, ita Deus totũ replet mũdum. [Rubriores ſunt oculi eius vino, & dentes eius lacte candidiores:] hoc eſt, in ſacrificio quod fiet ex pane, qui etſi albus eſt vt lac, eius tamẽ ſubſtãtia cõuertetur in ſubſtantiã corporis Meſsiæ: eritq; in ipſo ſacrificio ſubſtantia ſanguinis Meſsiæ rubra vt vinum: erunt item in ſacrificio vini, ſanguis & caro Meſsiæ: & eadẽ erũt in pane: quoniã corpus Meſsiæ nõ poteſt diuidi, ſicut ſcriptũ eſt: Et ſubſtãtiã nõ cõfringetis in eo. Præter ea caro ſine ſãguine res mortua eſt: corpus verò Meſsiæ poſt reſurrectionẽ ſemper viuet: & hinc eſt dictũ illud: Dauid rex Iſrael in ſeculũ viuit. Dauid autẽ vnũ eſt de nominibus Meſsiæ, vt ex Hieremia liquet. Hæc Cahana multò ante Chriſti natiuitatem ſcripſiſſe aiunt. Idem intellexit cõtextũ ex Numeris: Sacrificiũ meũ panis mei, quod fit ad ſacrificium ignitũ in odorẽ ſuaueolentẽ cuſtodietis, vt ſacrificetis mihi ſtato ſuo tempore, id eſt, in tẽpore Meſsiæ.

Super Gen. *Eſaiæ 53.* *Iob 10.* *Exod. 12.* *Hiere. 30.* *28. cap.*

Cap. 25. Rabi Iuda non aliter ſentit. Nam ſuper illud Exodi, vbi nos legimus [Et pones ſuper menſam panes propoſitionis in conſpectu meo ſemper] Hebraica veritas ſic habet: Et dabis ſuper mẽſam panes facierum iugiter coram me. Cur

Num. 28. autem panes facierum dicantur, explicat. Panis enim (inquit) tranſmutabitur ex ſubſtantia ſua, cùm ſacrificabitur, in ſubſtãtiam corporis Meſſiæ: & ipſe idem erit ſacrificiũ. Ideò dicit: Reſpicietis ad offerendum mihi, hoc eſt, offerri me videbitis. Et infrà: Magiſtri aiunt eam ob rem dictũ eſſe panem facierum, quia in ipſo ſacrificio erunt duæ ſubſtantiæ, humanitas & diuinitas. Hæc ille ante Chriſtum incarnatum.

Referam & priſci cuiuſdam verba doctoris, quem Iudæi Rabbenuhaccados, id eſt, magiſtrum noſtrũ ſanctum appellant, qui narrat ſe ita à Rabi Simeone filio Iohai ſcriptum reperiſſe: quòd cùm ſemel idem Rabi Simeoni in ſpelunca duplici orans, vidiſſet Eliam ſibi apparentem, & ſe tanquam ſummum pontificem induentem, rem ſacram facientem, atque ideò omnes lætantes, tandem poſt multa interrogauit ipſum dicens: Sacrum illud quod faciebas coram Deo ſancto & benedicto, quidnam erat? Reſpondit ei Elias: Hoc eſt ſacrificium, quod, poſtquã venerit Meſsias, facient ſacerdotes coram Deo ſancto & benedicto. Tunc enim ceſſabunt omnia ſacra quæ prius fiebant: faciẽt autẽ ſacrificum illud ex pane & vino. Et infrà: Tunc Deus miſericordia implebitur, & virtute ingẽti ſanctorũ verborũ quæ ab ore ſacerdotum manabunt, illud & omne ſacrificium, quod in vnaquaque ara celebrabitur, in corpus Meſſiæ conuertetur. DOROTHEA.

Alióſne locos diuinæ ſcripturę habes, qui huius ſacrificij veritatem commonſtrent? THEOPHILVS.

3. *cap.* Malachias de aduentu Meſsiæ loquens: Ecce, inquit, ego mittam angelum meũ, & præparabit viam ante faciẽ meã. Et ſtatim veniet ad tẽplum ſuum dominator quẽ vos quæritis: & angelus teſtamẽti quem vos vultis. Ecce venit, dicit Dominus exercituum. Et quis poterit cogitare diem aduẽtus eius, & quis ſtabit ad vidẽdum eum? Ipſe enim quaſi ignis conflatus & quaſi herba fullonũ. Et ſedebit cõflans & emundans argentũ, & purgabit filios Leui. Et colabit eos

quaſi

quaſi aurum & quaſi argentū,& erunt Domino offerentes ſacrificia in iuſtitia. Et placebit Domino ſacrificium Iuda & Hieruſalem ſicut dies ſeculi,& ſicut anni antiqui.

DOROTHEA.

Nihil in hoc toto contextu video,quod ſacrificium, de quo loqueris,vllo modo fulciat.

THEOPHILVS.

Omnia ſingillatim explicabo. Auſpicatur propheta hoc capite à præcurſore Ioanne,& ab aduētu Chriſti: quod ſeruator noſter teſtatur apud Matthæum, & apud Lucam. *Mat.* 11. *& Luc.* 7. Eſt itaque conſectarium, ea quæ ſequuntur, intelligenda de factis & inſtitutis Chriſti in eccleſia poſt eius aduentum.

DOROTHEA.

Audieram quod hic à propheta dicitur,ad ſecundum aduentum referri debere.

THEOPHILVS.

Id commodè fieri non poteſt. Primùm,quòd tunc ceſſabunt omnia ſacrificia. Deinde,quia de aduentu Heliæ ante ſecundum aduentum Chriſti agit. Et de illo extremo aduētu capite quarto.

DOROTHEA.

At nónne Auguſtinus ait prophetam locutum per anticipationem de aduentu nouiſsimo,adeò vt vtrunque aduētum ſimul propoſuerit, ac deinde effectus vtriuſque aduentus explicauerit?

THEOPHILVS.

Vt id tibi quod dicis concedam,tamen fatearis oportet hæc verba [Et purgabit filios Leui,& offerent ſacrificium Domino in iuſtitia] ad effectum prioris aduentus referri debere.

DOROTHEA.

Quid igitur ſibi vùlt propheta?

THEOPHILVS.

Genuinus huius loci ſenſus hic eſt. Dominator quem quæritis veniet ad templum ſuum, & angelus teſtamenti quem vos vultis,Chriſtus Ieſus verus Meſsias,qui,poſtquā impleti ſunt dies purgationis, ſecundum legem Moyſi allatus eſt à parentibus in Hieruſalem, vt ſiſterent eum Do- *Luc.* 2.

mino. Sedens autem ad dexterã patris probauit argẽtũ e-
lectorum Chriſtianorũ in fornace tribulationis & perſecu-
tionis in Iudæa primũ, mox per tyrannos in omnibus par-
1.Pet.4. tibus orbis, variis ſuppliciis martyres affligẽdo. Et purga-
bit igne ſpiritus ſancti & paſsionis filios Leui, id eſt, Apo-
ſtolos & ſacerdotes eorũ imitatores, vt iudicium incipiat à
domo Dei. In filiis Leui (inquit Hieronymus) omnem ſa-
cerdotalem intellige dignitatem. Nam (vt beatus Ambro
ſius ait) in veteri lege ex ſola tribu Leui Aarouitæ fiebant
ſacerdotes. Nunc omnes ſunt ex genere ſacerdotali, ideóq;
ex populo poteſt fieri ſacerdos. Et colabit eos exuendo ve-
terem hominem, & induendo nouum, purificãs corda eo-
rum fide, & igne probabit eos tãquam aurũ & argentum:
qui ſic emundari & colati offerent Domino ſacrificia in
iuſtitia: hoc eſt (vt gloſſa ordinaria exponit) Euchariſtiam
virtutes omnium ſacrificiorum in ſe continentem: & pla-
cebit Deo ſacrificium, quod offerent pro Iuda & Hieruſa-
lem: hoc eſt, inquit Hieronymus, pro iis qui Deum confi-
tentur, & pacem eius mente conſpiciunt. Per Iudam enim
& Hieruſalem, ipſam Dei eccleſiam accipere debemus (ait
Auguſtinus) non ex Hebręis tantũ, ſed ex aliis etiam gen-
tibus congregatam. Et quomodo placebit ſacrificiũ iſtud?
ſicut dies ſeculi, & ſicut anni antiqui: hoc eſt, quomodo in
principio placuerunt ſacrificia Deo in patribus, in Abel,
cuius munera de⁹ reſpexit: in Noe, de quo Dominus odo-
ratus eſt odorem ſuauitatis: in Abrahã, Iſaac, & Iacob. Eo-
dem autẽ ſpiritu quo propheta hæc præ lixit ſub legumẽ-
tis propheticis, eccleſia Dei ſine inuolucris canit in conſe-
crationis precatione, dicens: Supra quæ propicio ac ſereno
vultu reſpicere digneris, & accepta habere, ſicut accepta ha
bere dignat⁹ es munera pueri tui iuſti Abel, & ſacrificium
patriarchæ noſtri Abrahę, & quod tibi obtulit ſummus ſa-
cerdos tuus Melchiſedec ſanctum ſacrificium, &c. Orat e-
nim ſacerdos in perſona eccleſiæ catholicæ, vt ſicut ſacrifi-
cia Abel, Abrahæ, & Melchiſedec fuerunt Deo accepta ex
fide & deuotione, offerẽtium: ita ſacrificium eccleſiæ, præ-
terquã quòd ex ſe illi maximè placet, ex parte etiam offe-
rentium gratum ſit & acceptum. Sed ad Dauidem venia-
mus, qui fore præuidit, vt Meſsias placentã frumenti & ſa-
crificium

crificium in Euchariſtia eſſet. Erit memorabile (inquit) triticum in terra in capite montium. Eleuabitur ſicut Libani fructus eius, & florebunt [nimirum ciues] de ciuitate, ſicut fœnum terræ: ſic, & propius ad veritatem Hebraicam legit Hieronymus. Hebræi variè interpretantur. Alij, Erit placenta frumẽti in terra. Quidam, Erit multiplicatio frumẽti. Nõnulli, Erit abundantia frumenti. Ratio diuerſæ interpretationis eſt, vox Hebraica, quæ varia ſignificat, vt fragmentum, fruſtum, particulam, placentam, &c. Certiſsimum autem eſt, pſalmum iſtum prophetiam eſſe de Chriſto, & ad Meſsiam propriè referri, vt Hieronymus ait. Inſcriptus eſt enim Solomoni, id eſt, pacifico. Chriſtus autem verè pacificus eſt, timebiturque dum ſol & luna lucebunt, in omne æuum. Ac licet Rabi Salomon conetur hunc pſalmum exponere de rege Salomone, tamen veniens ad verſiculum noſtrum, coactus à veritate inquit: Magiſtri noſtri bonæ memoriæ expoſuerunt hoc eſſe genus placentarum in diebus Meſsiæ, & totum pſalmum de rege Meſsia explanauerunt. Quòd autem pſalmus hic intelligi non poſsit de Salomone, liquidò conſtat. Neque enim Salomon (vt Hieronymus ait) cum ſole & luna permanſit. Vnde & Chaldaica tranſlatio habet: Deus itinera rigoris tui regi Meſsiæ da. Sed ad rẽ ipſam aggrediamur, audiamuſque, quia hic pſalmus de Chriſto vero Meſsia intelligitur, quomodo Dauid vaticinatus ſit de ſacrificio Euchariſtiæ. Quando enim filius deſcendet, ſicut pluuia, in vellus Mariæ, & dominabitur à mari vſque ad mare, regnum eccleſiæ dilatando, & reges Tharſis & inſulæ munera offerent, & nomen Chriſtianorum erit honorabile coram illo: tunc Meſsias erit placenta frumenti in terra (qui Deus & homo videtur à beatis in cœlo) in capite montium, vel in ſummis montium, id eſt, Apoſtolorum, ſacerdotum, & antiſtitum. *Eſai. 6.*
Nemo enim aptius intelligitur per montes eccleſiæ, quàm ſacerdotes & prælati, ſicut Chriſtus ſummus ſacerdos eſt *Ezech.40*
mons decoris, ad quem cõfluunt populi, mons iuſtitiæ & ſanctitatis, mons excelſus nimis. In capite igitur mõtiũ eſt placẽta tritici, quãdo Chriſtus in Euchariſtia ſub ſpecie panis tritici cõtẽt⁹, ſuper capita ſacerdotũ eleuatur, vt à populo adoretur. Nã ob hoc Chriſtus appellat ſe granũ tritici.

Qui autem huius placentę erit particeps,à fructibus ſacramenti ſuperextolletur. Si quis enim manducauerit ex hoc pane, æternùm viuet: purus verò reddetur & candidus in anima, vltra candorem Libani, & florebunt Chriſtiani in ciuitate noua Hierusalem de cœlo deſcendente,in eccleſia Dei ſicut fœnum terræ,quod ſubitò multiplicatur: ſic & Chriſtianorum multitudo repentè aucta eſt in primitiua eccleſia. Chaldaica autem tranſlatio multò eſt apertior. Targum enim Ionathæ filij Vzielis,ſic expoſuit:Et erit ſacrificium panis in terra,in capite montium. Licèt targum Rabi Alkilas legat:Erit ſubſtantificus panis in terra in capite montium. Vnde Rabi Ionathas ſic verſiculum iſtum enarrat:Videat qui habet oculos,quòd (ſicut dictũ eſt) ille eſt Meſsias de quo loquitur totus pſalmus. Cùm ergo ait: Et erit placenta frumenti in terra in capite montium: vult dicere quòd placenta panis fiet ſacrificium in capitibus ſacerdotum. Quid his verbis clarius?

Cap.2. Legimus etiam libro primo regum, quòd vir Dei poſt multa dixit ad Heli:

Ecce dies veniunt,& præcidam brachium tuum,& brachium domus patris tui,vt non ſit ſenex in domo tua. Et videbis æmulum tuum in templo in vniuerſis proſperis Iſrael.Et paulò pòſt:Et ſuſcitabo mihi ſacerdotem fidelẽ, qui iuxta cor meum & animam meam faciet,& ædificabo ei domum fidelem,& ambulabit coram Chriſto meo cunctis diebus.Futurum eſt autem, vt quicunque remanſerit in domo tua,veniat vt oretur pro eo, & offerat nummum argenteum & tortam panis,dicatque:Dimitte me obſecro ad vnam partem ſacerdotalẽ,vt comedã buccellam panis. Ex hoc cõtextu intelligi poteſt Deum prædixiſſe ſacerdotium legale aliquando eſſe finiendum,& aliud inſtituendũ quod ambularet coram Chriſto domino cunctis diebus.

Exod.18. Elegit enim Deus Aaron ad dignitatem ſacerdotalem cum poſteris ſuis:ſed ecce venit tempus,ſcilicet noui teſtamẽti, quo iam non erit ſacerdos ſecundum Aaron: ſed præcidet Deus brachium tuum,id eſt,dignitatem ſacerdotij, & domum patris tui,id eſt,Aaron, vt non ſit magnus ſacerdos in domo tua,in templo tuo. Et videbis æmulum tuum in templo,id eſt,populum Chriſtianum.Et ſuſcitabo mihi ſacerdotem

cerdotem fidelem, Chriſtum Meſsiam, qui iuxta cor meum & animam meam faciet. Nam in omnibus ſeruator noſter Deo patri placuit, quemadmodum ait: Quæ placita ſunt ei facio ſemper. Et ædificabo ei domum fidelem, ſanctam eccleſiam, quę ambulabit coram Chriſto cunctis diebus, quia cum ea manebit vſque ad cõſummationẽ ſeculi. Futurum eſt autem in nouiſsimo tempore, quando reliquiæ Iſrael ſaluæ fient, quicunque remãſerit de domo Aaron Iudæus, veniat ad baptiſmum & ad ſacerdotem, vt pro eo oretur. Veritas Hebraica habet: Veniet ad adorãdum eũ in obolo argenti & torta panis. Qui ergo depoſita cęcitate Iudaica, venit ad adorandum Chriſtum in verbo fidei & ſacrificio panis Euchariſtiæ, cùm in illa domo omnes Chriſtiani ſint ſacerdotes (vti ſcriptum eſt, Vos eſtis genus electum, regale ſacerdotium, gẽs ſancta, populus acquiſitionis) & aliqui externo ſacerdotio in pane & vino libent ſacramenta, Iudæus ſacerdos baptizatus, contentus erit, ſi aſſumatur ad vnam partem ſacerdotalem, id eſt, plebẽ Chriſti, vt omiſſo calice ſancto, ſumat buccellam panis, quæ caro eſt Chriſti, quam dedit pro mũdi vita. Ex quibus liquet ſacerdotium, quod Deo ſacrificium offerat, non eſſe ablatum, ſed mutatum, hodieque fideliter perſeuerare in eccleſia, & ambulare coram Chriſto cunctis diebus ſeculi.

Ioan. 8. c. *1. Petr. 2.*

DOROTHEA.

De hominibus admodum eruditis audiui, mutationem ſacerdotij, qua de agitur in hoc contextu, non debere de Chriſto & Chriſtianis ſacerdotibus intelligi, ſed vel de Samuele, vel de Zadoc, qui abiecto Abiathar fuit ad ſummũ ſacerdotem áſſumptus, vt tertij regum ſecundo capite ſcriptum eſt.

THEOPHILVS.

Etſi factã admittemus in Samuele vel Zadoc ſacerdotij mutationem: tamen propoſitum noſtrum æquè firmum manebit. In illis enim figurata ſolùm fuit, & in Chriſto cõpleta, vt diuus Auguſtin⁹ docet, ac textus ipſe indicat: cuius multa verba neque Aaronitis neque Samueli cõuenire poſſunt. Primò expendamus initiũ ſermonis. Nunquid nõ apertè reuelatus ſum domui patris tui, cùm eſſet in AEgypto in domo Pharaonis? Apertè loquitur de Aaron, nõ de

Auguſt. lib. de ciui. Dei 17. cap. 4.

proximo patre ipſius, Heli tamē ſequitur: Præcidā brachiū tuum, & brachium domus patris tui. Nonne prædicit fore, vt non ſolùm auferatur ſacerdotium à domo Heli, ſed etiā à domo patris ſui Aaron? id tamē in Zadoc minimè factū eſt, qui ex Aaron deſcēdit per Eleazarum: ſed in Chriſto, in quo finitum eſt ſacrificium Aaroniticum. Itaque tempore Euangelij impletum eſt, quod hîc dicitur, præciſum eſſe brachium domus patris eius. Porrò autem verba iſta [Suſcitabo ſacerdotem fidelem, qui ſecundum cor meum & animam meam faciet] de nullo alio dici poſſunt ſacerdote, quàm de Chriſto, quem prophetam ſuſcitaturum ſe etiā per Moſem prædixit: & nullius ſacerdotis domus fuit fidelis cunctis diebus in veteri teſtamēto: non Samuelis, cuius filij fuerunt deteſtandæ auaritiæ, ſicut ſcriptum eſt, nec etiā aliorum ſacerdotum qui tranſierunt: ſed eccleſia ſponſa Chriſti. Illa ambulabit coram Chriſto cūctis diebus: Quia ero, inquit Dominus, eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum in nouo teſtamēto. Præterea quod additur in contextu, Qui venerit ad adorandum eum: nulli ſacerdoti veteris teſtamenti competere poteſt. Neque enim quenquam adorare fas fuit. Quare ſoli Chriſto conuenit, qui ſacerdos eſt in æternum. Qui autem ex reliquiis Iſrael ſalui fiunt, nolunt in patrum honore ſacerdotali collocari, qui nullus eſt, ſed petunt admitti ad vnam partem ſacerdotalem, vel ad vnam partem ſacrificij. Vox enim [Cehuna] quæ textui inſerta eſt, ſignificat & ſacerdotium & ſacrificium. Et ſequitur: Vt comedam tortam panis: quæ verba genus ſacrificij exprimunt, quod quidem non eſt ſecundum ordinem Aaron, ſed Melchiſedec: & appoſitè quidem. Nam ſuperius dixerat, Et dedi domui patris tui omnia de ſacrificiis filiorum Iſrael. Hæc quidem fuerunt ſacrificia Iudæorum: ideo mutato ſacrificio oſtendit in nouo teſtamento ſacrificium Chriſtianorum, ſcilicet tortā panis, hoc eſt, corpus Chriſti ſub ſpecie panis in Euchariſtia.

Deut.18. *1.Reg.8.* *Hierem.31.*

Nunc ad Eſaiam venio; qui de hoc itidem ſacrificio loquitur, vbi de vocatione gentium & publicatione Euangelij plura prophetico ſpiritu prædixit.

Et ponam (inquit) in eis ſignum, crucis videlicet, & mittam ex iis qui ſeruati fuerint, ad gentes in mare, in Aphricā

& Lydiam

& Lydiam tenentes ſagittam: in Italiam & Græciam, ad inſulas remotas, ad eos qui non audierunt de me, & non viderunt gloriam meam. Et annunciabunt gloriam meam gẽtibus, & adducẽt omnes frãtres veſtros ex omnibus gẽtibus ſacrificium & donum Domino, in equis & quadrigis & in lecticis, mulis ac carrucis, ad montem ſanctũ meum Hieruſalem, dicit Dominus, quemadmodum afferunt filij Iſraelis munus & ſacrificium in vaſe mundo ad domum Domini. Et de eis ſacerdotes quoque & Leuitas accipiam, dicit Dominus. Quoniã ſicut cœli noui & terra noua, quæ ego facio ſtare coram me, ſic ſtabit ſemen veſtrum & nomen veſtrum. Quod hîc dicitur, verè impletum eſt in Apoſtolis & diſcipulis Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui, poſtquã euaſerunt manus Iudæorum, miſsi ſunt ad gẽtes in omnes orbis terrarum parteis, ad prædicandam illis remiſsionem peccatorum per mortem Chriſti, atque obtulerunt Domino ſacrificium, vt in domo Domini oblationes olim Iudæi obtulerant. Nam quòd [Adducẽt] hîc vertit interpres, Hebraica veritas habet [Venire facient]. Apud Hebræos autẽ facere venire, pro offerre ponitur, vt ex Geneſis capite quarto intelligi poteſt, vbi ad verbum textus habet: Et fecit venire Cain de fructibus terræ: & Abel fecit venire etiã ipſe de primogenitis gregis ſui, id eſt, obtulit. Apoſtoli ergo & diſcipuli, Domino obtulerunt in munus & ſacrificiũ, eos omnes qui fidem Chriſti receperunt: eccleſia enim Dei in ſacrificio Euchariſtiæ conſueuit ſeipſam Deo offerre per Chriſtum, quatenus eius eſt corpus myſticum. Quòd verò aſtruit propheta: Aſſumam ex eis, ſcilicet gentibus Aphricæ, Lydiæ, Italiæ, Greciæ, ſacerdotes & Leuitas: apertè docet quòd legis nouæ ſacerdotes, nõ ex ſola tribu Leui ſumentur, ſed ex omnibus gẽtium regionibus, qui quidem ſicut cœli noui & terra noua, hoc eſt, verbo Dei repurgati, in Euangelij confeſsione ſtabũt coram Domino. Ita ſtabiles erunt, ô Apoſtoli & Euangeliſtæ, ij quos per Euangeliũ Deo genueritis, ac Chriſtianorum nomen permanebit. Quum ergò ſacerdotes ſint in Euangelica lege, neceſſariò externum & reale ſacrificium in ea eſſe oportet.

Intelligit omnes rationes, quibus fideles ad eccleſiã Chriſti, & Euãgelij cognitionem perducentur.

DOROTHEA.

At nónne propheta innuit, fore, vt quemadmodũ ſacer-

dotes & Leuitæ apud Iſraelitas, oblationes Deo offerebāt: ſic qui fidem Chriſti recipiēt, ſiue mares ſint, ſiue fœminæ, ſpiritualia ſacrificia offerant, Deo per Chriſtum grata?

THEOPHILVS.

Loquitur & de alio quodam ſacrificio, quod Euangelicæ legis ſacerdotes offerunt, nimirùm corpore & ſanguine Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini: quod quidē ipſi ex Domini mandato in eius perſona conſecrant, tanquam miniſtri, idq́ue omnipotēti ipſius verbo, myſticè Deo offerentes incruento & impaſsibili modo, pia ſcilicet ac caſta precatione: vt recolant cum gratiarum actione ac repræſentent magnum illud ſacrificium, quo Chriſtus affixus cruci, ſe ipſe patri in mortali corpore, hoſtiam cruentam, ſufficientem ac bene placentem pro peccatis totius mundi obtulit. Tale autem ſacrificium in domo Dei (quæ eſt eccleſia) non conſecratur promiſcuè ac ſine delectu ab omnibus, viris & mulieribus: at ab iis modò qui electi ſunt, ordinati & admiſsi ad myſterium. Vnde Propheta nominatim in Dei perſona ait: Et de iis aſſumam in ſacerdotes & Leuitas. Nō dicit fore, vt omnes qui fidem Chriſti recipiēt, ſint ſacerdotes & Leuitæ, ſed vt ex eorum numero aliquos aſſumat in ſacerdotes & Leuitas.

Cùm igitur in eccleſia Chriſti, externum ſit ſacrificium, quod Pſalmographus placētam frumenti nuncupat, oportet etiam altare eſſe, ſuper quo ſacrificium illud à ſacerdote Chriſtiano offeratur. De illo autē Apoſtolus loquitur, dum ait: Habemus altare, de quo non eſt fas edere iis, qui tabernaculo deſeruiūt. Animalium enim, quorum ſanguis infertur pro peccato in ſancta per pontificem, horum corpora cremātur extra caſtra. Quapropter & Ieſus, vt ſanctificaret per proprium ſanguinem populum, extra portam paſſus eſt. Hoc altare græcis θυσιαστήριον dicitur, quæ vox à dictione θυσία deducitur, qua ſacrificiū notatur, ac ſi diceres ſacrificatorium. Quid autē ſuper eo ſacrificabitur, niſi Euchariſtia, corpus videlicet & ſanguis domini noſtri Ieſu Chriſti? vt gratiæ Deo agantur, qui ita mundum dilexerit, vt proprio filio non pepercerit: at illum in manus peccatorum tradiderit, quò nos à peccati vinculis, morte, & diabolo redimeret? Sed accuratè hæc verba ſunt expendenda

Heb. 13. *c* 4.

[Altare

[Altare,de quo fas non eſt edere iis qui tabernaculo deſeruiũt:] huic enim cognoſcere licet Apoſtoli tempore ritum in eccleſia fuiſſe,qui & nunc obſeruatur, nimirùm vt ſumentes Euchariſtiam eam etiam de altaris ſacrificio acciperent. Et quia de ſacrificio participabant, monet vt à ſimulacrorum cultu fugiant,& idolothytis. Quam ob cauſam & veteris legis conſuetudinem in medium affert,ſecundum quam edẽtes hoſtias,erant altaris participes:ſicut & gentes dæmoniis immolãtes,menſæ dæmoniorum erãt participes. Calix, inquit, benedictionis, cui benedicimus, nónne communicatio ſanguinis Chriſti eſt?& panis quem frangimus,nónne participatio corporis Domini eſt? Quoniam vnus panis & vnum corpus multi ſumus,omnes qui de vno pane & de vno calice participamus. Videte Iſraelẽ iuxta carnem. Nónne qui edunt victimas, participes ſunt altaris. Quid ergo? dico quòd ſimulacrum aliquid ſit? aut quòd ſimulacris immolatum aliquid ſit? Non: verùm illud dicò,quòd quæ immolant gentes,dæmoniis immolant,& non Deo. Nolim autem vos cõſortes dæmoniorũ eſſe. Nõ poteſtis poculum Domini bibere,& poculum dęmoniorũ. Non poteſtis menſæ Domini participes eſſe,& menſæ dæmoniorũ. Quemadmodum autẽ Apoſtolus (vt hoc obiter & in tranſcurſu dicam) non negat altare,in quo gentes dęmoniis ſacrificaut,quia mentionem faciat menſæ eorum: ſic neutiquam inficiatur altare,in quo Chriſtiani ſacerdotes myſticè corpus & ſanguinẽ Domini in Euchariſtia ſacrificant,mentione facta menſæ Domini:ſed multo magis illam deſignat & conſtituit. Quare audiendi non ſunt,qui Chriſtum negant altare nobis excitaſſe ad ſacrificandum, quòd menſam parauerit,vt ſpiritualiter in ſacramento diuinam ipſius carnem mãducemus. Idem enim à catholicis & orthodoxis,altare & menſa vocatur,alia ratione: altare quidem,propter incruentum & Euchariſticum ſacrificium, quod in eo immolatur & offertur Deo in memoriã & recordationem ſacrificij crucis:mẽſam verò,ratione ſpiritualis cõuiuij fidelibus apparati. De hoc altari loquitur diuus Auguſtinus,dum ait Chriſtũ altare Dei impleuiſſe, eo ſacrificio,quod vni vero Deo debetur, illudque frequẽtari à Chriſtianis,dum ſacroſancta oblatione & participatione

1.Cor.10.

Aug.cõtr. Fauſt.lib. 20.cap.18.

corporis & ſanguinis Chriſti, cruenti ſacrificij memoriam
In cap.1. epiſt ad Ephe.hom. 26. celebrat t. Ac diuus Ioannes Chryſoſtomus dum queritur, quòd vbi quotidie offertur, quotidie aſtaiut altari, nemo qui communicet, accedat: O cõſuetudinem (inquit) ô præſumptionem! fruſtra ergò habetur quotidiana oblatio: fruſtra ſtamus ad altare. Nemo eſt qui ſimul participet. Mitto alia doctorũ, eccleſię teſtimonia, quæ innumera ſũt.

DOROTHEA.

Tu nimium mihi videris (venia ſit dicto) vrgere verba Pauli, quibus altaris meminit. Per altare enim intelligit hoſtiam in ara crucis oblatam, id eſt, Ieſu Chriſti corpus, de quo edere nõ poſſunt qui Moſaicam legem pertinacius obſeruant. Eſtq; hæc in promptu ratio. Poſt damnatum enim Iudaicorum ciborum delectum, docet excellentiorem nobis eſſe cibum, à quo qui legem obſeruant arceantur.

THEOPHILVS.

Quamuis ego nolim interpretationem tuam reiicere (eſt enim Chriſtiana, dignaque quæ recipiatur) haud tamẽ
Leuit.4. Numer.19. Nume. 29. Heb.9. illa prohibere poteſt quominus per altare intelligamus aram in qua in eccleſia corpus Chriſti myſticè immolatur & cõſecratur in ſpiritualẽ cibum fidelium & verè Chriſtianorum. Hoc autem vt innueret Paulus voluit conſuetudinem legis in feſto expiationis ad myſterium & ſpiritualem ſenſum referre. Nam eo die accipiebãt vitulum & hircum, & immolabãt intra caſtra, & ſanguis inferebatur à pontifice in ſanctuarium, vt Apoſtolus refert: carnes verò extra caſtra cremabantur, ac non comedebantur, nec ab offerentibus, nec ab iis qui deſeruiebant tabernaculo. Omnia autem in figura contingebãt illis, ait idem Apoſtolus. Hircus & vitulus ſignificabant Chriſtum, propter ſimilitudinem carnis peccati, cuius ſanguinis effuſione nobis patuit aditus ad ſancta ſanctorum, id eſt, ad cœlum. Intra caſtra immolatus eſt, & Hieroſolymitanorum voce, & iudicio Iudæorum & Pilati. Sed extra muros Hieruſalẽ caro eius in cruce excocta eſt & cremata acerbiſsimæ paſsionis igne. Altare eccleſiæ habemus extra vrbem, extra ſynagogam ad ſacrificandum in eo corpus Domini, de quo non eſt fas
Gal.5. edere iis qui tabernaculo ſynagogæ adhuc deſeruiũt. Nam ſi circuncidamini, Chriſtus nihil vobis proderit. Sed filiis

eccleſiæ,

eccleſiæ, ſicut cõuenit offerre, ita etiam cõmpetit edere de corpore Chriſti: quia caro Chriſti verè eſt cibus, & ſanguis eius verè eſt potus. Nam in oblatione & ſumptione ſimul, perfectior eſt charitatis Chriſti in ei⁹ paſsione nobis oſtẽſæ recordatio. Sic intellexerunt Paulum antiqui doctores, ac ſanctus ille epiſcopus Halberſtatenſis Haymo, qui ſub Ludouico pio vixit anno 834. Habemus (inquit) altare eccleſiæ, vbi conſecratur corpus Dominicum, de quo edendi poteſtatem non habent qui tabernaculo corporis ſui deſeruiunt, fornicatores videlicet, adulteri, ebrioſi, immundi, & hi qui ſeminant inter Fratres diſcordias, omnéſque qui voluptatibus & deſideriis carnis ſuæ deſeruiunt. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit. Ac Theophilactus: ſimul atque dixerat nõ eſſe obſeruandos cibos, ne videantur noſtra deſpicatui habenda, quòd obſeruatione careant: Nos (inquit) obſeruationem habemus, verùm haud eam, quæ fit in eiuſmodi cibis, ſed ſuper altari ſiue impolluta & immaculata hoſtia viuifici corporis. Hanc enim ne legis quidẽ pontifices participare licet, tantiſperdum tabernaculo ſeruiunt, hoc eſt, legalibus vmbris vel figuris, quæ tranſeunt ac diſſoluuntur, vel huic mundo. Et OEcumenius: An non & nos obſeruationes habemus? vtique: at non ciborum, ſed altaris noſtri. Nam eorum quæ ſuper illud ponuntur, neque ipſis Iudæorum pontificibus liceret eſſe participes. Hi enim tabernaculo, hoc eſt, figuræ ac vmbræ, & non veritati ſeruiunt. Et poſt pauca: Sanguis Chriſti per pontificem noſtrum infertur ſuper altare, quod apud nos eſt: idcirco nõ eſt fas Iudæorum põtificibus ex ipſo altari edere. Et infrà: Chriſtus profectò extra ciuitatem paſſus eſt: ſed ex hoc magis confirmatur, quòd habeamus altare. Siquidem etiã apud Iudæos nõ ſuper ipſa altaria cremantur oblatorũ corpora, ſed extra caſtra: & prætereà ob id extra portã paſſus eſt, vt omnes, & nõ ſolos ſacerdotes ſanctificaret. Stat ergo Apoſtoli ſentẽtia inuicta, quã quidem oſtendit eccleſiã habere altare ad ſacrificandum appoſitum, non aliud quidem quàm ſacroſanctam Euchariſtiam, at myſticè ſpiritualique modò, vt Deum laude vehamus, gratias agentes quòd mortẽ pro peccatis noſtris obire voluerit. Atq; in hanc ſententiam ait

In 13. cap. epiſt. ad. Hebr.

Heb. 13. Apoſtolus: Per ipſum igitur offerimus hoſtiā laudis ſemper Deo, hoc eſt, fructum labiorum confitentium nomini eius. De quo ſacrificio loquitur etiam Dauid, cùm ait: Im- *Pſal.* 4. mola Deo ſacrificium laudis. Et alibi: Sacrificate ſacrificiū iuſtitiæ, & ſperate in Domino. Cùm enim nullum veteris legis ſacrificium, iuſtitiæ ſacrificiū eſſet, Dauid neceſſariò loquitur de ſacrificio eccleſiæ. Ex quo maximam ſpem cōcipimus, quòd Chriſtus nobis ſingulare & eximiū pignus corporis & ſanguinis ſui reliquerit. At multi dicunt, Quis oſtēdit nobis bona, quæ ſacrificemus in ſacrificiū iuſtitiæ? Sed ſignatū eſt ſuper nos in eccleſia per ſacrum baptiſma lumen vultus tui Domine, lumen fidei & intelligentiæ altiſsimi ſacramenti: Quia à fructu frumenti panis conſecrati, & vini calicis noui teſtamenti multiplicati fideles in pace Chriſti requieſcunt.

Adferam & alium è Daniele locum, ad fidem huius ſacrificij faciēdā non leuis momēti, pòſt ad reliqua perrecturus.

Daniel. 12. Vade Daniel, inquit Angelus, quia clauſi ſignatique ſermones vſque ad tempus præfinitum. Eligentur, & dealbabuntur, & quaſi ignis probabuntur multi, & impiè agent impij: neq; intelligēt omnes impij: porrò docti intelligent. Et à tempore cùm ablatum fuerit iuge ſacrificium, & poſita fuerit abominatio in deſolationem, dies mille ducenti nonaginta. Beatus qui expectat, & peruenit ad dies mille & trecentos triginta quinque. Hoc toto contextu non agitur de ceſſatione iugis ſacrificij Iudaici in aduentu Meſsię: Nā de aduentu illius agitur nono capite, de morte item ipſius, de Iudæorum abnegatione, deſtructione templi & Hieruſalem, & defectione ſacrificiorum perenni & ſemper duratura. Cùm igitur ſatis eodem loco aperuerit templi & ſacrificiorum deſolationē: duodecimo capite, verbisq; ſuprà adductis propheta loquitur de aduētu Antichriſti, quòd eo regnante ceſſabit iuge ſacrificiū, quod nihil eſt aliud quàm ſacrum miſſæ officiū, in quo Chriſtus Deo quotidie offertur in memoriam mortis ac paſsionis eius. Nam breuitas tēporis, ſcilicet trium annorum cum dimidio, ſatis indicat eum non loqui de ceſſatione iugis ſacrificij Iudęorū, cuius deſolationem perſeueraturam prædixerat vſque ad mundi conſummationem. Cùm ergo Daniel non intellexiſſet, quę

ipſi

ipſi ab angelo dicta fuerãt, Quia in tempus, & tempora,& dimidium temporis,& cùm completa fuerit diſperſio manus populi ſancti cõplebuntur vniuerſa hæc, angelus explicatus & loquutus eſt: Vade Daniel, Clauſi ſunt ſermones iſti, multis obſcuritatibus inuoluti,& non intellecti. Electi enim purgabuntur & probabuntur perſecutionibus, tribulationibus & tẽtationibus, quæ tãtæ erunt (vt Chriſtus ait) vt in errorem inducãtur, ſi fieri poteſt, etiam electi. Atque vt viris bonis ad gratiæ & meriti incrementum tribulatio prodeſt: ita impietas malorum augetur, perſequẽdo & affligẽdo bonos, vt qui in ſordibus eſt, ſordeſcat adhuc. Neq; intelligent impij furore & amentia excæcati tãtam impietatem, qua Antichriſtum iuuãt, verum Dei cultum deſtruendo: docti autem & prudentes ſpirituali hoc intelligẽtia aſſequentur, ſubeuntes cruciatus acerbiſsimos & perſecutiones omne genus propter Chriſtum,& in vera fide ſuſcepta perſeuerantes. Ne autem tribulationum diuturnitate ſuccumbant, fore pollicetur vt ad breue tempus durent. Et à tempore, cùm ablatum fuerit iuge ſacrificiũ (in quo tam crudelis erit perſecutio, vt iuge ſacrificiũ ceſſet in eccleſia) & abominatio [hoc eſt, abominãdus Antichriſti cultus] poſita fuerit in deſolationem [id eſt, in templo deſolato, vbi videlicet prius colebatur Chriſtus, cultura illa exploſa] abominabilis cultus occupabit deſolatas eccleſias. Tẽpus ergo durationis erit mille ducentorum, nonaginta dierum. Tu verò dic ſodes, quod illud eſt ſacrificiũ, quod Antichriſti tẽpore ceſſabit, niſi ſacrum miſſæ officiũ, quod eo tempore intercipietur? Iuſti enim & dei flagrãtes amore, deum precari non deſinẽt, eoque id facient ardentius ac pertinaciori ſtudio, quo vehemẽtius eccleſiã Dei concuti & affligi animaduertẽt. Hoc ergo ſacrificium, quod ſpirituale eſt, nõ intermittetur, nec deſinet. Propheta autẽ loquitur de quodam ſingulari ſacrificio, quod à ſacrificiis veteris legis vult diſcernere, quæ morte Chriſti ſublata ſunt. Neceſſe eſt ergò vt ſacrificium illud iuge, quod tum ceſſabit, ſacrificiũ ſit quod eccleſia Chriſtiana per vniuerſum orbẽ Deo quotidie offert in memoriam mortis ac perpeſsionis Chriſti Ieſu. Quod cùm ita ſit, conſectarium eſt omnes illos Antichriſti excurſores eſſe & emiſſarios, qui pro virili miſſæ ſacrificiũ

Mat.24.

abolere conãtur,ſicut,proh dolor, id accidiſſe videmus cõ-
pluribus in locis,in quibus etiamnum eccleſia deſolata ia-
cet,diuiniq́ue cultus vice , exitialis & peſtifera hæreſis in
Apoc. 12. templo Dei ſedet , oſtentans ſe ipſam eſſe Deum. Quod
Ioannes futurum præuidit in vniuerſis Chriſtiani orbis re-
gionibus Antichriſti tempore,cùm dixit:Et datæ ſunt mu-
lieri duæ alæ aquilæ magnæ, vt volaret in deſertum in lo-
cum ſuum, vbi alitur per tempus & tempora & dimidium
temporis.Quæ enim alia mulier niſi eccleſia , duabus alis
noui & veteris teſtamẽti innixa, fugit in locum deſertum:
quando ceſſabit iuge ſacrificium miſſæ?Eodem ſpiritu hãc
*Ezech.*9. eccleſiæ deſolationem futuram præuidit Ezechiel: & cla-
mauit in auribus meis voce magna,dicens: Appropinqua-
uerunt viſitationes vrbis:& vnuſquiſque vas interfectionis
habet in manu ſua: & ecce ſex viri veniebant de via portæ
ſuperioris,quæ reſpicit ad Aquilonem , & vniuſcuiuſque
vas interitus in manu eius. Eſaias ſimiliter hanc prædixit
*Eſai.*24. deſolationem, dum ait: Ecce,Dominus nudabit terram,&
diſsipabit eam,& affliget faciem eius,& diſperdet habita-
tores eius:& erit,ſicut populus,ſic ſacerdos:& ſicut ſeruus,
ſic dominus eius:& ſicut ancilla,ſic domina eius.Quod ſpi
ritu præuidens Hieremias: Viæ Sion (inquit) lugent : eo
*Hie.thre.*1. quòd non ſint qui veniant ad ſolennitatem. Omnes portæ
eius deſtructæ,ſacerdotes eius gemẽtes:virgines eius ſqual
lidæ,& ipſa oppreſſa amaritudine. Huius autem tantæ ca-
lamitatis ſi rationẽ quęrimus,eam Daniel explicat. Vſque
*Daniel.*8. ad principem (inquit) fortitudinis magnificatũ eſt cornu,
& ab eo tulit iuge ſacrificium,& deiecit locum ſanctifica-
tionis eius.Robur autẽ datum eſt ei contra iuge ſacrificiũ
propter peccata,& proſternetur veritas in terra,& proſpe-
rabitur & faciet.Et audiui vnum de ſanctis loquentem , &
dixit vnus ſanct⁹ alteri neſcio cui loquẽti: Vſquequo viſio
& iuge ſacrificium , & peccatũ deſolationis quæ facta eſt,
& ſanctuarium & fortitudo cõculcabitur?Et dixit ei: Vſq;
ad veſperam & manè dies duo millia trecẽti, & mũdabitur
ſanctuariũ. Hec ſunt Danielis verba de Antiocho quidem
dicta,qui typus eſt Antichriſti.Sed quod tunc in Antiocho
factũ eſt,id re vera in Antichriſto (vt affirmat diuus Hie-
ronymus)cõplebitur,cuius cornu hoc tẽpore magnificatũ
eſt vſque

eſt vſque ad principem fortitudinis, à quo iam tulit per miniſtros ſuos hæreticos iuge ſacrificium miſſæ, & deiecit locum ſacrificationis eius. Nam iam templa eius & altaria demoliti ſunt, ac multis locis ſacramenta conculcarunt. Quid ita? Quia robur datum eſt ei contra iuge ſacrificium propter peccata populi Chriſtiani. Propterea proſternitur veritas in terra per ſectas perditionis, quas introducunt: & quæ moliuntur, proſperos exitus ad tempus habebunt.

Eiuſdem ſpiritus ope iſta omnia iam olim præuidit Sanctus Methodius martyr & Tyri epiſcopus, cuius beatus Hieronymus meminit. Ait enim: Tolletur honor à ſacerdotibus, Dei miniſterium ſupprimetur, & quieſcet omne ſacrificium de eccleſiis, & erunt eodem tempore ſacerdotes ſicut populus.

DOROTHEA.

Tot ſcripturæ ſacræ teſtimonia protuliſti ad comprobandam ſacrificij Euchariſtiæ veritatem, vt incredulam me exiſtimem & in verbum Dei iniurioſam, niſi huic catholicæ doctrinæ aſſentiar, qua quidem edocemur, corpus & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti ſub ſpeciebus panis & vini, nouæ legis eſſe ſacrificium, quod haud ceſſabit in omnibus eccleſiis, priuſquàm Antichriſtus aduenerit. Nunc audire te velim de vſu huius ſacrificij differentem.

THEOPHILVS.

Iam ſuprà de eo locutus ſum: haud tamen grauabor velut per anacephaleoſim, quæ ad hanc concludendam diſputationem pertinent, repetere.

Vt modus offerendi ſuprà dicta ſacrificia diuerſus eſt: ſic & vſus diſcretus eſt. Chriſtus cruento ſuo ſacrificio totius mundi reconciliationem & propitiationem pro peccatis, & plenam omnium redemptionem impetrauit. Vnde Paulus ait: Vbi peccatorum eſt remiſsio, non eſt amplius oblatio pro peccato. Et alibi, Chriſtus ſemel ſeipſum pro peccatis populi obtulit. Quare nulla iam talis oblatio, nullum eiuſmodi ſacrificium ſupereſt. Alterum ſacrificium à Domino noſtro Ieſu Chriſto ad recordationem cruenti ſacrificij inſtitutum eſt & eccleſiæ commendatum, vt pro ſalute in cruce nobis impetrata iugiter gratias aga-

Heb. 10.

Heb. 7.

mus Deo optimo maximo. Ita patri offerimus ſiſtimúſque Chriſtum Ieſum in vero corpore & ſanguine, incruento & impaſſibili modo, non vt nūc primùm remiſſionem peccatorum & redemptionem promereamur, ſed vt in cruce meritam fide & pia cordis deiectione nobis applicemus propriámque faciamus, iuſſa eius capeſſentes. Iuſſit enim vt hoc in ſui memoriam faceremus, hoc eſt, vt per memoriam & meritum perpeſſionis ſuæ patrem pro noſtra reconciliatione & remiſſione peccatorum, ac animarum noſtrarum ſalute, próque corporum & rerum noſtrarum incolumitate deprecaremur.

DOROTHEA.

Prius quàm vlterius progrediaris, per quàm libens audiero diſſolutionem nōnullarum veriſimilium rationum, quas in medium adferunt ij, qui hoc externum eccleſiæ Chriſti ſacrificium deiectum proſtratúmque volunt : etſi quantum intelligo ea, omnium ſacrorum eſt ſanctiſsima actio, & publicum in eccleſia miniſterium. Rationes enim illæ non parùm olim animum meum conturbarunt.

THEOPHILVS.

Liberè omníque amoto metu, ſiquid eſt quod etiamnum te verſet ac angat, fac expromas. Ad plenum enim animo tuo facere ſatis conabor.

DOROTHEA.

Miſſa (aiunt illi) quantumuis fucata & ſplendida ſit, Chriſtíque præferat nomen, inſigni contumelia Chriſtum afficit, illíque intolerabilem irrogat blaſphemiam. Sacerdos enim & pontifex à patre conſecratus eſt, non ad tempus: quomodo illi in veteri teſtamento conſtituti leguntur: quorum cùm vita mortalis eſſet, ſacerdotium immortale eſſe non poterat. Quare & ſucceſſoribus opus erat, qui ſubinde in demortuorum locum ſubrogarentur. At Chriſto, qui immortalis, vicarium ſubſtitui minimè neceſſe eſt. Itaque à patre deſignatus eſt ſacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedec: vt æternùm permanente ſacerdotio fungeretur. Hoc myſterium in Melchiſedec multò antè figuratum fuerat, quem vbi ſcriptura ſemel induxit ſacerdotem Dei viuentis, nunquam

poſtea

poſteà meminit:ac ſic nullam vitæ finem habuiſſet. Hac ſimilitudine Chriſtus ſecundum eius ordinem ſacerdos eſt dictus. Iam verò qui quotidiè ſacrificant, oblationibus ſacerdotes præficiant neceſſe eſt, quos Chriſto velut ſucceſſores ſubrogent ac vicarios. Qua ſubrogatione non modò Chriſtum ſuo honore ſpoliant, & æterni ſacerdotij prærogatiuam illi rapiunt: ſed è dextera patris ipſum deturbare conantur: in qua ſedere immortalis non poteſt, quum ſimul æternus ſacerdos maneat.

THEOPHILVS.

Fatemur cum Apoſtolo, Chriſtum eſſe ſacerdotem & pontificem æternum, qui non obtulit ſanguinem vitulorum, & hircorum: ſed per proprium ſanguinem ſemel introiuit in ſancta, æterna redemptione inuenta. *Heb. 9.* Et hæc oblatio, quam in cruce obtulit, cruenta eſt, & quia æterni ſacerdotis Chriſti eſt, & infinitæ virtutis, ſatis eſt ad omnium hominum redemptioem & ſalutem: ac proptereà non iteratur, ſed eius virtus nobis applicatur per fidem & eccleſiæ ſacramenta: quod poriſsimùm fit per ſacramentum & ſacrificium Euchariſtiæ. Chriſtus enim excitatus à mortuis non amplius moritur: mors illi non amplius dominatur. *Rom. 6.* Nam quòd mortuus fuit, peccato mortuus fuit ſemel: quòd autem viuit, viuit Deo. Legis autem ſacerdotes temporarij fuerunt, & diuerſas eáſque cruentas pecudúm hoſtias immolauerunt, hanc Chriſti hoſtiam præfigurantes. Quare neque Chriſto immortali tales ſubſtituimus ſacerdotes, qui pecudum hoſtias offerant: ſed ſacerdotes quos Chriſtus ipſe inſtituit, corpus eius & ſanguinem conficiunt & conſecrant in perſona ipſius, quòd viſibili præſentia nobiſcum non habitet, & in ſacramento altaris hoſtiam incruentam offerunt ita vt Chriſtus ipſe vnicus ſit ſacerdos ſummus & æternus, ſimul & ſacrificium, nouæ legis. Sacerdotes autem eius ſunt miniſtri, in perſona eius & virtute conſecrantes & ſacrificantes. In noua igitur lege inſtituit ſummus & æternus ſacerdos Chriſtus ordinem ac ſeriem ſucceſsionis miniſtrorum, qui non pecudum hoſtias, ſed incruentum ſacrificium offerant in memoriam eius, donec veniat, ſi-

eut ipſe fieri inſtituit & mandauit, ſecundum quod in Euangelio & Paulo ſcriptum eſt. Sic enim Euangeliſtæ verba Chriſti narrant.

Accepit Ieſus panem, gratias agens, fregit, dedítque diſcipulis ſuis, dicens: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis datur, ſiue tradetur: hoc eſt, quod pro vobis in cruce offeretur. Hoc facite in mei commemorationem.

Mat. 26. *Marc. 14.* *Luc. 22.* *1. Cor. 11.*

Quid quæſo hoc dicere aliud eſt, quàm, Hoc ipſum quod ego nunc facio, & in cruce conſummabo, vos itidem facite? Atqui Chriſtus in cœna his verbis ſuum conſecrauit corpus & ſanguinem ſub ſpecie panis & vini: in cruce verò idem corpus & ſanguinem obtulit ſub propria ſpecie: vt in cœna prædixerat. Quum enim dixiſſet: Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum: addidit: Quod pro vobis tradetur. Dicens ergo, Hoc facite, fecit Apoſtolos ſacerdotes, dedítque eis poteſtatem conſecrandi & immolandi verum ſuum corpus & ſanguinem ſub panis & vini ſymbolis, ſicut Chriſtus ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedec inſtituit & mandauit. Cæterùm Chriſtus in cruce non obtulit ſub ſpecie panis & vini ſecundũ ordinem Melchiſedec, ſed hoc modo offerendum inſtituit & præcepit ſacerdotibus in nouiſsima cœna. Quum ergo Chriſtus in cruce obtulerit ſemetipſum hoſtiam cruentam Deo patri pro peccatis noſtris, quam hoſtiam conſtat non fuiſſe ſecundum ordinem Melchiſedec, nec alicubi legatur in templo ſuper altare obtuliſſe panem & vinum, quæ obtulit Melchiſedec: manifeſtè conſequitur, aut Chriſtum non eſſe ſacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedec, quod pugnat cum ſcriptura, aut miſſam eſſe ſacrificium, quia ſacerdos in ea conſecrat & offért corpus & ſanguinem Chriſti ſub ſacramento panis & vini, ſecundum ordinem Melchiſedec, ſicut idem Dominus noſter Ieſus Chriſtus inſtituit in cœna, & in ſui memoriam fieri præcepit. Quanquam Chriſtus (vt ſuprà ſatis enucleauimus) nòn ſolùm in cœna conſecrauit, ſed etiam ſecundum ordinem Melchiſedec, ſe ipſum obtulit in pane & vino. Cùm ergo iuſſerit Apoſtolis,

ſtolis, vt hoc ipſum facerent, quod ipſe tum faciebat, corpus & ſanguinem Chriſti obtulerunt, quotieſcunque conſecrarunt. Ac ſacerdotes, qui ipſis ſucceſſerunt, idem in miſſa factitant, ſacrificantes vt & Chriſtus ſacrificauit. In ea tamen cœnæ oblatione Chriſtus non ſatisfecit pro peccatis totius mundi, ſed hoc ſe facturum in cruce præmonuit, dicens: Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis tradetur. Et iterum: Hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis effundetur in remiſsionem peccatorum. Habemus ergo (vt ſuprà diximus) geminam Chriſti oblationem ex duplici offerendi modo, in cœna videlicet & in cruce, quæ tamen vnica eſt, ratione rei quæ offertur: quia ſolus Chriſtus offertur. Sed audiamus quid in hanc ſententiam dicat Ambroſius in quadam precatione præparante ad miſſam: Summe ſacerdos, & vere pontifex Ieſu Chriſte, qui te obtuliſti Deo patri in ara crucis hoſtiam puram & immaculatam pro nobis miſeris peccatoribus, & qui dediſti nobis carnem tuam ad manducandum, & ſanguinem tuum ad bibendum, & poſuiſti myſterium in virtute ſpiritus ſancti, dicens: Hæc quotieſcunque feceritis, in mei memoriam facietis: Rogo per tuum ſanguinem precioſum, magnum ſalutis noſtræ precium: Rogo per hanc miram & ineffabilem charitatem, qua nunc miſeros, & indignos ſic amare dignatus es, vt lauares nos à peccatis noſtris in ſanguine tuo. Doce me ſeruum tuum indignum, quem inter cętera dona tua ad officium ſacerdotale vocare dignatus es nullis meis, meritis, ſed ſola dignatione miſericordiæ tuæ. Doce me quæſo, per ſpiritum tuum, tantum myſterium tractare ea reuerentia & honore, eáque deuotione & timore, quibus oportet & decet. Fac me, domine Ieſu Chriſte, per gratiam tuam ſemper illud de tanto myſterio credere & intelligere, ſentire & firmiter retinere, dicere & cogitare, quod tibi placet & expedit animæ meæ. Intret ſpiritus tuus bonus in cor meum, qui ſonet ibi ſine ſono, & ſine ſtrepitu verborum loquatur omnem veritatem tantorum myſteriorum. Profunda ſunt nimis & ſacro tecta velamine. Et poſt pauca,

Ambro. to. 4. in priori prec. præ. ad miſſ. ante cō men. in aliquot pſalm. Dauid.

Quanta, inquit, Domine Ieſu Chriſte cordis contritione & lachrymarum fonte, quanta reuerentia & tremore, quanta corporiscaſtitate, & animi puritate iſtud diuinum & cœleſte ſacrificium eſt celebrandum, vbi caro tua in veritate ſumitur: vbi ſanguis tuus in veritate bibitur: vbi ſumma imis iunguntur: vbi adeſt præſentia ſanctorum angelorum: vbi tu es ſacerdos & ſacrificium mirabiliter & ineffabiliter cõſtitutus. Et infrà: Peto Domine clementiam tuam vt deſcẽdat ſuper hunc panem & calicem iſtum plenitudo diuinitatis tuæ. Deſcendat etiam Domine illa ſancti ſpiritus tui inuiſibilis forma, & incõprehenſibilis maieſtas, ſicut quondam in patrum hoſtias deſcendebat, qui & oblationes noſtras corpus & ſanguinem tuum efficiat, & me indignum ſacerdotem tuum doceat tantum tractare myſterium, ita vt placidè ac benignè ſacrificiũ ſuſcipias de manibus meis ad ſalutem omnium, tam viuorum quàm defunctorũ. Hęc Ambroſius. Quòd autem aiũt aduerſarij, myſterium ſacerdotij Chriſti in Melchiſedec figuratum eſſe, pro nobis facit, & ſuprà declarauimus, quomodo Melchiſedec typum Chriſti geſſerit. Reliqua quę obiiciunt, verba ſunt & voces nulla dignæ reſponſione. Nam ſacerdotes nouæ legis ex Chriſti inſtitutione ſacrificantes, nullo modo Chriſtũ ſuo honore ſpoliant, nec illi æterni ſacerdotis priuilegium rapiunt, nec è patris dextera deturbare conantur, qui credũt ipſum in dextera patris ſedentem, nihilominus in hoc ſacramento inuiſibiliter præſentem, offerri hoſtiam incruentam ſecundum ordinem Melchiſedec. Quin potius hæretici aperto marte in Chriſtum ſæuiunt, aut verius inſaniũt, qui non credant corpus & ſanguinem Chriſti conſecrari ac offerri, niſi de integro Chriſtus è dextera patris deſcendat & crucifigatur.

DOROTHEA.

Replicant illi, noſque verbis Apoſtoli conſtringi dicũt, *Heb. 7.* fortius quàm vt elabi poſſimus: nempe alios in lege veteri plures eſſe factos ſacerdotes quia morte impedirẽtur permanere. Chriſtus ergo (inquiunt) qui morte non impeditur, vnus eſt: nec conſortibus indiget. Quapropter nihil prodeſt cauſificari, ſacrificulos noſtros Chriſto non ſufficì, quaſi demortuo: ſed ſuffraganeos eſſe dũtaxat æterni eius ſacer-

ſacerdotij, quod propterea ſtare non deſinit.

THEOPHILVS.

Ad eiuſmodi nugas, ex iis quæ à nobis antè ſunt expoſita, facilis & expedita patet reſponſio. Nouæ legis ſacerdotes ab ipſo Chriſto inſtituti, non ei ſufficiuntur quaſi conſortes: ſed tanquam miniſtri in perſona, & virtute eius cōficiunt, quod vt facerēt ipſe iuſſit. Quare non deſinit ſolus eſſe, ſummus & æternus ſacerdos, ſemper viuens & dexter aſſidens patri: quodque multò maximum eſt, ipſemet eſt ſacrificium, vt & antè diximus, & Chryſoſtomus affirmat, dum magna obſtupefactus admiratione exclamat: O miraculum! ô Dei in nobis beneuolentia! Qui ſurſum ſedet ad dexteram patris, ſacrificij tamen tempore hominū manibus cōtinetur. Et alibi: Quū ſpiritum ſanctum ſacerdos aduocauerit, & reuerendam illam immolauerit hoſtiam, communémque omnium Dominum ſubinde contigerit, tunc etiam angeli circunſtant ſacerdoti, & tribunal, atque altaris locus cœleſtib⁹ virtutibus adimpletur, ad honorem illius qui immolatur. In quam ſententiam ait beatus Gregorius: Hæc ſingulariter victima ab æterno interitu animam ſaluat: quę illam nobis mortem vnigeniti per myſterium reparat, qui licèt reſurgens à mortuis iam non moritur, & mors ei vltrà non dominabitur, tamen in ſeipſo immortaliter atque incorruptibiliter viuens, pro nobis iterum in hoc myſterio ſacræ oblationis immolatur. Eius quippe ibi corpus ſumitur, eius caro in populi ſalutē partitur, eius ſanguis non iam in manus infidelium, ſed in ora fidelium funditur. Hinc ergo penſemus quale ſit pro nobis hoc ſacrificium, quod pro abſolutione noſtra paſſionē vnigeniti filij ſemper imitatur. Quis enim fidelium habere dubium poſſit, in ipſa immolationis hora, ad ſacerdotis vocem cœlos aperiri, in illo Ieſu Chriſti myſterio angelorum choros adeſſe, ſummis ima ſociari, terrena cœleſtibus iungi, vnū quoque ex viſibilibus atque inuiſibilibus fieri?

Chryſ. lib. 3. de ſacerd.

Idem lib. 6 de ſacerd.

lib. 4. dialo. ca. 58. alleg. de cōſe. diſt. 2. ca. Quid ſit.

Ex iis quę adhuc expoſuimus liquet, Euchariſtiæ conſecrationem, communionem, & oblationem in miſſa ab ipſo eſſe Chriſto inſtitutam. Siquidem in cœna apoſtolis conſecratam Euchariſtiam communicauit, corpuſque ſuum tradendum & ſanguinem effundendum prænūciauit, quod

perfecit & cõſummauit in cruce,offerẽs ſe ipſum per mortem patri. Eam ob cauſam miſſa non ſolùm cœnam repræſentat,ſed etiam oblationem in cruce factam. Hinc & ſacerdotes in miſſa non ſolùm faciunt quod Chriſtus geſſit in cœna, ſed etiam quod poſteà perfecit in cruce recolunt ac repræſentant. Ad alias,ſi ita videtur, aduerſariorum rationes iam veniamus.

DOROTHEA.

Miſſam aſſeuerant Chriſti crucem ſepelire,& paſsionẽ eius obruere ac opprimere. Nã ſi Chriſtus in cruce ſemetipſum in ſacrificium obtulit, quò nos in perpetuum ſanctificaret,& æternam redemptionem nobis quæreret: haud dubiè vis atque efficacia eius ſacrificij nullo fine perſtat. Alioqui nihilo honorificentius de Chriſto ſentiremus,quã de bobus & vitulis,qui ſub lege immolabantur : quorũ oblationes ex eo inefficaces arguuntur & imbecillæ, quòd ſæpius iterabantur. Quare aut Chriſti ſacrificio, quod in cruce impleuit, purgationis æternæ vim defuiſſe fatẽdum erit: aut vno ſemel ſacrificio Chriſtum in omnia ſecula defunctum eſſe. Id eſt, quod dicit Apoſtolus, ſummum hunc pontificem Chriſtum ſemel, per immolationem ſui apparuiſſe, ſub cõſummationem ſeculi, ad peccati profligationem. Item volũtate Dei nos ſanctificatos eſſe per oblationem corporis Ieſu Chriſti,ſemel. Item, Chriſtum vna oblatione in perpetuum conſummaſſe ſanctificatos. Quibus inſignem ſententiam ſubuertit: acquiſita ſemel peccatorũ remiſsione nullam amplius reſtare oblationem. Hoc & poſtrema ſua voce,& inter vltimos ſpiritus edita, Chriſtus ſignificauit, quum dixit, Cõſummatum eſt. Solemus extremas morientium voces pro oraculis obſeruare. Chriſtus teſtatur moriens vno ſuo ſacrificio perfectum eſſe & implẽtum quicquid in ſalutem noſtram erat. Nos huiuſmodi ſacrificio, cuius perfectionem luculenter adeo commẽdauit, quaſi imperfecto, innumera quotidiè aſſuimus. Quãdo ſacroſanctum Dei verbum non affirmat modò, ſed clamat etiam & conteſtatur, hoc ſacrificium ſemel peractum fuiſſe, eius vim æternam permanere, qui aliud poſtulant, nónne ipſum imperfectionis inſimulant & infirmitatis? At

verò

verò miſſa quæ hac lege tradita eſt, vt millies centena ſacrificia in ſingulos dies peragantur, quo ſpectat, niſi vt Chriſti paſsio, qua vnicam hoſtiam ſe patri obtulit, ſepulta ſubuerſáque iaceat? Quis, niſi cæcus, non videat, Satanæ audaciam fuiſſe, quæ veritati adeò apertæ ac dilucidæ obluctaretur?

THEOPHILVS.

Verum quidem eſt (vt & ſuprà declarauimus) vim & efficaciam ſacrificij Chriſti in cruce oblati, quo nos æterna redemptione inuenta ſanctificauit, nullo fine perſtare: hocque ſacrificium ſemel à Chriſto peractum eſſe (ſicut Paulus docet, ac Chriſtus ipſe teſtificatur) perfectum item, & omnibus eſſe numeris abſolutum, eóque impleta eſſe omnia, quæ ad ſalutem noſtram ſpectabant: ac nullam eiuſmodi reliquam eſſe oblationem. Ideóque alia quærere ſacrificia, aliud nihil eſſe, quàm Chriſti ſacrificium imperfectionis & imbecillitatis ſugillare. Quæ omnia intelligimus, quemadmodum & Apoſtolus, de cruento ſacrificio, quod Chriſtus ſemel in cruce obtulit ad multorum delenda & exhaurienda peccata. At miſſam hac lege inuectam eſſe (vt pſeudoeuangelici doctores deblaterãt) vt millies centena ſacrificia in dies ſingulos peragantur: atque ita dirigatur ad ſepeliendam, & opprimendam Chriſti paſsionem, qua quidem vnicam hoſtiam ſeipſum patri obtulit, id verò pernegamus. Crucis enim hoſtia, & hoſtia altaris, vna & eadem eſt hoſtia, alio atque alio modo oblata. Hoſtia enim crucis, cruento & paſsibili oblata eſt modò: altaris verò hoſtia quotidie offertur in memoriam hoſtiæ cruentæ ſpirituali & incruento modo. Quare vnum & idem eſt ſacrificium, non plura, etſi iteratur ſæpius. Vnde manifeſtiſſimum euadit, ſacerdotes Chriſti in cruce immolati ſacrificio non aſſuere innumera ſacrificia (vt impudenter garriũt iſti mendaciorum architecti) ſed eandem hoſtiam alio modo immolãt. Idem enim corpus eſt, idemque ſanguis, quod offertur in altari, & in cruce immolatur. Nec quicquã illos iuuabit, quod replicãt, tota diſputatione apoſtolũ cõtendere, nõ modò nulla alia eſſe ſacrificia, ſed vnum illud ſemel oblatum fuiſſe,

nec amplius iterandum. Paulus enim in tota ad Hebræos epiſtola loquitur (vt ſæpius antè iam diximus) de cruento Chriſti ſacrificio, quod iterari non poteſt. Si enim ſæpe repeteretur, Chriſtum ſæpius pati oporteret, vt veriſsimè cõcludit Apoſtolus. At ſi hoc idem ſacrificiũ ſemel cum ſanguinis effuſione oblatum, nullum cruorẽ effundendo, ſed incruento modo ſæpius offeratur in ſacrificij cruenti memoriam, haudquaquam neceſſe eſt Chriſtum ſæpius mori. Nam quotieſcunque ſic offertur, in memoriã mortis Chriſti offertur, ipſo Apoſtolo teſtante cùm dicit: Quotieſcunque manducabitis panem hũc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat. Tametſi ergo cum Apoſtolo fatemur, præter hoſtiam, quam in cruce moriens Chriſtus obtulit, nõ eſſe aliam nouæ legis hoſtiam, de qua alibi ait beatus Paulus: Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſeipſum pro nobis oblationem & hoſtiam Deo in odorem ſuauitatis: nihil tamen hoc prohibet, quominus eadem hoſtia ſæpius offeratur citra ſanguinis effuſionem, ſpirituali & Euchariſtico modo, ad agendas Deo pro immenſis beneficiis gratias. Sed Auguſtini verbis hanc dirimi malo cõtrouerſiam, quàm meis. Ait enim: Semel immolatus eſt in ſemetipſo Chriſtus, & tamẽ quotidie immolatur in ſacramẽto. Quod ita intelligendum eſt: quia in manifeſtatione ſui corporis, in diſtinctione ſuorum membrorum omniũ, verus Deus & verus homo ſemel tantùm in cruce pependit, offerens patri ſeipſum, hoſtiam viuam & paſsibilem, mortalem, viuorum & mortuorum redẽptionis efficacem; eorum ſcilicet quos altitudo diuini conſilij redimẽdos iudicauit, præſciuit, prædeſtinauit, vocauit modis atque temporibus quibus id fieri congruebat. Quod idẽ beatus Ambroſius apertius enucleat. In Chriſto Ieſu (inquit) ſemel oblata eſt ad ſalutem ſempiternam potẽs. Quid ergo nos? nónne per ſingulos dies offerimus? ſed ad recordationem mortis eius. Et vna eſt hoſtia, non multæ. Quomodo eſt vna, non multæ? Quia ſemel oblatus eſt Chriſtus. Hoc autem ſacrificium exẽplum eſt illius: idipſum & ſemper idipſum. Proinde hoc idem eſt ſacrificium. Alioqui dicetur: Quoniam in multis locis offertur, multi ſunt Chriſti? Nequaquam, ſed vnus vbique Chriſtus, & hic plenus exiſtẽs, & illic ple-

1. Cor. 11.

Epheſ. 5.

Aug. lib. ſent. proſp. & epiſt. 23. ad Boniſa. Et de conſe. diſt. 2. cap. Semel.

In epiſt. ad Hebræos ca. 10. Refertur de cõſec. diſt. 2. ca. in Chriſto ſemel.

illic plenus. Sicut enim quod vbique offertur, vnum eſt cor pus, & non multa corpora: ita & vnum ſacrificium. Pontifex autem ille eſt, qui hoſtiam obtulit nos mūdantem. Itē, ipſam offerimus etiam nunc, quæ tunc oblata eſt, & conſumi non poteſt. Quod nūc facimus, in commemorationem fit eius quod factum eſt. Hoc enim facite, ait, in mei cōmemorationem. Idem etiam in pſal. 38. Vidimus (inquit) principem ſacerdotum ad nos venientē, vidimus & audiuimus pro nobis offerētem ſanguinem ſuum, ſequamur vt poſſumus ſacerdotes, vt offeramus pro populo ſacrificium, etſi infirmi merito, tamen honorabiles ſacrificio: quia etſi nūc Chriſtus non videtur offerre, tamen ipſe offertur in terris quando Chriſti corpus offertur. Imò ipſe offerre manifeſtatur in nobis, cuius ſermo ſanctificat ſacrificium quod offertur. Et diuus Ioannes Chryſoſtomus: Menſa (inquit) Domini myſteriis inſtructa eſt, & agn⁹ Dei pro te immolatur, ſacerdos pro te angitur, ſanguis ſpiritualis ex ſacra menſa refluit. Seraphin aſtant ſex alis faciem tegentia, omnes incorporeæ virtutes pro te cum ſacerdote intercedūt: ignis ſpiritualis è cœlo deſcendit: ſanguis in cratere in tuā purificationem ex immaculato latere hauſtus eſt, & non erubeſcis, neque Deum, tibi propicium facis? Paſchaſius autem papa, qui anno viuebat 880. quotidianæ huius ſacrificij iterationis duas adfert rationes de corpore ſcribēs & ſanguine Chriſti. Iteratur quotidie (ait) hæc oblatio, licèt Chriſtus ſemel paſſus in carne, per vnam eandemque mortis paſſionem ſemel ſeruauerit mundum: ex qua morte idem reſurgens ad vitam, mors illi vltra non dominabitur. Qui profectò ſapientia Dei patris neceſſariū pro multis cauſis hoc prouidit. Primò quidem, quia quotidie peccamus, ſaltem in peccatis ſine quibus mortalis infirmitas viuere non poteſt: quia licèt omnia peccata ſint donata in baptiſmo, infirmitas tamen peccati adhuc in carne remanet. Vnde pſalmographus: Benedic anima mea Domino, qui propiciatur omnibus iniquitatibus tuis, qui ſanat omnes infirmitates tuas. Et ideo quia quotidie labimur, quotidie Chriſtus pro nobis myſticè immolatur: & paſsio Chriſti in myſterio traditur: vt qui ſemel mortem moriēdo vicerat, quotidie recidiua delictorū per hæc ſacramēta

Hom. de Euch. in Encæniis.

Refertur de conſec. diſt. 2. ca. Iteratur.

Pſal. 102

Mat. 6. corporis & ſáguinis peccata relaxet:vnde oramus: Dimit-
1.Ioan.1. te nobis debita noſtra,&c. Quia ſi dixerimus quòd peccatum non habeamus,noſmetipſos ſeducimus , & veritas in nobis non eſt.Item,hoc myſterium iteratur,&ob commemorationem paſſionis Chriſti,ſicut ipſe ait:Hoc quotieſcũ
Luc. 22. que feceritis,in mei commemorationem facite. Quotieſ-
1.Cor.11. cunque ergo hunc panem ſumitis , & bibitis hunc ſanguinem,mortem Domini annunciabitis donec veniat.Non vtique ſic eſt accipiendum,donec mors Chriſti veniat: quia iam vltra non moritur: ſed donec ipſe Dominus ad iudicium veniat. Interdum autem ſemper eſt mors Chriſti per ſeculi vitam poſteris annuncianda,vt diſcant qua charitate dilexit ſuos , qui pro eis mori dignatus eſt : cui omnes vicem debemus charitatis,quia adhoc nos prior dilexit,cùm eſſemus gehennæ filij,vt diligeremus eum iam à morte liberati . Priorem iterationis huius ſacrificij rationẽ iiſdem
De conſecr. diſt.2.ca. vtrum ſub figura. fermè verbis tradit Auguſtinus dicens: Iteratur autẽ quotidie hæc oblatio, licèt Chriſtus ſemel paſſus ſit,quia quotidie peccamus peccatis ſine quibus mortalis infirmitas viuere non poteſt. Et ideo quia quotidie labimur , Chriſtus quotidie myſticè pro nobis immolatur. Nónne intellectu facillimũ eſt ex ſupradictis ſáctorum doctorum verbis,ſacrificium crucis,& altaris (quod antè iam affirmauimus) idem eſſe numero ſacrificium : quia idem corpus & idem ſáguis,imò idem ipſe Chriſtus, qui & in cruce oblatus eſt, & quotidie offertur in altari ? Sed in modo offerendi magnum eſt diſcrimen. In cruce enim ſemel oblatus eſt corporaliter,quia ipſe voluit:in altari quotidie offertur ſacramẽtaliter,quia ipſe ſic inſtituit.In cruce oblatus eſt in mor
Eſai.53. tem:in altari offertur in myſterium mortis. Ob hunc ergo
Luce 22. duplicem offerendi modũ,geminã quoque ponimus Chriſti oblationem , vtramque tamen veram ac realem : quandoquidem in vtraque Chriſtus verè ac realiter offertur, & proinde vnica eſt oblatio ex parte rei quæ offertur, & eadem gemina,ex duplici offerendi modo:verùm altera,hoc eſt, crucis, corporalis eſt & cruenta: altera,quæ eſt altaris, ſacramentalis & incruenta.In qua Chriſtus quotidie offertur in eccleſia , & à ſacerdotibus in ſacroſancta miſſa ſub ſpeciebus panis & vini ſumitur in memoriã prioris oblationis,

tionis, quam Chriſtus in cruce ſemel peregit ſua morte in precium redemptionis humani generis, non ſub ſacramentalibus, ſed ſub proprijs corporis & ſanguinis ſpeciebus. Oblationis illius cruentæ typus ac vmbra fuit agnus Paſchalis: vt enim ille legis pręſcripto ſingulis annis ſemel tãtùm in Paſchate Iudæorum offerebatur, in memoriam liberationis Iſraelitici populi de Aegyptiaca ſeruitute: ita & Paſcha noſtrũ Chriſtus pro nobis immolatus, verus agnus noſter Paſchalis, qui tollit peccata mundi, agnus inquam occiſus in vmbris figurarum ac ſacrificiorum ab origine mundi, ſemel obtulit ſemetipſum, liberans populum Chriſtianum, qui eſt Iſrael ſecundum ſpiritum, de diabolica poteſtate ac ſeruitute. Quam vnicam oblationẽ in lege Moſaica in hoc adũbratã, quòd non niſi ſemel in anno legalis põtifex cũ oblatione ſolẽni intrabat in ſãcta, eccleſia quotãnis ſemel dũtaxat reprę ſẽtat ipſo die paraſceues, quo nec Euchariſtiã cõficit, nec ſacrificat ſacerdos, ſed ſuperiori die cõſecratã ſumit, ne ipſo die ſine Dominicę paſſionis fructu maneat eccleſia. Incruẽta verò & Euchariſtica oblatio figurã habuit in lege in iugi illo ſacrificio, quo quotidie immolabatur agnus, vnus mane, & alter veſperi, ſicut in Numeris ſcriptũ eſt: Hæc ſũt ſacrificia quæ offerre debetis: agnos ãniculos immaculatos duos quotidie in holocauſtũ ſẽpiternũ: vnũ offeretis manè, & alterũ veſperi. Et quia lex vmbrã habebat futurorũ, & omnia ſub ea in figura cõtingebãt, cõſequẽs vtiq; eſt, vt hæc figura reſpõdeat rei figuratæ, & vmbra cedat veritati. Cõſtat autẽ quotidianã illã duorũ agnorũ oblationẽ, neutiquã prę ſignaſſe oblationẽ Chriſti in cruce futurã, cũ ea tã tùm ſemel exhibita, quotidiano vſu repeti non poſsit. Quid ergo aliud ſignificabat, quàm quotidianam illam Chriſti immolationem, qua in celebratione miſſæ ſub forma panis & vini offertur? De gemina Chriſti oblatione, ſiue duplici offerẽdi modo Euſebius Emiſſenus ita ſcribit: Quia corpus aſſumptũ ablaturus erat ab oculis, & illaturus ſyderibus, neceſſarium erat vt in die cœnæ ſacramẽtum nobis corporis & ſanguinis conſecraret, vt coleretur iugiter per myſteriũ quod ſemel offerebatur in preciũ, vt quia quotidiana & indefeſſa currebat pro omnium ſalute redemptio, perpetua eſſet redẽptionis oblatio.

Exodi 12. *1. Cor. 5.* *Apocal. 13* *Rom. 14.* *Num. 28.* *Heb. 10.* *1. Cor. 10.* *Refertur de conſec. diſt. 2. ca. Quia corpus.*

& perennis illa victima viueret in memoria,& ſemper præ ſeus eſſet in gratia,verè vnica & perfecta hoſtia, fide æſtimanda,non ſpecie,neque exteriori cenſenda viſu,ſed interiori affectu,&c.Nunc ad reliqua perge, ſiquid eſt quod etiamnum tibi negotium faceſſat. DOROTHEA.

Miſſa(aiunt illi ipſi) veram & vnam mortem Chriſti obliterat, & ex hominum memoria excutit. Nam vt inter homines teſtamenti confirmatio à morte teſtatoris pendet:ita etiam teſtamentum,quo nos peccatorum remiſsione, & æterna iuſtitia donauit, morte ſua confirmauit Dominus noſter. In hoc teſtamēto qui variare quicquam aut innouare audent,mortem eius abnegant, & tanquam nullius momenti habent. Quid verò eſt miſſa, niſi nouum & prorſus diuerſum teſtamentum?Quid enim?An non ſingulæ miſſę nouam peccatorum remiſsionem,nouam iuſtitię acquiſitionem promittunt:vt iam tot ſint teſtamenta,quot miſſæ? Veniat ergo rurſum Chriſtus,& altera morte nouū hoc teſtamentum vel potius infinitis mortibus innumera miſſarum teſtamenta rata faciat. An non igitur verū principiò diximus,vnicam & veram Chriſti mortem obliterari per miſſas?Quid?quòd eò directè ſpectat miſſa, vt rurſum, ſi fieri poſsit, trucidetur Chriſtus? Nam vbi teſtamentum eſt (inquit Apoſtolus) mortem teſtatoris intercedere illic neceſſe eſt. Miſſa nouum Chriſti teſtamentum præ ſe fert: eius ergo mortem poſtulat. Præterea, hoſtiam, quæ offertur,occidi & immolari neceſſe eſt.Si Chriſtus ſingulis miſſis ſacrificatur: cum ſingulis momentis mille in locis crudeliter interfici oportet. Non id noſtrum eſt,ſed Apoſtoli argumētū Si neceſſe habuiſſet ſæpius offerre ſemetipſum, oportuiſſet illum frequenter pati ab origine mundi.

Hebr.9.

THEOPHILVS.

Fatemur cum Apoſtolo,teſtamenti confirmationem ex morte teſtatoris pendere: ac Dominum morte ſua confirmauiſſe teſtamentum, quo nos peccatorum remiſsione & æterna donauit iuſtitia:eos item,qui in hoc teſtamento variare quicquam aut innouare audent,mortem eius abnegare,& tanquam nullius momēti habere. At miſſam nouum eſſe & prorſus diuerſum teſtamētum:ſingulas item miſſas nouam peccatorum remiſsionem, nouamq́ue iuſtitiæ acquiſitionem

quiſitionẽ promittere: tot etiam teſtamẽta eſſe, quot miſſę, nemo vnquã orthodoxus & fidei catholicæ cultor id mẽte agitauit. Quare meritò illos calũniæ inſimulam⁹, qui iſtud rudi & ignarę multitudini perſuadere conãtur. Primum enim omniũ miſſa (quæ mortis ac paſsionis Chriſti repræſentatio eſt) non eſt teſtamentum, ſicut nec ea ipſa mors, quæ teſtamẽtum Chriſti confirmat, teſtamentum eius eſt, at ipſius duntaxat teſtamenti confirmatio: cùm maximum diſcrimen ſit inter hæc tria, teſtamentum, teſtatorẽ, & mortem. Teſtator enim dum viuit, teſtamentum condit, ſed eo viuente & incolumi manet inualidum, id eſt, nondum confirmatum: ſed ipſa mors ſuperueniens teſtamentũ iam cõfirmat. Teſtamẽtum ergo medium eſt inter teſtatorem, & mortem quæ teſtamentum confirmat. Quapropter vt teſtamentum minimè is eſt, qui illud cõdit, ita nec mors teſtamentum eſt: ſed ab vtroque quàm plurimum differt, ſicut res diuerſa. Multò ergo minus miſſa, quæ mortẽ repræſentat, teſtamentum erit. Cùm autẽ dicamus, nos ſacrificio, quod Chriſtus in memoriã mortis & paſsionis ſuæ inſtituit, & eccleſiæ ſuæ cõmendauit, Chriſtum patri ſiſtere impaſsibili & incruẽto modo, non vt nũc demũ remiſsionẽ peccatorũ & redẽptionẽ mereamur, ſed vt fide ac deuotione nobis applicem⁹, eã quã in cruce nobis Domin⁹ promeruit: qua tãdem cõtumelia mortẽ eius afficimus? Nemo inficias iuerit, quãlibet hæreſi & ſectę ſuæ ſit addictus, hac ratione crucis nobis ſacrificiũ ritè applicari, dũ Chriſtus ſe fruendũ nobis offert, eũq; nos vera fide recipimus. Cùm ergo id vel maximè in miſſa fiat (in qua quidẽ Chriſt⁹ corporis & ſanguinis ſui verè nos participes efficit, quæ vera viuáque fide recipimus) nullus non fateri debet, nobis fructũ mortis eâ cõmunicari. Iſtud autẽ qui docet, nouãne per miſſam peccatorũ remiſsionẽ, nouãque iuſtitię acquiſitionẽ promittũt? Quòd ſi miſſa non eſt teſtamẽtũ, nónne extremum eſt dementiæ aut effrenatæ potius malitiæ, affirmare tot eſſe teſtamenta quot miſſæ? Quare haud neceſſe eſt, vt Chriſtus in miſſa moriatur, quò miſſa, quaſi teſtamẽtum, eius morte cõfirmetur. Miſſa enim (vt diximus) ſacrificium incruentũ eſt ac ſpirituale, illud repræſentans, quod ſemel in cruce peractum eſt, hoc eſt, ſacrificium Euchari-

ſticum, ſacrificium laudis, gratiarum actionis ac obedientiæ Deo peculiariter debitæ: quatenꝰ eccleſia (quæ Chriſti myſticum eſt corpus) non modò offert Deo patri verum corpus & verum ſanguinem Domini cum ſuis meritis, ſed ſe etiam ipſa per Chriſtum hoſtiam viuam offert: ac votis ſpiritualibus (quibus quidem ſe perpetuò in Chriſto māſuram profitetur ac promittit) ſeipſam cum iis omnibus quæ ſua ſunt, Deo dedicat. Quapropter minimè neceſſariū eſt, vt Chriſtus iterum veniat, & altera morte hoc teſtamētum nouū (vt ſophiſtæ deblaterāt) confirmet, aut infinitis mortibus, teſtamenta quæ infinita in miſſis eſſe mētiūtur, rata faciat, quum miſſa non ſit teſtamentū, neque innumeræ miſſæ, innumera teſtamenta: ſed vna miſſa & innumeræ miſſæ vnum & idem ſunt ſacrificium incruentum, quod Chriſtus ſemel obtulit cruentū in cruce. Nonne igitur mēdacij cōuincūtur manifeſtiſsimè, qui aſſeuerare nō dubitāt miſſa vnicā verāque Chriſti mortē deleri ac in obliuionem tradi? Intoleranda ſanè blaſphemia eſt. Nam (vt Auguſtinus ait) etſi Chriſtus ſemel mortuꝰ eſt, iuſtus pro iniuſtis, ſéque patri in cruce obtulit hoſtiam viuentem, paſſibilem ac mortalem, è mortuiſque excitatus iam mori nō poteſt, quotidie tamen in ſacramēto immolatur, non quòd toties occidatur, ſed quòd vnicum illud ſacrificium myſticis ritibus quotidie renouetur, quotidianaq; recordatione mortis Domini (qua liberati ſumus) in edendo & potando carnem & ſanguinem, quæ pro nobis oblata ſunt, hoc ipſum repræſentetur quod olim factum eſt. Quo pacto autem miſſa directè eo tēderet, vt Chriſtus, ſi fieri poſsit, iterum occidatur (vt impiè garriunt hæretici) cùm hoc ſacrificium neutiquam ſit cruentum, ſed in memoriam mortis Domini offeratur, vt fructu paſſionis eius repleamur? Fatemur certè cum Paulo, vbi ſit teſtamentum, neceſſariò teſtatoris mortem interuenire debere. Sed vt miſſa non eſt teſtamentum, ita nullum Chriſti nouum teſtamentum pręſe fert. Non ergo mortem eius poſtulat.

Lib. de trin. & in Pſal. 29.

Quòd autem aiunt eſſe neceſſarium, vt quæ offertur hoſtia mactetur & occidatur: verum id quidem eſt de cruento ſacrificio, veluti hœdorum, agnorum, & taurorum. Quare nihil eſt neceſſe Chriſtum (vt ſcelaratè nugantur) ſingulis

ſingulis momentis mille in locis crudeliter necari, quòd in miſſa ſacrificetur. Nam in ea ſacrificium (vt iam ſæpè diximus) incruentum offertur, in memoriam cruentæ oblationis, quæ in cruce peracta eſt. Cùm verò ait Apoſtolus, oportuiſſe Chriſtum frequenter pati ab origine mundi, ſi neceſſe habuiſſet ſæpius offerre ſemetipſum, de cruenta oblatione loquitur, vt hæc verba [Quemadmodum pontifex ingreditur in ſãcta ſingulis annis per ſanguinẽ alienum] manifeſtè indicant. Hic ergo verborum Apoſtoli ſenſus eſt: Chriſtus in cœlum ingreſſus eſt, vt nunc appareat in conſpectu Dei pro nobis, non vt ſæpius offerat ſemetipſum, quemadmodum pontifex veteris legis per ſanguinem alienum offerebat, ſingulis annis cruenta & ea diuerſa pecudum immolans ſacrificia. Nam ſi hoc modo Chriſtus ſemetipſum per proprij ſanguinis effuſionẽ ſæpe offerret, aut in miſſa offerretur, eum pati frequenter oporteret. Semel ergo pro nobis ad profligationem peccati per immolationẽ ſui ipſius in conſpectu Dei apparuit: & offertur quotidie per ſacerdotes hoſtia incruenta, in cruentæ memoriam. *Hebr. 9. cap.*

DOROTHEA.

Aſſeuerant præterea, miſſam præcipere nobis fructum qui è morte Chriſti ad nos redibat, dum ne agnoſcamus & cogitemus facit. Ecquis enim cogitet ſe morte Chriſti redemptũ eſſe, vbi nouã in miſſa redemptionẽ viderit? Ecquis peccata ſibi remiſſa cõfidat, vbi nouam remiſsionẽ viderit?

THEOPHILVS.

Ea verba inania ſunt & impietatis plena. Si enim Chriſti eccleſia ex eius doctrina & inſtitutione, eum quotidie in miſſa offert, non ad mortem (iam enim morti non eſt opportunus) ſed in mortis eius recordationem, vt fructu paſsionis eius repleatur: quî tandem miſſa nobis fructum auferet, qui è morte Chriſti ad nos manabat? Quî fieri poteſt vt non agnoſcamus mẽteque agitemus eum fructũ, cũ in miſſa Chriſti mortis memoriam colamus, vt viua fide participes fiamus remiſsionis peccatorum, quæ iam morte Chriſti acquiſita eſt? An hæc noua eſt redemptio? An aliam remiſsionẽ annũciámus, cùm eliciẽtes ſubinde nobis ex illo inexhauſto fonte gratiã ſalutarẽ, oramus per memo

riam & meritum paſsionis eius, patrem pro noſtra reconciliatione,& remiſsione peccatorum noſtrorum & animarum ſalute? Anne ambigimus peccata nobis per Chriſti paſsionem eſſe condonata? An nos à nobis ipſis redimi dicimus,aut ea nos à Chriſto lege redemptos eſſe iactas,vt nos ipſi redimamus?

DOROTHEA.

At vociferantur,& hoc paſsim rumores differunt,nos, quum Chriſtum patri in miſſa offerimus, affirmare, hoc oblationis opere aſſequi nos peccatorum remiſsionem,& participes fieri paſsionis Chriſti:ita nihil paſsioni Chriſti ſupereſſe,niſi vt ſit exemplum redemptionis, quo diſcamus noſtri eſſe redemptores.

THEOPHILVS.

Si animum, ad ea quæ docemus,aduertere diligentius vellent,ſe tota via intelligerent errare.

Duplex ſacrificium eſſe dicimus: Alterum propiciatorium,quod oblatum pro remiſsione peccatorum iram Dei placat,& Deo nos reconciliat:Alterum,ſacrificium laudis, gratiarum actionis, & obedientiæ, quam Deo veluti honorem & ſeruitutem propriè ei debitam reddimus. Quia verò hoc ſacrificium laudis poſt Adam lapſum, & naturæ corruptionem defecerat,conſtat ſacrificium propiciatoriū idcirco initiò promiſſum, & Deum in Chriſto exhibitum
Heb.9. eſſe,vt Euchariſticum illud inſtauraret. Nam,vt Apoſtolus ait,ſanguis Chriſti, qui per ſpiritum ſanctum ſemetipſum obtulit immaculatum Deo, emundauit conſcientiam noſtram ab operibus mortuis. Ecce ſacrificium propiciatorium:cuius vim & efficaciam ne quis ignoret,ſtatim adiectum eſt:Ad ſeruiendum Deo viuenti:ecce inſtaurationem ſacrificij Euchariſtici. Vnde conſequitur, hæc ſacrificia ſic inter ſe cohærere & colligari, vt poſterius eſſe non poſsit ſine priori:ſed potius, prius cauſa ſit & baſis poſterioris. Rurſus manifeſtum eſt,ſacrificium quoddam eſſe propiciatorium ſignificatione, qualia fuerunt ſacrificia veteris teſtamenti pro peccato,pro delicto holocauſtum & victima. Aliud item reipſa ac verè propiciatorium, per illas veteris legis hoſtias ſignificatum.Ad hæc liquet in omni ſacrificio duo eſſe,nimirum rem oblatam,& oblationē. Cæterùm in miſſa

miſſa res oblata duplex eſt: videlicet corpus Chriſti verum cum ſuis meritis, & corpus Chriſti myſticũ cum ſuis donis à Deo acceptis. Si reſpicimus ad corpus Chriſti verũ, quod in ſacroſancta Euchariſtia continetur omnipotentis Dei virtute; quis negauerit hoc corpus, ſacrificium propiciatorium rectè dici poſſe, non ratione oblationis, quam ſacerdos facit, ſed ratione eius oblationis, quæ ſemel in cruce facta præteriit, cuius virtus perpetuò durat, eiuſdẽ ſemper potentiæ & efficaciæ? Quod attinet ad oblationem quæ fit in miſſa, hoc eſt, ad opus ſacrificantium, ad duo reſpicere oportet, nempe ad ceremoniam exteriorẽ, & id quod intus agitur per fidem. Ceremoniam ſeu exteriorem actionem, ſacramẽtalem oblationem vocamus, quam vtilem eſſe negamus abſq; ſpirituali oblatione, hoc eſt, ſine fide & bono motu cordis: tantũ abeſt, vt illi tribuamus meritum remiſſionis peccatorum pro viuis & mortuis, Chriſti meritũ per fidem minimè participantibus. Quum autem orthodoxi aliquid tribuunt operi operato in hoc ſacrificio, nõ intelligũt per opus operatum, exteriorem ceremoniã ſine fide & bono motu eius vel qui offert, vel cuius nomine peragitur oblatio (quod faciunt aduerſarij) ſed potius veritatẽ corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia, quæ non in merito ſacerdotis, ſed in verbo conficitur creatoris. Ita ſancti patres vtrãque oblationem coniungentes, ſacramentalem ſcilicet & ſpiritualem, pronunciant eandem oblationẽ ſpiritualem cum externo ſacerdotis opere cõiunctã in miſſa, ſacrificium eſſe Deo placens ſuper omnia veteris legis ſacrificia. Clamitent ergo vel ad rauim, hæretici, nos ferro & igni tueri, ſolo oblationis ſacramẽtalis opere peccatorum obtineri remiſsionem. Contrà reſpondebimus cum patribus (quorum vitæ ſanctimonia, & doctrina ſalutaris miraculis etiam comprobata, Chriſti eccleſiam illuſtrauit) nos per fidem meriti Chriſti fieri participes, qui Deum in ſpiritu & veritate adoramus, hoc eſt, vero cordis affectu, quæ adoratio, in oblatione potiſsimùm ſpirituali & ſacramentali, quæ in miſſa fit, elucet. Cùm ergo fateamur vnicum eſſe ſacrificium propiciatorium, aut ſatiſfactorium pro noſtris ac totius mũdi peccatis, Chriſtum videlicet Ieſum, agnum immaculatum, pro nobis immolatum in cruce,

haudquaquam Chriſti perpeſsionem (vt veritatis hoſtes nos calumniantur) redemptionis exemplum facimus, quo diſcamus noſtri eſſe redemptores. Nullam certè aliam redemptionem agnoſcimus, quam paſsionem Chriſti Ieſu, quæ (vt beatus Cyprianus ait) ſacrificium eſt quod offerimus, hoc eſt, offerendo repræſentamus, memoria repetentes vnicum illud ac ſummum ſacrificium & ſanctam immolationem in cruce peractam.

Cypr. ad Cæcilium

DOROTHEA.

Addunt & illi, ſacram cœnam, in qua Dominus paſsionis ſuæ memoriam inſculptam formatámque reliquerat, erecta miſſa, è medio ſublatam, inductam & deperditam.

THEOPHILVS.

Cuinam obſecro ex orthodoxis, in ſcripturis diuinis & veterum libris diligenter verſato, iſtud perſuadebunt? Verum quidem eſt (quod & corde credimus, & ore confitemur) in ſacra cœna Dominum memoriam ſuæ paſsionis inſculptã formatamque reliquiſſe: ſed quòd erectâ miſſâ, è medio illa pellatur & intereat, impudentiſsimi eſt mendacij, cùm (vt beatus Ioannes Chryſoſtomus præclarè ſcribit) eadem illa cœna etiamnum hîc celebretur, in qua Chriſtus ipſe recũbebat. Nihil quippe intereſt inter illam & hãc. Non enim hæc ab homine, illa à Chriſto conficitur. Quando igitur (ait) ſacerdotem corpus Chriſti tibi præbere videbis, noli ſacerdotis, ſed Chriſti manum ad te porrigi arbitrari. Carnes enim ſuas nobis tradidit, ſe ipſum propoſuit immolatum. Hæc ille. Quòd ſi in miſſa eadem illa cœna celebratur, quam cum Apoſtolis Chriſtus celebrabat, quo pacto miſſa memoriam paſsionis Chriſti induceret ac aboleret? præſertim cùm in ea tam aperta fiat & manifeſta commemoratio mortis ac paſsionis Domini, vt non aliter excitemur & moueamur, atque ſi Chriſtum Ieſum in cruce pendentem videremus. Non ij certè ſumus qui negemus cœnam ipſam donum eſſe Dei, quod cum gratiarum actione accipiendum eſt. Id quod idem Chryſoſtomus declarat, dum ait: Venerãda & ſalutaria hæc myſteria, quæ in eccleſia celebramus, appellantur Euchariſtia, id eſt, gratiarum actio. Memoria enim eſt plurimorum beneficiorum, & caput diuinæ erga nos charitatis oſtendunt,

Hom. 51. in Matth. ca. 14.

Hom. 16. in Matth. cap. 8.

ſempérque nos ad debitas Deo gratias agendas impellunt. Corpus ergo & ſanguis Chriſti donum, eſt quod cum gratiarum actione accipere debemus, Dei erga nos beneficiorum memores, vt ſic in præceptis eius ſeruandis diligētiam adhibeamus. Miſſam verò his aduerſari, nunquam orthodoxus concedit.

DOROTHEA.

Aiunt à nobis fingi, ſacrificium miſſæ precium Deo numerare, quod ipſe in ſatiſfactionem accipiat.

THEOPHILVS.

Hoc, ſi rectè intelligitur, verum eſſe cognoſcetur. Fatemur quidem certè verum Chriſti corpus offerri Deo in altari myſticè ac ſacramentaliter, in memoriam mortis & paſsionis eius. Cùm autem Deus nobis filium ſuum vnigenitum dederit, dedit vtique eam ob cauſam, vt peccatores nos agnoſcentes, illum iræ Dei tanquam reconciliatorem noſtrum opponamus, & diffiſi de noſtris viribus hanc potentiſsimam victimam, quæ pro peccatis noſtris ſatiſfecit, patri repræſentemus Hoc illi ſi vocant precium Deo oblatum, quod à nobis ipſe accipiat in ſatiſfactionem, perquàm libenter illis aſſentimur. Sic enim nihil de noſtro adferimus, ſed fide gratiam recipimus, quæ nobis in Chriſti cruce offertur. Si verò intelligunt nos opus noſtrum quale quale ſit, offerre Deo in precium & ſatiſfactionem peccatorum noſtrorum, atq; ita arbitrari nos apud Deum gratiam atque iuſtitiam promerituros, calumnia eſt mera, & malitioſa noſtræ orationis interpretatio. Nemo enim eſt, qui vel prima fidei Chriſtianæ elemēta atq; primordia imbiberit, qui neſciat nullam aliam pro peccatis eſſe ſatiſfactionem, quàm quæ in cruce facta eſt, eādemque nō tantùm pro noſtris, ſed & totius mundi peccatis ſufficientiſsimam eſſe, nulloque egere ſupplemēto, neque requiri vllam aliam hoſtiam, aut vllum aliud meritum, per quæ ex impiis efficiamur iuſti, & Deo patri reconciliemur, quòd non ſit aliud nomē ſub cœlo, in quo oporteat nos ſaluos fieri. Interim tamen docemus, neminē huius hoſtię participē fieri, niſi qui credat & obtēperet Euangelio Chriſti, aut qui propria fide ac deuotione, dum viueret, effecerit vt ſacrificiū, quod nobis ob oculos ponit Chriſti ſeruatoris noſtri

perpeſſionem, ei à morte prodeſſe poſſit. Vera enim eſt ſcriptura quæ teſtatur, Deum dediſſe filium ſuum vnigenitum, vt omnis qui credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam. Quum ergo in miſſa totius propemodum Euangelij ſumma recenſeatur, quòd videlicet Chriſtus traditus ſit pro nobis in remiſſionem peccatorum, idque ea fide qua confidimus nobis pœnitentibus per eam hoſtiam, nempe Chriſtum pro nobis oblatum, remitti peccata: quis non videt Deum per talem fidem (quæ in huius repræſentatiui ſacrificij celebratione, atque adeò eiuſdem corporis pro nobis paſſi manducatione vel maximè exercetur) beneficium Chriſti dilectiſsimi filij ſui fidelibus ſuis applicare? Nec enim hanc applicationem ſacerdoti, ſed Deo tribuimus: non operi noſtro, ſed Dei beneficio: quod tamen non aliter quàm voluntatis noſtræ aſſenſu per fidem accipimus. Idque etiam vt poſsimus, is facit, qui dat velle & perficere pro ſua bona voluntate.

Ioan. 3.

DOROTHEA.

Aſſeuerant, quantum intereſt inter dare & accipere, tantùm à ſacramentò ſacrificium differre: atque hanc miſerrimam ingratitudinem eſſe, quòd, vbi agnoſcenda erat diuinæ bonitatis largitas, gratiæq; agendæ, in eo Deum ſibi debitorem faciat.

THEOPHILVS.

Neutiquam iſtud ignoramus. At ſacramentum dicimus ſacroſanctum eſſe ſignum, per quod Deus nobis aliquid exhibet: Sacrificium verò, quod nos Deo reddimus. Licèt autem ſecundum hanc rationem corpus Domini in altari non omnino propriè dicatur ſacrificium, ſed magis ſacramentum, ſeu res ſacramenti: attamen patres non dubitarunt corpus & ſanguinem Chriſti in altari præſentia modò precium pro peccatis totius mundi appellare, modò precium noſtræ redemptionis, modò ſacrificium & ſalutarem victimam, non ratione ſacrificij, quod eſt ſitum in actione ſacerdotis, ſeu miſſæ cõmunicationũ, aut eccleſiæ: ſed ratione ſacrificij, quod in cruce oblatum eſt ſemel, in quo Chriſtus ſacerdos eſt ipſe, & oblatio in ſempiternum potens. Eò enim quòd manet in æternum, ſempiternum habet ſacerdotium: vnde & ſeruare in perpetuum poteſt acce-

accedentes per ipſum ad Deum, ſemper viuens ad interpellandum pro nobis, qui eſt propiciatio pro peccatis noſtris, perpes vtique ſacrificium & ſemper permanens holocauſtum. Secundum quam quidem rationem nihil eſt in hoc ſacramento proprium ſacerdotis, ſed totum agit Chriſtus, qui vſque hodie hoc veraciſsimum & ſanctiſsimum corpus ſuum creat, & ſanctificat, & benedicit, & piè ſumentibus diuidit. Quomodo igitur in ſacroſancta miſſa non cognoſcemus diuinæ bonitatis liberalitatem cum gratiarum actione? Quod ſi facere certò deprehendimur, quis ingratæ mentis labe nos aſpergere meritò poterit? Verum quidem eſt, quòd ſacramentum promittit, nos Chriſti morte non ſemel duntaxat reſtitutos in vitam: ſed aſsiduè viuificari, quia tunc omnes noſtræ ſalutis numeri impleti ſint. Sed aliámne miſſæ ſacrificium cantilenam canit? Quo tandem pacto? Anne dicimus oportere (vt veritatis hoſtes imperitæ & rudi plebeculæ perſuadere conātur) Chriſtum quotidie ſacrificari ad mortem, vt nobis commodet? Mentietur ſanè, hoc affirmare qui audebit. Anteà enim tam ſæpe inculcauimus, ſacrificium miſſæ incruentum eſſe, repręſentatiuū, ſpirituale, & Euchariſticum, vt iam tale quid minimè nobis obiectari debeat. Chriſtus certè in altari immolatur & ſacramentabiliter & myſticè, quia in ſacramento recordatio illius fit, quod factum eſt ſemel. Non toties (quod dictu abominabile eſt) occiditur Chriſtus: ſed repræſentatur quod olim factum eſt, ne beneficij in nos collati obliuiſcamur, ſed potius hoc ſacramento (vti iam diximus) ſic excitemur ac moueamur, tanquam videamus dominum pendentē in cruce, atque ita viua fide fructu paſſionis & mortis eius repleamur. Itaque immolatio, quę manibus fit ſacerdotis, Chriſti paſsio vocatur, non rei veritate, ſed ſignificandi myſterio: nec hac immolatione magis, quàm eſu corporis Dominici occiditur Chriſtus. Non occiditur (inquit Auguſtinus) Chriſtus vt manducetur, ſed mortuos viuificat. Quando manducatur, reficit, non deficit: viuit manducatus, quia ſurrexit occiſus: per partes manducatur in ſacramento, & manet integer totus in cœlo, manet integer totus in corde tuo. Hæc verba ſunt diui Auguſtini, ex quibus intelligi poteſt, quàm frigidæ ſint &

Serm. 2. de verb. Apo.

inanes aduerſariorum noſtrorum argutiæ.

DOROTHEA.

Affirmant hæretici prætereà cœnam in publico eccleſiæ cœtu proponi ac diſtribui debere, quò nos de communione doceat, qua omnes cohęremus in Chriſto Ieſu. Hác autem communitatem miſſæ ſacrificio diſſolui ac diſtrahi: atque adeò miſſas priuatas (hoc eſt, in quibus nulla eſt inter fideles Dominicæ cœnæ participatio, etiam ſi aliâs magna hominum multitudo interſit) excommunicationem magis referre, quàm communitatem illam à Domino inſtitutam, quum ſacrificulus ſuam victimam ſeorſim voraturus, ſe à toto fidelium populo ſegreget. Breuiter cœnam, fidelium eccleſiæ deſiiſſe communicari, iuxta Domini mandatum, poſtquam error inualuit, opottere eſſe ſacerdotes, qui pro populo ſacrificent, quaſi ad eos cœna relegata ſit.

THEOPHILVS.

Verum eſt profectò Chriſtum ſacram ſuam cœnam cum duodecim Apoſtolis celebraſſe, piúmque fore & Chriſtianum, ſi eiuſmodi exemplo probi omnes Chriſtiani in miſſa præſentes communicent (vnde meritò admoneri diligenter debent, vt frequentius ad huius ſacramenti perceptionem ſe præparent) at nunquam tamen eccleſia ſuos ad hanc legem coegit, vt omnibus miſſis tota communitas intereſſet, aut vt nulla celebraretur, niſi tota communitate præſenti & ſacramentum participante. Nam nec Chriſtus ipſe hunc morem obſeruauit, quando ad ſacram ſuam cœnam duodecim tantùm Apoſtolos vocauit: cùm adhuc præter illos, plures ſibi delectos diſcipulos, qui ſe totos doctrinę eius tradiderant, haberet, quos tamen ad cœnam illam non acciuit.

Chriſtus procul dubio ſacramentum iſtud propterea inſtituit, vt quotquot vera fide, & religiosè peterent, quoties iis viſum eſſet, aut res ipſa poſtularet, eo frui poſſent, ſicut à beato Paulo ſcriptum eſt, Hoc facite in mei commemorationem: quotieſcunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat.

Atque ita Chriſtus Dominus neque multitudini, neque paucitati

paucitati hominum, neque loco in quem reciperentur, ſacramentum iſtud aut reliqua alia alligauit: neque item quenquã ſpiritualiter cœleſtem hũc cibum appetentem ita aſtrinxit, vt propter alium quẽcunque, qui non admodum forſan de ſacramẽto ſit ſollicitus, ipſe quoq; eo ſe fraudet: præſertim quũ ita affectus, quotquot pręſentes ſunt aut circumaſtãt communicare ſecũ aueat. Cõmunio certè huius ſacramenti conſiſtit in externa ſola ſumptione ſacerdotis & circunſtantiũ (quorum nõnulli plerũque proditori Iudę quàm veris Chriſti diſcipulis ſunt ſimiliores) ſed præcipuè in ſpirituali & interna illa communione, qua præsbyter, & quotquot cũ eo ſacramentũ participant, ſe omnibus fidelibus toto orbe per fidẽ ſacramẽtũ iſtud ſimiliter percipiẽtibus in ſpiritu aſſociat: ita enim docuit Apoſtolus Chriſti: Omnes vnus panis ſum⁹, & vnũ corpus, quotquot eodẽ pane participamus. Non vbiq; de iis ſolis loquitur, qui eo tẽpore Corinthi cõueniebant, & ſacramẽtũ de vnius ſacerdotis manu accipiebant, verùm potius de ſeipſo tum Corintho procul agẽte, & Corinthiis ipſis, omnibúſque in Chriſtum credentibus, vbi vbi tandem agerent, quos omnes ſignificat vnum eſſe corpus, qui toto orbe cõmunicantes ex eodem pane participarent.

Quòd autem communio nõ ſit in externa potiſſimùm ſocietate ſita, Apoſtolus per patres veteris teſtamenti docet: Omnes (inquit) eandem eſcam ſpiritualem comederunt, & omnes eundem ſpiritualem potum biberunt: Sed non in pluribus eorum bene complacitum eſt Deo, in his videlicet, qui tantummodò extrinſecus in ſocietate viſibili veſcebantur. Nam proſtrati ſunt in deſerto. Hæc autem omnia figuræ contigerunt illis: ſcripta verò ſunt propter admonitionem noſtri, in quos termini ætatum inciderũt. Hoc modo hunc Apoſtoli locum intellexerũt ſancti patres & doctores orthodoxi, inter quos Ignatius Apoſtolicus epiſcopus & martyr Chriſti, ad Philadelphienſes ait: Vna eſt caro Domini Ieſu, & vnus eſt eius ſanguis, qui pro nobis effuſus eſt, vnus etiam panis, pro omnibus confractus, & vnus calix totius eccleſiæ. Ac Chryſoſtomus in eadem ipſa Pauli Apoſtoli verba ita ſcribit: Si ex eodem pane idem corpus omnes efficimur, quare non eandem

1. Cor. 10.

In prior. epiſt. ad Cor. hom. 14.

præ nobis ferimus dilectionem, vt ſecundum hanc ſiamus vnum? Etenim progenitorum noſtrorum temporibus hoc erat: Multitudinis credẽtium (ait ſcriptura) erat cor vnum & anima vna. Et iterum in eadẽ homelia: Quid autem ſiũt qui accipiunt corpus Chriſti? Non multa, ſed vnum corpus. Nam quemadmodum panis ex multis granis vnitur, vt minimè grana appareant, ſed tamen grana ſint, verùm incerta diſcretione coniuncta, ita & nos inuicem Chriſto coniungimur. Non enim ex altero corpore tu, ex altero ille educatur, ſed ex eodem omnes, &c.

Act. 4.

In 6. cap. Ioan. tract. 26.

Similia docuit Auguſtinus. Manducauerunt (inquit) manna Moyſes, Aaron, & Phinees, & alij multi, qui Domino placuerunt, & mortui non ſunt. Cæterum multi ſunt mortui ſicut & hodiè multi moriuntur, qui ſacramentum ſolùm, & non ſacramenti virtutem de altari accipiunt. Et ſequitur: Norunt fideles corpus Chriſti: quod exponens nobis Apoſtolus: Vnum (inquit) corpus multi ſumus. O ſacramentum pietatis! ô ſignum vnitatis! ô vinculum charitatis! Qui vult viuere, habet vbi viuat, habet vnde viuat. Accedat, credat, incorporetur, & viuificetur: non abhorreat à compage membrorum, &c. Et paulò antè: Qui manducat intus, non foris qui manducat in corde, non qui premit dente. Idem ille Auguſtinus, de matre ſua Monica refert, quomodo animam ſuam ad ſacramentum precij noſtri vinculo fidei alligauerit, & ita in fide deſiderauerit, ſui memoriam ad altare fieri, vnde ſciret diſpenſari victimam ſanctam. Ecce pia illa & ſancta mulier, noluit, ne poſt mortem quidem, à ſpirituali illa communione ſeparari.

Lib. 9. cõfeſ. cap. 13.

Ex quibus omnibus conſequitur, quòd quiſquis hoc ſacramento participaturus eſt, animum huc dirigere debeat, quò tali ſumptione Domino ſuo incorporetur, & ad hoc communicet cum omnibus fidelibus toto orbe diffuſus potius', quàm cum ſolis præſentibus, quorum fides fortaſſe ipſi eſt incognita. Quod cùm ita ſit, quo pacto aduerſarij noſtri dicere audent miſſæ ſacrificio eam diſſolui communitatem, qua omnes cohæremus in Chriſto Ieſu? Ecquis vnquam cùm ſacerdoti ſacrificanti ſe obtuliſſet, corpore & ſanguine Chriſti participaturus, repulſus eſt,

modò eũ prius pij deſiderij cõmonefecerit? Quòd ſi illos admittat ſacrificus ad ſacrificiũ participandũ, qui vbi ſedulò ſeipſi probauerint, ad altare Domini accedunt, nullúſq; excludatur: planè falſum eſt ſacerdotem ſibi vni reſeruare corpus & ſanguinem Dominicum, miſſámque ipſam, excommunicationem potius referre, quàm communitatem à Domino inſtitutam. At ſi charitas ita refrixit, vt nemo ſacræ menſæ propinquet, quò ſacramentum percipiat, an proptereа ſacerdos diuino ſuccenſus amore mortem Ieſu Chriſti annũciare non debet, eíque gratias agere, conſecratione, oblatione, & manducatione corporis Dominici? pręſertim cùm non deſint, qui ſpirituali ipſius oblationi aſſenſum præbeant, & per fidem ſpiritualiter in oratione, in laude Dei, in gratiarum actione cum eo communicẽt? vt interìm taceã quòd ſacerdos ipſe cum omnibus illis ſacramentaliter communicat, qui vbiuis locorum huius ſacramenti fiunt participes. Anne hoc dum facit, eccleſiæ fidelium cœnam denegat? A populóne Chriſtiano ſe ſegregat? Aduerte obſecro, vt homini, poſtquam in maledicentiam ſeſe effudit, & laxas linguæ ſuę habenas dedit, nec quid dicat nec quid agitet quicquam fit penſi, dum apud omnes acerbitatis ſuæ virus euomat, & efferatę rabiei faciat ſatis. Chriſtus liberum vnicuique permittit, vt quoties ſe ipſe probauerit, corporis & ſanguinis ſui participet ſacramentum: at ſophiſtæ tamen excommunicationem audent appellare, ſi quis charitate Dei flagrans velit quotidie in ſacramento manducare carnem Domini, & precioſum ſanguinem potare, qui ex eius latere effluxit, vbi nemo fortè ſatis probatus cum eo ſacramentũ participare audeat, tametſi videat ibi verã eſſe corporis & ſanguinis Dominici participationem. Optãdũ ſanè eſſet, vt quàm ſæpiſſimè populus fidelis conueniret ad participandũ corporis & ſanguinis Domini ſacramentum. Sed ſi cõuenit, nec tum ſatis eſt idoneus ad hãc cœleſtẽ diuinámque eſcam recipiẽdã, vtrũne ſacerdos ipſi offeret quàmlibet imparato & illotis accedenti pedibus? Nónne præcipit Apoſtolus vt probet ſe ipſum homo, & ſic de illo pane edat, & de poculo illo bibat, ne iudiciũ ſibiipſi edat & bibat, non diiudicato corpore Domini? Non igitur debet aut poteſt in ſacerdotem ſacrificantem culpa

transferri, ſi nemo ſacramentum accipiat, ſed in plebem potius refrigeratam miniméque paratam ad hoc cœleſte conuiuium. Quocirca miſſæ priuatæ (hoc eſt, in quibus, quia fideles deſunt qui accedant participes futuri panis in corpore Domini ſanctificati, ſacerdos ſolus ſumit & manducat ſacramentum) nec cum Chriſti inſtitutione ex diametro pugnant (vt impiè blaterant hæretici) nec ſacram eius cœnam vllo modo prophanant, cùm ſacerdos, qui hoc publico fungitur in eccleſia miniſterio, per fidem ſe (vti diximus) adiungat omnibus qui orbe toto diffuſi hoc ſacramentum accipiunt. Quòd ſi Chriſtus liberum vnicuique reliquit, vt ſacramentum corporis & ſanguinis Domini participet, quotieſcunque fide & charitate flagranti eò ſe impelli ſentiet: nónne maximæ temeritatis eſt in eo certum aliquid diffinire, quod ipſe Chriſtus non modò non definierit, ſed eorum qui facere velint, iudicio ſententiæque commiſerit definiendúmque reliquerit? Non vtique fidelis ac pius ſacerdos, charitate incenſus prohiberi debet, quia perfrigeat populus, & ad has cœleſtes epulas quaſi nauſeet, quo minus Domini mortem annunciet, ac pro tanto beneficio ei gratias agat accepto ſalutari poculo, Déique inuocato nomine. quod dum facit, quî iure dici poteſt ſe à populo ſegregare, vt ſuam victimam ſeorſim deuoret? Non vni ſibi recipit (vt paſſim ſatanæ miniſtri ſcelerata linguæ procacitate dictitant) Dominicam cœnam: quin ſemper paratus eſt eos ad communionem corporis & ſanguinis Chriſti admittere, qui poſtquam accuratius ſe probarint, ad ſacram menſam diuinúmque altare accedant, vt ſacrificij fiant participes. Iam ergo deſinant de re adeo ſalutari detrahere & obloqui, quaſi miſſæ priuatæ inſtitutioni Chriſti repugnent. Agere ſiquidem Chriſto gratias, laudéſque concinere, ob ipſius in nos beneficia, qui precioſo ſanguine nos redemerit, nunquam malum eſſe poteſt. Proinde fidelis oblatio ſacrifici, qui in perſona ac nomine totius eccleſiæ ſanctas puráſque affectu pio preces ad Deum fundit non pro iis tantùm qui præſto ſunt, ſed & pro iis qui abſunt, ſiue illi quidem nos anteceſſerint, ſiue poſthac naſci-

naſcituri ſint, nullo modo repudianda eſt aut explodenda: at quia in memoriam peragitur oblationis ſemel in cruce factæ, quotidie celebrari in vniuerſa Chriſti eccleſia debet.

Nunquam verò in more poſitum fuit, neque in Orientali neque in Occidentali eccleſia, vt quotquot ſacrificio miſſæ intereſſent, ad communicandum cogerentur, aut ab auſcultanda miſſa arcerentur: neque etiam, vt nulla miſſa ſine aliquibus, qui ſacramento participarent, celebraretur, vt ſacri omnium ætatum doctores teſtificantur. Quinimo ex ſcriptis multorum cognoſcimus aſsiduam communicationem duraſſe in Occidentali eccleſia diutius quàm in Orientali. Diuus Ambroſius teſtatur Græcorum plebeios ſua ætate ſemel tantùm toto anno conſueuiſſe communicare. Quod imitari volentes acerbè his verbis increpat: Si quotidianus (inquit) eſt cibus, cur poſt annum illum ſumis, quemadmodum Græci in Oriente facere conſueuerunt? Huic aſtipulatur Auguſtinus, vbi teſtatur Orientales non quotidie cœnam Dominicam participare. Volunt ambo doctores dicere, aliter ſua ætate in eccleſiis ſuis, aliter apud Orientales, de communione frequenti obſeruatum fuiſſe.

Li. 6. de ſac. cap. 4.

Libro 2. de ſerm. Domini in mõte.

Quod verùm teſtatur eſſe Chryſoſtomus, vbi ciues ſuos Conſtantinopolitanos increpat, quòd in Quadrageſima iudicarent, litigarent, iuramenta & periuria, vt in illis rebus fieri ſolet, committerent. Et ſequitur: Quomodo videbimus ſanctum Paſcha? Quomodo ſacrum ſuſcipiemus ſacrificium? Quomodo mirabilibus communicabimus myſteriis, lingua illa qua Dei legem conculcauerimus? &c.

Hom. 11 ad pop. Conſtant. circa finem.

Ad populum habet concionem, quem exhortatur, vt ſaltem ſe præparet ad communicandum pro conſuetudine in Paſcha. Quod expreſſius alicubi facit his verbis: Quidnam hoc eſt? plerique hac hoſtia ſemel toto anno participant, alij bis, alij ſæpe. Hæc igitur oratio ad omneis habetur, non ad eos ſolùm qui hîc adſunt, ſed ad eos etiam qui in eremo agunt. Illi enim ſemel toto anno ſacramento participant, ac forſan poſt 2. annos. Quid ergo? quos tandem recipiemus? Eóſne qui ſemel, an qui ſæpe, an

Chryſoſt. in cap. 10. epi. ad Hebr. hom. 17.

qui rarò accedunt? Eos quidem qui cum pura & munda conſcientia, eos qui mundo corde, eos denique qui cum vita inculpata veniunt. Ij qui tales ſunt, ſemper accedant: qui non ſunt huiuſmodi, ne ſemel quidem. Quid ita? Quia iudicium, damnationem, & ſupplicium ſibi accipiunt. Licèt autem plebis Conſtantinopolitanæ maxima pars non quotidie ſacrificio participaret, interdum fortaſſe nemo: non propterea tamen Chryſoſtomus aut presbyteri Conſtantinopolitani cauſam eſſe putarunt, quo minus ipſi quotidie ſacrificarent, miſsáſque celebrarent. Quod teſtatur, dum ait: Nónne per ſingulos dies offerimus? offerimus ſanè, &c. Similiter in epiſtola ad Epheſios meminit (vt antè diximus) quotidianæ oblationis.

Hom. 3.

Quòd ad Occidentalem eccleſiam attinet, veteres epiſcopi & ſancti doctores referunt ſe quotidie, aut ſaltem aliquot in hebdomada diebus, miſſam aut ſacrificium altaris celebraſſe, vt videre eſt apud Cyprianum, Ambroſium in caput tertium epiſtolæ ad Timotheum, & Auguſtinum epiſtola 23. ad Bonifacium, & in pſalmo 175. & de fide ad Petrum capite 19. In quibus locis ſatis demonſtratur Occidentalem eccleſiam in aſſiduæ & frequentis communicationis vſu diutius quàm Orientales perſeueraſſe. Id quod etiam ex epiſtola Hieronymi ad Lucinium manifeſtè patet, vbi dicit Romanas & Hiſpanas eccleſias quotidie communicare. Similiter in epiſtola ad Damaſcum, & ad Hedibiam quæſtione 2.

Cypr. lib. 4. epiſt. 9. ad Florēt. Pupiam.

Quanquam autem quotidie ſancti patres celebrabant, noluerunt tamen laicos præſentes ad communicationem compellere. Admonuerunt quidem eos: interim tamen quid ſentirent, ſimul aperiebant: ſe neque laudare, neque vituperare quotidianam Euchariſtiæ communionem: hortabantur tamen vt ſaltem Dominicis diebus communicarent, ſi mens ſine affectu peccandi eſſet: nam habentem adhuc voluntatem peccandi, grauari magis Euchariſtiæ perceptione, quàm purificari: quemadmodum videre eſt apud Auguſtinum libri de eccleſiæ dogmatis capite 53. Quinetiam alibi non cõuenit huic ſancto viro cum illis, qui putabant, quoties miſſa celebraretur, totum populum ſacramẽti participem fieri oportere. Verùm in hanc ſententiam conclu-

Auguſt. epiſt. 118. ad Ianuar. cap. 2. & 3.

concludit, vt vnuſquiſque pro ſuo arbitrio facere poſſit & debeat quod ſecundum fidem ſuam ſibi piè faciendum eſſe crediderit. Aliquis dixerit (inquit) non quotidie accipiendam Euchariſtiam: eligendi ſunt dies quibus purius homo continentiúſque viuit, quò ad tantum ſacramentum dignus accedat. Qui enim manducauerit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit. Alius verò contrà: Imò(inquit)ſi tanta eſt plaga peccati atque impetus morbi, vt medicamenta talia differenda ſint, authoritate antiſtitis debet quiſque ab altari remoueri ad agendam pœnitentiam, & eadem authoritate reconciliari. Cæterùm ſi peccata tanta non ſunt, vt excommunicandus homo quiſquam iudicetur, non ſe debet à quotidiana medicina Dominici corporis ſeparare. At neutrius ſententia Auguſtino probatur: vnde media via incedens, hanc de iis cenſuram promit. Rectius (ait) inter eos quiſquam dirimit litem, qui monet vt præcipuè in Chriſti pace permaneant: faciat autem vnuſquiſque quod ſecundum fidem ſuam piè credit eſſe faciendum. Neuter enim eorum dedecorat corpus & ſanguinem Domini; ſaluberrimum ſacramentum certatim honorare contendunt. Neque enim litigauerunt inter ſe, aut quiſquam eorum ſe alteri præpoſuit Zachæus & ille Centurio: cùm alter eorum gaudens in ſuam domum ſuſcepit Dominum: alter dixit: Non ſuum dignus vt intres ſub tectum meum: Ambo ſaluatorem honorificantes, diuerſo & quaſi contrario modo: ambo peccatis miſeri: ambo miſericordiam conſecuti. Atque hic dicit beatus Auguſtinus, valere ſimilitudinem illam in manna quod in illo populo vnicuique ſecundum propriam voluntatem ſapiebat: ſic & in honore cuiuſque Chriſtiani ſacramentum illud quomodo ſumatur, æſtimandum eſt: nam & ille honorando non audet quotidie ſumere, & ille honorando non audet vllo die prætermittere. Contemptum ſolùm non vult cibus ille, ſicut nec manna faſtidium. Hactenus Auguſtinus, ex quibus verbis intelligi poteſt, quòd licèt vetus Latinorum eccleſia quotidie ſacrificauerit, miſsáſque celebrauerit, quibus haud dubiè populus, illi præſertim, qui nullis publicis criminibus infames erant, præſentes fuerunt: non adegit tamen præſentem po

pulum ad quotidianam ſacramenti communicationem, ſed idipſum vniuſcuiuſque conſcientiæ liberum permiſit. Quid, quòd ſanctus ille Sother, qui anno circiter 166. vixit, cùm ſtatueret, vt nullus ſacerdos miſſarum ſolennia celebrare præſumat, niſi duobus ad minimum præſentibus, ipſique reſpondentibus, dum dicit, Dominus vobiſcum, &, Orate pro me: non exigit vt vniuerſus populus neceſſariò adſit, ac multo minus vt omnes ſemper communicent, quod ne ab iis quidem duobus, quos vult eſſe præſentes, videtur exigere. Præterea idem teſtatur quoſdam etiam ſua ætate in die cœnæ Dominicæ perceptionem Eucharistiæ neglexiſſe, quo die æquum certè erat omneis Chriſtiani nominis communicare, niſi qui grauioribus criminibus impliciti cohiberentur. Hinc conijcere licet quid aliis diebus communibus ea tempeſtate fecerit populus.

De conſecr. diſt. 1. can. Hoc quoq; ſtatutum eſt

Sed nónne ſanctus Fabianus martyr & pontifex, qui Apoſtolicæ ſedi anno circiter 240. inſidebat, conſtituit vt ſi non frequentius, ſaltem ter homines Chriſtiani toto anno communicent (niſi forte quis maioribus quibuſdam criminibus impediatur) in Paſcha videlicet, Pentecoſte, & Natali Domini? Quod idem, Syluestri papæ tempore anno Domini circiter 314. ſancitum fuit in concilio Elibertino, adeò vt is Chriſtianus minimè haberetur, qui tribus his temporibus Paſcha, Pentecoſte, & Natali Domini, non communicaret. Atque hæc ipſa conſtitutio, tanquam vetus, in Agathenſi concilio renouata eſt, vbi nihil prætereà à laicis exigitur, quàm vt miſſas die Dominico totas audiant, nec ante benedictionem ſacerdotis egredi præſumant. Hoc etiam ipſum in Aurelianenſi concilio ſtatuitur, vt intelligi poteſt ex canone, Cùm ad celebrandas miſſas. Ex quibus omnibus perſpicuum fit & manifeſtum non poſſe doceri ex veteris eccleſiæ conſuetudine, miſſam non eſſe celebrandam, niſi præſente toto populo & communicante. Cur autem, obſecro, probi & pij Chriſtiani, nullis data opera ſceleribus admiſſis obnoxij, arceantur à miſſa? Quare non liceat talibus manere in ſacro officio, vt corpore & ſanguine Chriſti præſente, tanto attentius Dominicæ paſſionis habeant memoriam ad agendum Deo gratias, ad orandum, & pro ſua totiusq; mundi ſalute ſupplican

De conſecr. diſt. 2. can. Etſi non frequentius.

De conſecr. diſt. 2. can. Oīs homo.

De cōſ. diſt. 2. ca. Seculares.

De conſecr. diſt. 1. can. Miſſas.

De conſecr. diſt. 1.

ſupplicandum, ad audiendum item lectiones ſacras, in ædificationem fidei & charitatis ſuæ? Licèt tales non ſemper tremenda illa myſteria (vt Chryſoſtomus loquitur) conſcientiæ metu conterriti, recipere audeant. Cur enim intereſſe nequeant, vt dicant cum centurione: Domine non ſum dignus vt intres ſub tectum meum: Et cum Petro: Recede à me, Domine, quia homo peccator ſum? Et cum publicano ſtare procul, tundere pectus, & dicere: Deus propitius eſto mihi peccatori? *Mat.* 8. *Luc.* 5. *Luc.* 18.

DOROTHEA.

Cur ergo ſtatuit Anacletus Papa (qui florebat anno circiter 102.) vt per acta conſecratione omnes cõmunicent, qui noluerint eccleſiaſticis carere liminibus?

THEOPHILVS.

Epiſtolam Anacleti ſi diligenter inſpicias, ex qua quidẽ excerptum eſt quod attuliſti, eum nequaquam velle comperies, laicos omneis in miſſa præſentes, neceſſariò ſacramenti debere participes fieri. Eius hæc verba ſunt: Sacerdotes quando Domino ſacrificant, non ſoli hoc agere debent, ſed teſtes ſecum adhibeant, vt Domino perfectè in ſacratis Deo locis ſacrificare probẽtur, iuxta illud Deuteronomij: Vide ne offeras holocauſta in omni loco, quẽ videris, ſed in loco quem elegit dominus Deus tuus. Epiſcopus Deo ſacrificans, teſtes ſecum habeat, & plures quàm alius ſacerdos. In ſolenniotibus quippe diebus, aut ſeptem, aut quinque, aut tres diaconos, qui eius oculi dicuntur, & ſubdiaconos ac reliquos miniſtros ſecum habeat, qui ſacris induti veſtimẽtis, in frõte & à tergo, & presbyteri è regione dextra læuáq;, cõtrito corde & humiliato ſpiritu, ac prono ſtẽt vultu, cuſtodiẽtes eũ à maleuolis hominibus, & cõſenſũ prębeãt eius ſacrificio: peractaautẽ cõſecratione omnes cõmunicent, qui noluerint eccleſiaſticis carere liminibus. Sic Apoſtoli ſtatuerunt, & ſancta Romana tenet eccleſia. Quod profectò non ad alios quã ad ſacerdotes, diaconos, ſubdiaconos, & alios eccleſię miniſtros, qui ſolẽnibus diebus ſacrificio intereſſe debẽt, referri poteſt. Nulla enim fit ibidẽ expreſſa laicorũ mẽtio. Ad verũ autẽ hu' loci intellectum nõ parũ cõducit nouus Apoſtolorũ canõ, quem ſuprà adduximus, cùm hunc Malachię locum explanaremus: *Deut.* 12. *Malach.* 1

Non eſt mihi voluntas,&c. Vult enim omneis eccleſiaſtici ordinis,oblationis factę participes eſſe:alioqui priuari cõmunione,ſi nulla iuſta ſit cauſa, quamobrem à ſacramenti participatione abſtinuerint. Cuius rei talis in eodem canone datur ratio: Ne videlicet clerici à cõmunione abſtinentes plebi ſint offendiculo, iniiciãtque ſuſpicionem in eum qui ſacrificauerit, quaſi non ritè peracta oblatione.

DOROTHEA.

Sed quid tandem ais de decimo eorundem Apoſtolorũ canone,qui ita habet: Omnes introeuntes fideles, & ſcripturas audientes, non permanentes autem in oratione & ſancta communione,velut perturbationem inſtituentęs in eccleſia,ſeparari oportet?

THEOPHILVS.

De conſec. diſt. 1 can. Omnes fideles.

Canon ille non loquitur de oblatione quotidiana, ſed de ea quæ in ſacris ſolennitatibus (cuiuſmodi ſunt,quas Elibertinum concilium expreſsit) in eccleſia peragitur: vultque eos,qui non permaneãt in oratione per hoſce dies vnà cum aliis,dum miſſa finiatur, nec ſãctam communionem percipiant, à conſortio fidelium ſegregari, tanquam inquietudinem mouentes in eccleſia. Quod idem ſecundo canone Antiocheni concilij dilucidè explicatur his verbis: Omnes qui eccleſiam Dei ingrediuntur, ſcripturaſque ſacras audiunt, nec communicant in oratione cum populo, ſed per quandam perturbationem atque petulantiam, Dominici ſacramenti ſumptionem auerſantur & faſtidiunt, eiiciantur de eccleſia,donec confeſſi & fructus pœnitentiæ demonſtrantes,precibus veniam conſequantur. Iámne vides,licèt in Apoſtolorum eccleſia fideles ſimul in oratione permanerent,ac ſanctæ communionis fierent participes in ſolennitatibus ſacris: tempore verò Anacleti,miniſtri, qui epiſcopo ſacrificanti aſsiſtebant,ad participandum corpus Dominicum ſolennibus iis diebus adigerentur: nunquam tamen publica fuiſſe receptum conſuetudine, vt cuilibet miſſę tota Chriſtianorum communitas & cõſociatio intereſſet,aut quotquot præſto eſſent, ad cõmunicandum compellerẽtur? Alioqui ſacerdotes & epiſcopi multo rarius per miſſu plebis ſacrificium iſtud obtuliſſent, quod tamen ab ipſis quotidie legimus oblatum.

DOROTHEA.

Totum ſuperiorem locum preclarè enucleaſti:iam venio ad ea quæ contra adorationem ſacroſanctæ Eucharistiæ adferũt catholicæ veritatis hoſtes. Idololatriã eſſe contendunt, quòd panem in ſuis miſsis ſacerdotes oſtendunt pro Christo adorandum, eamq́ue peruerſitatem veteri eccleſiæ incognitam fuiſſe, & abuſum eo tempore obrepſiſſe, quo omnia in eccleſia corrupta, in peius ruerant: atque adeò Nicenam ſynodum ite obuiam voluiſſe ſuperſtitioſo illi cultui, quo ſeſe homines coram pane proſternunt, vt Chriſtum illic adorent, dum vetuit nos humiliter attentos eſſe ad propoſita ſymbola: nec alia cauſa inſtitutum olim fuiſſe, vt ante conſecrationem populus alta voce admoneretur, habere ſurſum corda: ipſam quoque ſcripturam, præterquàm quòd Chriſti aſcenſionem diligenter nobis enarrat, qua corporis ſui præſentiam à conſpectu noſtro conſuetudinéque ſubduxit, quò nobis omnem de eo carnalem cogitationem excutiat, quoties ipſius meminit, iubere vt mẽtibus ſurſum erigamur, & ipſum in cœlo quæramus ſedentem in patris dextera.

THEOPHILVS.

Eſſet profectò idololatria, ſiquis dona pro datore ipſo coleret, honoremq́ue Deo raptum ad creaturam traduceret: ſed id minimè facit, qui in ſpiritu & veritate Chriſtũ in ſacramento præſentem adorat, honoratq́ue, nón quod videt, ſed quod credit, quæ hoſtia eſt pro peccatis, ſub viſibili latens ſpecie. Nam in Euchariſtia, noſtra dirigitur adoratio ad Chriſti Ieſu diuinam ſpiritualemq́ue carnem, quæ in myſterio continetur: neque hæret in viſibilibus creaturis, ſub quibus diuinum corpus verè adeſt. Nec verò eleuat eam ſacerdos in miſſa, vt quod aſpectabile eſt, ipſa nimirũ panis ſpecies, adoretur: ſed vt ſacramentum quod in vſum futurę communionis paratum eſt, ab omnibus adoratione agnoſcatur. Quòd ſi quis dicat ſe vidiſſe factorem ſuum in miſſa, hoc ideò dicit, quia ſenſus in obſequiũ fidei redegit, & quod eſt corporis, tranſtulit ad animum. Quod ad Nicenam ſynodum attinet, non vult illa quidem fideles in æſtimando Euchariſtiæ ſacramento fidere ſenſibus: ſed eos docet Chriſtum verè præſentem credere, quod ſenſus neſciũt.

Quòd autẽ prohibet, ne Chriſtiani animi intendant aciem cum deiectione, in ſigna aſpectabilia, oſtendere vult noſtrã Eucharistiæ adorationem ad Chriſtum inuiſibiliter præſentem penetrare debere, non autẽ in viſibili hærere creatura, quæ minimè debet adorari, etſi externus adorantis corpus Dominicũ geſtus & habitus ad viſibilia ſymbola dirigitur, propter id quod continetur in myſterio, quia Chriſti caro ibi non adeſt in propria & viſibili ſpecie. Quòd eccleſia monet ante conſecrationem vt populus ſurſum habeat corda, id eo facit, vt nos ab omni carnali cogitatione longius abducat, quò vnum Deum mente agitantes oremus vero cordis affectu. Neque verò ſcriptura, dum aſcenſionem Chriſti paſſim auribus & animis noſtris inculcat, vllo modo aduerſatur diuini corporis adorationi, quod verè præſens in hoc myſterio ſub viſibilibus panis & vini ſpeciebus exhibet, vt interim maieſtatis ſuæ ſedem, vbi dexter aſsidet patri, non deſerat. Nam in cœlo eſſe, & eſſe in ſacramento, ſe ipſa contradictione non perimunt, vt aientia & negantia: ſed ſolo exiſtendi modo diſtinguũtur. Itaque alterius conceſsione, alterum negare haud eſt neceſſe, quin vtrumque ſimul conſiſtit, & eodem temporis momento verum eſt. Sed de his hactenus. Iam venio ad id quod aiunt, nullam iſtius adorationis in ſcriptura fieri mentionem, quæ tamen non fuiſſet prætermiſſa, ſi Deo accepta foret: atque puriori eccleſiæ quod factitamus prorſus incognitum fuiſſe. Iam primùm negare illi non poſſunt nos ſcriptura clariſsima doceri, Deum eſſe adorandum. Quòd ſi Chriſtus, Deus & homo, cùm in terris verſaretur, adorationem ſibi exhibitam minimè reſpuit: éſtne veriſimile eum nunc inuiſibiliter in ſacramẽto præſentem auerſari ac reiicere honorem à fidelibus ſibi exhibitum, cùm certiſsimum ſit adorationem ipſi, vt Deo omnipotenti, deberi? Quòd autem vetus eccleſia hãc adorationem vſurpauerit, facile eſt ex patrum ſcriptis oſtendere. Prodeat ergo S. Alexander pontifex & martyr, qui anno viuebat 119. Crimina (inquit) atque peccata, oblatis his Domino ſacrificiis delentur: idcirco & paſsio eius in his commemoranda eſt, qua redempti ſumus, & ſæpius recitanda, atque hæc Domino offerenda. Talibus

hoſt*iis*

hoſtiis delectabitur & placabitur Dominus, & peccata dimittet ingentia. Nihil enim in ſacrificiis maius eſſe poteſt, quàm corpus & ſanguis Chriſti, nec vlla oblatio hac potior eſt, ſed hæc omnes præcellit, & pura mente ſumenda, atque ab omnibus veneranda: & ſicut potior eſt cæteris, ita potius excoli & venerari debet. Emiſſenus etiam loquitur, vt ſuprà oſtendimus, de iugi cultu per myſterium (quod ſacramentum altaris appellat Auguſtinus) Chriſtumque inſtituiſſe dicit, vt coleretur. Quare accedentes ad altare hortatur, vt reſpiciant corpus Dei ſui, honorent & mirentur. Nanzianzenus quoque præclarum huius rei dat teſtimonium: Quid igitur (inquit) magna & maximis digna præmiis anima faciebat, & quodnam aduerſus infirmitatem remedium habebat. Iam enim occultum proditur: quum iam de omnibus aliis deſperaſſet, ad omnium confugit medicum, noctiſque captata ſolitudine, quum illi morbus paruas conceſsit inducias, ante altare cum fide procubuit, ac illum quem ſuper altare venerabatur, magna voce ac omni conamine inuocauit, eique miracula cuncta quæ olim fecerat, in memoriam reduxit. Nónne ex iis Gregorij verbis liquet tum obſeruatum fuiſſe, vt Chriſtus ſuper altare coleretur? Ad Ambroſium veniamus. Itaque per ſcabellum (ait) terra intelligatur: per terram autem caro Chriſti, quam hodie quoque in myſteriis adoramus, & quam Apoſtoli in Domino Ieſu, vt ſuprà diximus, adorarunt, neque enim diuiſus Chriſtus, ſed vnus. Hæc Ambroſius qui de adoratione apertè loquitur, τὸ in myſteriis, addens, ne de Chriſti in cœlo adoratione, eum quis locutum eſſe exiſtimet. Ambroſium imitatur Auguſtinus eundem Dauidis locum explicans: hunc enim in modum ſcribit: Conuerto me ad Chriſtum: quia ipſum quæro hîc, & inuenio quomodo ſine impietate adoretur terra, ſine impietate adoretur ſcabellum pedum eius. Suſcepit enim de terra terram: quia caro de terra eſt, & de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipſa carne hîc ambulauit, & ipſam carnem nobis manducandam ad ſalutem dedit: nemo autem carnem illam manducat, niſi prius adorauerit,

Emiſſenus ſer. de corp. & ſãg. Domini.

In epitaphio Gorgoniæ ſororis.

Ambroſius de ſpir. ſancto, lib. 3. cap. 12.

In pſal. 98

Inuentum eſt quemadmodum adoretur tale ſcabellum pedum Domini:& non ſolùm non peccemus adorando, ſed peccemus non adorando. An non his verbis Auguſtinus ſolitos docet fuiſſe tunc fideles, Chriſti carnem in ſacramento adorare? Quamobrem idem alibi ſic ſcribit: Neque enim fruſtra ita diſtincti ſunt, vt de pauperibus ſuprà diceretur: edent pauperes & ſaturabuntur. Hîc verò manducauerunt & adorauerunt omnes diuites terræ. Et ipſi quippe adducti ſunt ad menſam Chriſti, & accipiunt de corpore & ſanguine eius, ſed adorant tantùm, nõ etiam ſaturantur, quoniam non imitantur. Manducãtes enim pauperem dedignantur eſſe pauperes, quia Chriſtus pro nobis paſſus, relinquẽs nobis exemplum vt ſequamur veſtigia eius. His verbis nominatim adorationis Chriſti in ſacramento meminit, & veræ ipſius præſentiæ, quum fateatur pauperem manducari, ſignificans Chriſtum: vt ex iis intelligi poteſt quæ alibi ſcribit: Manducauerunt & adorauerunt omnes diuites terre. Manducauerunt corpus humilitatis Domini ſui etiam diuites terræ, nec ſicut pauperes ſaturati ſunt, vſque ad imitationem, ſed tamen adorauerunt. Hæc Auguſtinus de Chriſti in ſacramento adoratione, cuius verbis conſonat, quod ſcribit Chryſoſtomus, conferens Chriſti præſentiam in myſterio cum præſentia corporis Chriſti in præſepio, vt populum Magorum barbarorum exẽplo excitet ad adorationem. Hoc corpus (inquit) in præſepi reuer iti ſunt Magi, & viri impij & barbari, longo itinere cõfecto cum timore & tremore plurimo adorauerunt. Imitemur igitur barbaros, ſaltem nos qui cœlorum ciues ſumus. Quòd autem loquatur de corpore Chriſti, verba quæ ſequuntur, apertè indicant. Magi, inquit, quod id præſepe & tugurium tãtùm (neque enim eorum quicquam, quæ tu nunc intueris viderunt) ſumma acceſſerunt reuerentia & horrore: tu verò non in præſepi id, ſed in altari, non mulierem quæ in vlnis teneat, ſed ſacerdotem præſentem & ſpiritum perabundè ſuper propoſito diffuſum ſacrificio vides, nec ſimplex, vt illi corpus intueris, ſed & eius potentiam & omnem cognoſcis adminiſtrationem, & nihil eorũ quæ per ipſum facta ſunt ignoras, & diligenter initiatus es in omnibus. Excitemur horreſcamusque, & maiorẽ quàm barbari

Auguſt. ad Honoratum, epiſt. 120.

In pſal. 21.

Chryſoſt. in epiſt. 1. Cor. 10. hom. 24.

barbari illi præ nobis feramus pietatem. Hactenus Chryſoſtomus, qui alio quodam in loco, paulò clarius de hac adoratione verba facit, oſtendens quid ore etiam dicant adorãtes. Ita enim ſcribit: Qui ſuprà vnà cum patre ſedes, & hîc vnà nobiſcum inuiſibiliter verſaris, dignare potenti manu tua nobis impertiri impollutum corpus tuum & precioſum ſanguinem, & per nos toti populo. Deinde ſacerdos adorat, & diaconus in eo in quo eſt loco, ter ſecretò dicentes: Deus propitius eſto mihi peccatori: & populus ſimiliter, omnes cum pietate & reuerentia adorant. Omitto breuitatis cauſa, quæ in eandem ſententiam Ioannes Damaſcenus, Theophylactus in epiſtolã ad Hebræos, & diuus Bernardus ſcribunt. Omnes certè luculentiſsimè, vt & qui eos ſequuti ſunt doctores, huius adorationis meminerunt.

Chryſoſt. in Liturgia.

Damaſc. Lib. 4. orth. fid. cap. 14.

DOROTHEA.

Iam ambigere nullo modo poſſum, quin hæc Chriſti in ſacramento adoratio, longè Deo ſit gratiſsima. Nunc ſingulas partes perſequere celebrationis ſacrificij, in quo & idem corpus ex Domini mandato conſecratur & offertur Deo, in memoriam mortis & paſsionis Chriſti. Satis enim ſuperque hactenus audiui quibus rationibus & teſtimoniis nixum ſubſiſtat.

THEOPHILVS.

Vbi ſacerdos, & qui ſacrificio intereſſe volunt fideles, de peccatis confeſsi ſunt, pſalmodia principem ſibi locum vendicat (nos miſſæ introitum appellamus:) ea autem Dei laudatio eſt è pſalmis Dauidicis excepta. Pòſt deinde ſacerdos Deo ſupplicat cum glorioſa celebratione ſanctiſsimæ trinitatis, canticis κύριε ἐλέησον, & Gloria in excelſis Deo. Secundum ea cãtica, collecta eſt ſeu precatio, qua ſacerdos pro populo Deum orat, vt dignus ſit tantis myſteriis. Et quoniam conuenimus ad participandum corpus Domini, ſi non ſemper ſacramentaliter exteriori participatione, ſaltem ſpiritualiter per fidem, communicando ſacris precibus, laudibus, & actionibus gratiarum: idcirco ſacerdos, qui publicũ hoc obit eccleſiæ miniſteriũ, animos noſtros viuo Dei verbo præparat, quod partim ex prophetica ſeu Apoſtolica depromitur ſcriptura (atque hoc appellamus Epiſtolam) partim ex Euangelica lectione, quod Euange-

lium vocamus. Inter has autem lectiones cantica quædam laudis interſerūtur, quæ Graduale, Alleluia, & Proſam vulgus nominat. Euangelio recitato annectitur ſacroſanctæ fidei noſtrę profeſsio: id ſymbolum Niceni cōcilij dicitur. Statim pòſt auditur Canticum, quod non ſine myſterio Offertorium appellatum eſt, quo quidem eorum lætitia ſignificatur, qui ſua Deo munera & dona offerunt. Mox ad huius myſtici ſacrificij celebrationē ſe accingit ſacerdos, progrediensque ad potiſsimam miſſæ partem (in qua verbis Dominicis corpus & ſanguis Domini conſecrantur) accepto in manus pane & calice gratiarum actionem (quā præfationem dicimus) ſimul & hymnum illum Angelicum planeque diuinum, ex Eſaia & Matthæo deſumptum, Deo concinit (incipit autem ſic: Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus ſabaoth.) Dominum quidē in hoc imitās, qui accepto pane, gratias agens, benedixit & fregit. His ita præmiſsis ad ſacerrimum canonem progreditur, cuius (vt antè diximus) præcipua pars hæc eſt, in qua corpus & ſanguis Domini conſecrantur. Interim tamen eccleſia, quia ſacrificium illud in cruce pro viuis & mortuis in remiſsionem peccatorum oblatum, ex Chriſti inſtitutione recolit, inſequens Dominum ſuum, varias petitiones, preces, ſupplicationesque ad Deum fundit. In primis obſequiū ſuum, quod ex iuſſu Chriſti obit, acceptum haberi petit. Dein ordine quodam Dominum deprecatur. Primùm pro vnitate ſanctæ ac catholicæ eccleſiæ generatim orat: pòſt pro his qui publicam alios regendi ac gubernandi adminiſtrationem ſpiritualem vel ciuilem gerunt: pòſt obſecrationem pro ciuili magiſtratu & eccleſiæ antiſtitibus: pro quibuſdā etiam ſpecialiter orat, maximè pro his qui circunſtant, fideque ac pio affectu ſacerdoti in actione communicant. Et quia nō dubium eſt, nos curæ eſſe ſanctis, qui cum Deo viuunt, illisque ſua eſſe merita & preces, quibus pro nobis apud Deum ſunt ſolliciti, quemadmodum vnius eiuſdémque corporis membra, alia pro aliis ſollicita ſunt, orat ſacerdos vt Deus id precibus ſanctorum concedat, non vt illorum, ſed vt diuinæ protectionis auxilio in omnibus muniamur, idque per Chriſtum dominum noſtrum. Deinde ad conſecrationem corporis & ſanguinis Dominici proceſſurus

Eſai. 6. *Mat. 21.*

Canon hinc appellatus eſt, quòd eſſet quaſi regula quædam, qua duce ad ſolennia ſacrificij verba veniretur.

proceſſurus fidem antegrediente oratione acuit,qua inter alia oblationem ſeruitutis ſuæ,atque adeò cunctæ eccleſiæ acceptum haberi, & vt nobis corpus & ſanguis Domini noſtri Ieſu Chriſti,virtute diuini ſermonis(quem ſacerdos profert) fiat, precatur. Accepta quidem ſemper eſt patri hoſtia,quam in altari repræſentamus, quod ad ſe attinet: Ea enim ſola patri complacuit. Sed quod ad nos attinet, oblationem ſeruitutis noſtræ acceptam fieri petimus, ne indignè contrectemus, offeramus,ac manducemus, vtque nobis virtus paſsionis Chriſti,fide manducantibus applicetur. Sequitur deinde corporis & ſanguinis Domini conſecratio,in qua ſanctiſsimi huius ſacramenti inſtitutio, & paſsionis Dominicæ vis & efficacia commemorantur ac prædicantur: quam comitatur oblatio huius ſacrificij repræſentatiua, quòd in memoriam Chriſti Domini Dei noſtri,& tam beatæ paſsionis,nec non ab inferis reſurrectionis,& in cœlos glorioſæ aſcenſionis, diuinæ maieſtati offerimus de ſuis donis ac datis. Cui annectitur ſupplex deprecatio ad Deum,qua petimus,vt participemus corpus & ſanguinem Dominicum, non ad iudicium ſeu condemnationem,ſed potius vt tali participatione, per Chriſtum Dominum noſtrum, gratia cœleſti repleamur. Deinde commendamus Domino defunctorum animas,ſed eorum tantùm,qui nos præceſſerunt cum ſigno fidei,& dormiunt in ſomno pacis. Signa fidei ſacramēta ſunt, & opera Chriſtiano homine digna. Obdormiunt autem in ſomno pacis,qui in pace conſcientiæ erga Deum cum certa fiducia remiſsionis peccatorum lethalium è viuis exceſſerunt,certiſsimè credentes, quòd ſanguis ille precioſus, qui pro multis effuſus eſt in remiſsionem peccatorum, non ſolùm ad ſalutem viuentium, verùm etiam ad abſolutionem valeat mortuorum: quódque pietas viuentium his defunctis proſit,qui cùm viuerent,hæc ſibi,vt poſteà poſſent prodeſſe, meruerunt. Nam ſi hoc ſanctorum communio (quam nos credere profitemur) ſignificat,in illo ſanctorū cœtu omnia cōmunia eſſe, neq; quicquā propriū quenquā habere, omneſque omnium aliorum pias precationes,ac omnia pia opera aliis eiuſdem corporis mēbris prodeſſe, certè ſancta & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exora-

re, vt à peccatis ſoluantur. Eam autem orationem pro defunctis maximè efficacem eſſe par eſt, quæ ſacrificio altaris coniuncta eſt. Poſt orationem pro defunctis, poſtulatur & pro viuis, de multitudine miſerationum Domini ſperātibus conſortium cum ſanctis, iam cum Chriſto regnantibus, idque per eundem Chriſtū Dominum noſtrum. Qui ſtatim pôſt, tanquam Dei & hominum mediator, prædicatur omnium horum bonorum author & elargitor, atque huius ſacrificij inſtitutor, confector, & applicator. Iam ſacerdos progredi incipiat ad participationem diuiniſsimi ſacramenti, ad quam vt rectè præparemur, hortatur alta voce omneis ad orationem Dominicam dicendam, in qua inter alia panem hunc ſupercœleſtem nobis dari petamus: in cuius calce ſubnectitur oratio, qua vltima Dominicæ orationis precatio magis explicatur. Et quia Chriſtus in menſa ſua myſterium vnitatis & pacis nobis conſecrauit, ſequitur pacis Domini imprecatio. Pax verò Domini, non quæuis pax eſt, ſed ipſa cordis tranquillitas, quæ ſolis reconciliatis per fidem, ipſa remiſsione peccatorum contingit. Iam quia remiſsio peccatorum, niſi per Dei miſericordiam nobis in Chriſto propoſitā (quæ fidei obiectum eſt) omnino haberi non poteſt: idcirco ad agnum illum Dei conuertimur, qui ſolus tollit peccata mundi, cuius miſericordiam imploramus, & demum pacem eam, quam diximus, nobis dari petimus. At præter hanc pacem, quam per fidem habemus erga Deum, alia quoque Domini pax eſt, hominis videlicet erga ſeipſum, quę ex priori proficiſcitur, & per ſpiritum ſanctum, mortificantem ſubinde concupiſcentiam noſtram, ne dominetur rurſus peccatum in noſtro mortali corpore, ingeneratur. Denique pax Domini eſt charitas fraterna, qua ex animo remittimus proximo quæ in nos commiſit, veramque & Chriſtianam cōcordiam cū eo habere per charitatem ſtudemus. Hæc quoque ſimul cum charitate diffunditur in corda noſtra per ſpiritum ſanctum, qui datus eſt nobis. Extra hanc triplicem pacem Domini, quam ipſe abiens nobis reliquit ac dedit, non eſt vlla vera pax. Nō eſt pax impiis, dicit Dominus. Triplicem ergo hanc Domini pacem ſacerdos petit, priorē in ſupplicatione ter repetita, quæ incipit, Agnus Dei: Alteram in ea

2. Mach. 12. *Eſai. 48.*

quæ

quæ incipit, Domine Ieſu: tertiam omneis habere iubet, vt apti ſint ſacroſanctis myſteriis Chriſti, ac ſic tandem oſculum pacis ſumit Chriſtianæ charitatis ſymbolum. Frangitur interim hoſtia ſalutaris, quæ quidem fractio in ſpecie tantùm panis fit, quæ poſt conſecrationem remanet ſine ſubiecto: Chriſtus verò integer manet & totus in ſingulis particulis. Fit autem hoc in ſigno ſeu ſacramento, nõ ſine inſigni myſterio. Significat enim & repræſentat Chriſti paſsionem, quódque corpus Chriſti pro multis datum, & à multis participandum ſit, quemadmodum diuus Paulus ait: Panis quem frangimus, nónne communicatio corporis Chriſti eſt? Per partes itaque (vt iam diximus) manducatur in ſigno, ſed manet integer, totus in ſubſtantia: manet integer, totus in corde noſtro. Poſt hæc ſe ad cõmunionem parat, orationes aliquot ad Chriſtum fundens, quibus hoc agit, vt & cordis ad Deum excitet affectum, & gratiam dignè ſumendi vitæ panem impetret. Deinde ſumit ſacramentum, poſt ſumptionem iterum orat, vt quod ſumptum eſt corporaliter ſub ſacramento, ſpiritualiter etiã cum participatione virtutis & effectus ſacramenti percipiatur. Rurſus ſacra cantio (quod commune vocamus) ſuccinitur. Sequitur precatio. Poſtremo loco ſacerdos totum populum velut in ſuam tutelam receptum Deo benedictione tradit atque commendat, vt perſeueret in affectu pietatis mutuaque charitate. Quæ omnia ſic agit ac precatur ſacerdos, vt interim nihil ſibi aut ſuis meritis aut operibus tribuat, ſed cuncta præſtari depoſcat ex diuinæ miſericordiæ magnitudine, per Chriſtum Dominum noſtrum, per quem vbique optat fructum paſsionis nobis per fidem applicari, & cætera quæ petuntur, tanquam per mediatorem donari. *1. Cor. 10.*

Quid in hoc toto miſſæ contextu non eſt pium, venerandum ac ſacroſanctum? Certè omnino fateri neceſſe eſt, in eccleſia vix vllum opus eſſe, quo fides magis exerceatur, & beneficium Chriſti illuſtretur, quàm quod in miſſa peragitur, ſi tamen quod agitur, rectè intelligatur, & pio affectu geratur. In primis ſiquidem hîc eſt neceſſe captiuum habere intellectum in obſequium Chriſti, vt ſub viſibilibus panis & vini ſpeciebus ex omnipotentia verbi Dei

contineri credamus verum corpus & ſanguinem Chriſti: atque adeò hîc nos fallente ſenſu, ad firmandum cor ſyncerum ſola fides ſufficit. Præterea principalis finis inſtitutiouis huius ſacramenti, eſt vt ſit teſtimonium & quaſi pignus remiſsionis peccatorum, & futuræ gloriæ nobis per Chriſtum promeritæ. Quum enim Chriſtus nobis corpus ſuum impertit, & nos ſibi tanquam membra adiungit, teſtatur ad nos beneficium ſuum pertinere. Sic enim ait:

Ioan.6. Qui manducat carnem meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet & ego in eo. Quid ergo magis acuit fidem quàm cùm hoc ſpectaculum oculis atque animo obiicitur? Adde miſſam totam huc ſpectare, vt in ea Chriſti beneficium annuncietur, prędicetur, illuſtretur, ac modis omnibus honorificetur. Et quis dubitat Chriſtum per vſum miſſæ, veluti per inſtrumentum (ſaltem quum fides iis accedit, quæ in ea geri videmus) conſolari & viuificare conſcientiam noſtram? Deinde ſi annunciatio & prædicatio mortis Dominicæ (in qua potiſsima Euangelij pars conſiſtit) ſi inuocatio, gratiarum actio, & confeſsio, præcipua fidei opera ſunt, & pręcipui cultus ac opera Deo placentia, atque adeò ſacrificia ſpiritualia nouæ legis, quibus Deus ſibi honorem haberi pronunciat, ipſo teſtante qui ait: Hoc

1. Cor.11. facite in mei commemorationem: item, Mortem Domini

Pſal.49. annunciabitis donec veniat: &, Immola Deo ſacrificium laudis, & redde altiſsimo vota tua: & iterum, Inuoca me in die tribulationis, & honorificabis me: profectò cõſequens eſt, miſſam quàm maximè opus fidei eſſe, & Deo placere, quòd tota illa actio conſtet annũciatione Dominicę mortis, inuocatione, petitione, obſecratione, gratiarum actione, confeſsione, & ſimilibus fidei exercitiis.

DOROTHEA.

Non paucioribus tota hæc actio partibus comprehendi poteſt?

THEOPHILVS.

Ad quatuor præcipuas reduci poteſt, nimirum doctrinam, conſecrationem cum gratiarum actione factam ſuper pane & vino, tanquam ſacrificio Domini, perceptionem ſacramenti, & orationem pro omnibus fidelibus.

DORO-

DOROTHEA.

Nihílne inter has quatuor parteis eſt diſcriminis?

THEOPHILVS.

Plurimùm ſanè. Nam doctrina & perceptio ſacramenti his qui adſunt potiſsimùm conferunt. Sacrificium & oratio longius extenduntur, & conferunt etiam abſentibus.

DOROTHEA.

Iſtud fuſius explana, niſi moleſtum eſt.

THEOPHILVS.

Quod ad doctrinam attinet, norunt omnes, quòd ſolùm præſentibus, auſcultantibus, & comprehendentibus conducat. Nemo enim pro alio diſcere poteſt. De ſacramenti perceptione Chryſoſtomus ait, quòd quemadmodū vnus pro alio; præſertim mortuo baptizari non poteſt: ita etiam nemo pro alio, mortuo præſertim, ſumere poſsit corpus & ſanguinem Chriſti. Quibus enim (ait) dixit Chriſtus: Niſi carnem meam ederitis, niſi ſanguinem meum biberitis, nō habebitis vitam in vobis: mortuíſne an viuis? item, Niſi quis ex aqua & ſpiritu renaſcatur, regnum cœlorum videre non poteſt. Hoc tantùm dici fortaſſe poſſet, duas illas miſſæ partes hactenus contingere, etiam abſentes viuos & mortuos, quòd inter omnia Chriſti membra (hoc eſt, inter ſanctos omnes & credentes, qui ab initio mundi fuerunt, quíque ſunt modò, aut venturi ſunt vſque ad finem mundi) ſit talis quædam communicatio, qualis eſt inter vnius corporis membra, quorum hoc bonæ illius valetudini congaudet, & quicquid boni vni alicui membro accidit, ſit toti reliquo corpori commune. De reliquis duabus partibus, ſacrificio inquam confeſsionis, laudis, & gratiarum actionis erga Deum, & oratione (quæ duo in miſſa inuicem miſcentur) ſemper hoc modo eccleſia Chriſtiana docuit, quòd hoc ſacrificium per ſacerdotem velut deſignatum & publicum eccleſię miniſterium præcipuè, ac nihilominus etiam per Chriſtianam plebem in omnia quæ agit ſacerdos, intentionē ſuam dirigentem, corde & ore cōſentientē, & gratias ac vota Deo offerentē vnà cum ſacerdote offeratur communiter, non ſolùm pro præſentibus, verùm

In 15. cap. prioris epiſ. ad Cor.

etiam pro abſentibus, imò pro toto mundo. Atque ita miſſam non eſſe priuati ſacerdotis priuatum ſacrificium, ſed eſſe ſacrificium commune ſacerdotis & plebis Chriſtianæ. Quod ipſe etiam miſſæ canon paſsim indicat. Sed hęc plus ſatis. Noſtri certè quidem pene videmur obliti, dum tu veritatis cognoſcendæ ſtudio interrogandi finem nullum facis: ego autem ad omnia, non inuitus tibi reſpondeo. En, ſera iam crepuſcula noctem trahunt, nec tamen domum cogitamus.

DOROTHEA.

Quando nos diſputatione cupis abſiſtere, idem mihi quoque placet. Abeamus ſanè: cætera cras perſequi licebit.

FINIS.

PETRI BVLENGERII TRECENSIS INSTITV-tionum Chriſtianarum liber ſeptimus.

DOROTHEA.

Memini te heſterno ſermone dicere, Theophile frater, cùm imminente luna ab his ſpatiis abſceſsimus, miſſæ canonem paſsim indicare eam commune ſacerdotis & plebis Chriſtianæ ſacrificium. Ego ita prorſus eſſe in animum meum induxi. Sed quia multa de hoc audiui canone, eaq́ue admodum putida & abſurda (quanquam illum credo ſacris refertum myſteriis, omniq́ue dignum veneratione) ea gratia illum te fideliter recitare velim, & locos illuſtrare, quos hæretici contumelioſis commentis & ſceleratis explanationibus, rudi & imperitæ multitudini reddere conantur odioſos. Licèt enim piis & fidelibus animis ea ſatis eſſe poſsint, quæ ſuprà in ſingulis miſſæ partibus explicandis attigiſti: quia tamen video truculentiſsimos veritatis hoſtes recèns librum (eorum certè omnium, qui poſt annos quadraginta in publicum exierunt, longè peſtilentiſsimum) in lucem edidiſſe, in quo non ſolùm è teterrimis faucibus intolerandas euomunt blaſphemias in ſacroſanctum altaris ſacrificium: ſed hunc etiam ſacerrimum canonem crudeliſsimè fodicant, peruellunt, lacerãt: operæ precium te facturum puto, ſi ab inſanis eorum criminationibus & acerbis calumniis illum planè vindices.

THEOPHILVS.

Modò religioſè & cum timore Dei in animum admittas quę audies, tuæ morem gerere voluntati conabor: alioqui parricidium eſſe autumo, ſi quis facinoroſis & pro-

phanis hominibus ſacroſancta myſteria denudet ac aperiat. Tu autem ſic habeto, non eſſe humanum commentum, ſed orationem multò diuiniſsimam à ſpiritu ſancto eccleſiæ per Apoſtolorum miniſterium traditam. Ita enim ad Ianuarium ſcribit Auguſtinus: Apoſtolus Paulus de hoc ſacramento loquens, Cætera (ait) cùm venero, ordinabo. Vnde intelligi datur, quia multum erat, vt in epiſtola totum illum agendi ordinem inſinuaret, quem vniuerſa per orbem ſeruat eccleſia, ab ipſo ordinatum eſſe: quòd nulla morum diuerſitate variatur.

DOROTHEA.

Iſtud confirmare poſſum, me nequaquam velle arcana hæc & venerãda myſteria accipere, vt ea ludibrio habeam, quin potius vt à veneno caueam, quod deploratæ homines feritatis, in eccleſiam Dei effundere non intermittunt, vt fideles, ſi fieri poſsit, in æternum & perenne demergant exitium. Quare non eſt quod verearis, ne non cum omni veneratione & obſeruantia te, dum illum explanabis, audiam.

THEOPHILVS.

Quoniam iſti mentiendi artifices ineptè cornicantur & garriunt, hunc canonem centonum inſtar conſutum, & nouitiis permixtum commentis, vt lacero mendici pallio, ex aliis atque aliis pannis contexto, componere non dubitent: te animaduertere perſuaſiſsimumque habere oportet, in hac diuiniſsima oratione nihil contineri, quod non fuerit à tempore etiam Apoſtolorum in ſacrificiis obſeruatũ. Quod intelligere licet ex collatione Græci canonis cum noſtro: qui quidem ſi rectè enucleetur & Chriſtianè, palàm erit, haud quicquã verbis aut ſenſu melius, Deoque dignius ordinari potuiſſe. In eo Græci canonis ſumma tã artificioſè & incorruptè contracta eſt, vt non iniuria quis iſtud mirari poſsit. Sed audiamus quid ſuper hac re dicat Auguſtinus, exponẽs hunc beati Pauli locũ: Obſecro igitur primùm omnium fieri obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus & omnib⁹ qui in ſublimitate cõſtituti ſunt, vt quietam, & tranquillã vitã agamus, in omni pietate & caſtitate. In his

Auguſt. ad Paulinũ epiſt. 59.

1. Tim. 2.

In his (inquit) verbis eligo hoc dicere, quòd omnis vel penè omnis frequentat eccleſia, vt obſecrationes ſeu precationes accipiamus dictas, quas facimus in celebratione ſacramentorum, antequam illud quod eſt in Domini menſa incipiat benedici. Orationes autem quum benedicitur & ſacrificatur, & ad diſtribuendum comminuitur, quam totam petitionem ferè omnis eccleſia Dominica oratione concludit (nota hoc de canone dictum) ad quem intellectum (ait conſequenter) etiam verbi Græci origo nos adiuuat: εὐχὴ enim notum eſt, vnde προσευχὴ ea propriè intelligenda eſt oratio, quam facimus ad votum. Vouentur autem omnia, quæ offeruntur Deo, maximè ſancti altaris oblatio, quo ſacramento prædicatur noſtrum aliud votum maximum, quo nos vouimus in Chriſto eſſe manſuros, vtique in compage corporis Chriſti, cuius rei ſacramentum eſt, quod vnus panis, vnum corpus multi ſumus. Ideò in huius ſanctificatione & diſtributionis præparatione exiſtimo Apoſtolum iuſsiſſe propriè προσευχὰς fieri. Interpellationes autē ſiue poſtulationes fiūt, cùm popul⁹ benedicitur. Tū enim antiſtites velut aduocati, ſuſceptos ſuos per manus impoſitionē miſericordiſſimę offerunt poteſtati. Quibus peractis, & participato tanto ſacramento gratiarum actio cuncta concludit, quam in his etiam verbis vltimam commendauit Apoſtolus. Hæc Auguſtini verba ſunt, qui cùm gratiarum actionem omnia concludere dicit, non eſt de illa gratiarum actione intelligendum, quæ conſecrationem præcedit, ſed de altera qua reſpondetur ad Ite miſſa eſt, vel ad Benedicamus Domino, Deo gratias. Chryſoſtomus enim teſtis eſt nos in miſſa gratias agere, quod & Chriſtus fecit. Gratias enim egit, antequàm diſcipulis ſuis daret, vt etiam nos ab actione gratiarum incipiamus. Et gratias egit, poſteaquàm & hymnum cecinit, vt nos quoque ſimiliter faciamus. Quid potuit Auguſtinus pro miſſa atque adeò ipſo canone dicere validius? Cùm ex Apoſtolo & celebrationis & deprecationis, quæ in miſſa fit, ordinem oſtendat, ac palàm definiat hoc ſacrificium, quod in miſſa per obſecrationes, orationes, poſtulationes, & gratiarum actiones fit, pro tota eccleſia offerri oportere, atque etiam pro iis, qui eccleſiam

Hom. 83. in Matt.

Dei immaniter perſequuntur: cùm membra Chriſti ex omni ſint hominum genere colligenda? Quamobrem ait Apoſtolus: Hoc bonum eſt & acceptum coram ſeruatore Deo noſtro, qui omnes homines vult ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Nequis verò putet viam ſalutis eſſe poſſe in bona conuerſatione, & vnius Dei omnipotentis cultu ſine participatione corporis & ſanguinis Chriſti, adiecit Apoſtolus: Vnus enim Deus, & vnus conciliator Dei & hominum, homo Chriſtus Ieſus: vt illud quod dixerat, nullo alio modo intelligatur præſtari, niſi per conciliatorem hominum Chriſtum Ieſum, quum verbum caro factum ſit, & habitarit inter nos. Sed ad canonem noſtrum iam aggrediamur, quem vt facilius intellectu poſſis aſſequi, præfigam ſecretam illam precationem, quæ ſuper oblata panis & calicis munera in miſſa diei cœnæ Dominicæ dicitur, cum præfatione & hymno angelico. Eiuſmodi eſt ergo ſecreta oratio, quæ ante præfationem dicitur.

Ipſe tibi quæſumus, Domine ſancte, pater omnipotens, æterne Deus, ſacrificium noſtrum reddat acceptum, qui diſcipulis ſuis in ſui commemorationem hoc fieri hodierna traditione Ieſus Chriſtus monſtrauit, filius tuus, Dominus noſter: qui tecum viuit & regnat in vnitate ſpiritus ſancti, per omnia ſecula ſeculorum. Reſponſio. Amen. Sacerdos dicit: Dominus vobiſcũ. Reſp. Et cum ſpiritu tuo. Sacerdos: Surſum corda. Reſponſio: Habemus ad Dominum. Sacerdos: Gratias agamus Domino Deo noſtro. Reſponſio: Dignum & iuſtum eſt. Sacerdos: Verè dignum & iuſtum eſt, æquum & ſalutare, nos tibi ſemper & vbique gratias agere, Domine ſancte, pater omnipotens, æterne Deus: per Chriſtum Dominum noſtrum: per quem maieſtatem tuam laudant angeli, adorant dominationes, tremunt poteſtates: cœli cœlorúmque virtutes, ac beata Seraphim ſocia exultatione concelebrant: Cum quibus & noſtras voces, vt admitti iubeas deprecamur, ſupplici confeſſione, dicentes:

Hymnus Angelicus.

Sanctus, ſanctus, ſanctus, Dominus Deus Sabaoth.
Pleni ſunt cœli & terra gloria tua, Hoſanna in excelſis.

celſis. Benedictus qui venit in nomine Domini, Hoſanna in excelſis.

Canon.

Te igitur, clementiſſime pater, per Ieſum Chriſtum, filium tuum, Dominum noſtrum ſupplices rogamus ac petimus, vti accepta habeas & benedicas, hæc dona, hæc munera, hæc ſancta ſacrificia illibata: in primis quæ tibi offerimus pro eccleſia tua ſancta catholica, quam pacificare, cuſtodire, adunare, & regere digneris toto orbe terrarum, vna cum famulo tuo papa noſtro. N. & antiſtite noſtro. N. & rege noſtro. N. & omnibus orthodoxis atque catholicæ & Apoſtolicæ fidei cultoribus.

Pars prima precationem generalem pro vniuerſa eccleſia continens, & ſpecialē pro antiſtitibus & principibus.

DOROTHEA.

Prius quàm vlterius pergas, mihi, niſi moleſtum eſt, iſtud explicabis.

THEOPHILVS.

Sacerdos in perſona totius eccleſiæ clementiſſimum patrem per Ieſum Chriſtū Dominum noſtrū ſupplicibus verbis orat, vt accepta gratáque habere velit munera ac dona, quæ ex mandato & inſtitutione dilectiſsimi filij ipſi offerimus, vt noſtrarum gratiarum actionem declaremus & teſtemur pro omnibus beneficiis, quæ in nos vniuerſúmque genus hominum contulit: vtque ipſa dignetur gratiæ & virtutis ſuæ benedictione perfundere, quò apta idoneaq; ſint tam diuino ſacramento, & in viuum conuertantur ſacrificium, verum ſcilicet Chriſti corpus, verúmque ſanguinem. Neque enim noſtrum eſt iis benedicere, ſed eius ſolius. Partes autem noſtræ ſunt fidem eius auxiliúmque implorare vt benedicat & ſanctificet.

DOROTHEA.

Nónne iſta munera ac dona terrena, panis ac vinum ſunt? Quo igitur pacto digna eſſe poſſunt, quæ diuinæ offerantur maieſtati? Num Deus pane ac vino oblectatur, aut aliqua rationis experte creatura, quamlibet ſit precioſa?

THEOPHILVS.

Illa offerimus Deo, non ob naturalem quidem munerum proprietatem: ſed mandato Domini noſtri Ieſu Chriſti obtemperantes, qui conſtituit, vt iugiter à nobis in

myſterio offerantur ad ſignificationem ineffabilium beneficiorum Dei: vt videlicet rerum iſtarum oblatione ſignificemus, ac opere ac ſignis confiteamur Dominum Deum (qui omnia creauit, ac indeſinenter omnia operatur, qui dat eſcam omni carni, dat panem ad conforrandum cor hominis, & vinum vt cor hominis lætificet) ita mundum dilexiſſe, vt vnigenitum filium ſuum (in quo omnia creauit, in quo omnia quoque quæ extant ſiue in cœlis ſiue in terris reparauit, qui eſt panis cœleſtis, panis angelorum, & verus vitæ panis) propter nos cœlo in terras demiſerit: ipſúmque filium incarnatum pro nobis ſeipſum ſacrificaſſe, eq́ue latere ſuo ſanguinem & aquam in ablutionem peccatorum noſtrorum effudiſſe: adhæc iſtud ſuum corpus & precioſum ſanguinem nobis in ſacramento in cibum ſpiritualem ineffabili ſua miſericordia & bonitate inſtituiſſe & dediſſe, vt cibo illo ei incorporati ſpiritualiter, nutriti & conſeruati, æternùm viuamus. Quemadmodum eccleſia in oratione, quæ dicitur in mixtione vini cum aqua, indicat: Deus qui humanæ ſubſtantiæ dignitatem mirabiliter creaſti, mirabilius reparaſti: da nobis quæſumus, per hæc vini & aquæ myſteria, diuinitatis eius participes fieri, cui miſericorditer placuit humilitatis noſtræ fieri conſortem, Ieſu Chriſti filij tui, qui tecum, &c.

DOROTHEA.

Dicunt aduerſarij nos ſalutem noſtram in pane & vino conſtituere, & per inſenſibilium rerum ſacrificia peccatorum velle conſequi remiſsionem. Quod vt facilius perſuadeant, in medium adferunt orationem, quæ dicitur dum hoſtia nondum conſecrata offertur. Eius hic ſenſus eſt: Pater ſancte omnipotens & æterne Deus, accipe immaculatã hanc hoſtiam, quam ego indignus famulus tuus pro pecatis & delictis meis innumerabilibus offero, pro iis etiam omnibus qui hîc adſunt, pro cunctíſque fidelibus Chriſtianis, tam viuis quàm defunctis, vt mihi & illis pariter conducat ad ſalutem æternámque vitam, per Ieſum Chriſtum, &c.

THEOPHILVS.

Non intellectum vult eccleſia eiuſmodi verbis, nudum panem

panem aut vinum nudum auxiliari nobis, vel ſalutem noſtrã operari: ſed myſteria ſacra quæ iſtiuſmodi rebus ſignificamus, & in memoriam reducimus, fidéque nobis applicamus, id ipſum quod petimus virtute diuina operari, per Chriſtum Dominum noſtrum. Haud ſanè his verbis ſpectat in ſola ſymbola panis & vini nondum conſecrata, ſed in totam reſpicit actionem: hoc eſt, non in munera panis & vini, quomodo ſe per naturam habent ſine gratia ſignificationis, ſed in virturem potius, quam paulò pòſt per conſecrationem habebunt, vbi tranſmutata fuerint in corpus & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti. Offerimus enim ſignis viſibilibus panis & vini Deo patri, cum gratiarum actione inuiſibilia illa paſſionis Chriſti myſteria, petimúſque tali ceremonia auxilium à Chriſto. Qua in re operũ noſtrorũ merita propria planè excludimus, fidimúſque ſoli miſericordiæ Dei patris, quam filius Dei, verus ille panis de cœlo deſcendens ſancta ſua paſſione, ſanguiníſque precioſi effuſione nobis comparauit. Atque hoc verum eſſe teſtantur omnes ferè orationes ſecretæ. In ea quæ legitur Dominica aduentus Domini ita oratur: Placare quæſumus Domine humilitatis noſtræ precibus & hoſtiis, & vbi nulla ſuppetunt ſuffragia meritorum, tuis nobis ſuccurre præſidiis, per Chriſtum Dominum noſtrum. Item Dominica nona à Pentecoſte ita oratur in ſecreta: Concede nobis Domine quæſumus hæc dignè frequentare myſteria: quia quoties huius hoſtiæ commemoratio celebratur, opus noſtræ redemptionis exercetur, per Chriſtum, &c. Quod profectò indubitatum eſt: ſiquidem oportet vt opus redemptionis noſtræ per Chriſtum in cruce impletæ, per fidem & commemorationem ipſius nobis applicemus. Alioqui Chriſtianis nobis nihil proderit, vt nec Turcis nec Iudæis hodie quicquam confert.

DOROTHEA.

Cur hæc dona apellas, ſacrificia ſancta, & illibata?

THEOPHILVS.

Sacrificia appellantur, quoniam Deo offerũtur ex mandato & inſtitutione filij. Sancta dicuntur, ratione ſignificationis, non autem ſecundum ſubſtantiam: quia ſignificant ſanctiſſimum corpus & ſanguinem Chriſti immaculatum.

Illibata,id eſt,pura & immaculata: quia ſine corporis & animæ ſordibus offerri debent. Cor enim ab omni iniquitate mundari oportet, vt corpus ab illuuie & immunditia. Quòd ſi reſpicimus ad id quod ſignificant, & in quod vt conuertantur oramus, ſcilicet corpus & ſanguinem Chriſti, ſancta ſunt & illibata, id eſt,munda & nulla ſordium aut peccatorum contagione polluta. Corpus enim Chriſti,ſancti ſpiritus operatione è puriſſimo glorioſæ virginis ſanguine formatum eſt, & inſeparabili vnione ineffabili cõiunctum diuinitati,ratione cuius omnis ſanctitas in dona propoſita redundat,noſq́ue ſanctificat & mũdat ab omni peccatorum noſtrorum ſpurcitie,ſicut ſcriptum eſt: Lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. *Apoc.1.*

DOROTHEA.

Quid ſibi vult oblationi coniuncta precatio?

THEOPHILVS.

Pacem & tranquillitatem vniuerſæ eccleſiæ depoſcit, orans vt Deus illam ſedatis diſcordiis tranquillare velit& pacificare,quò hoſtiliter eam inſectari deſinant hæretici & ſchiſmatici.Petit etiam vt eam tueatur & defendat à vitiis & cacodæmonibus: vt membra eius in vnum cogat & adunet, quatinus ij qui inter ethnicos & infideles diſperſi procul à ſanctorum cœtu ætatem agunt, in eccleſiæ meditullio Deum laude vehant. Denique poſtulat vt ritè & conuenienter gubernetur tam ſecundis rebus quàm afflictis. Ad poſtremum orat iuxta admonitionem Apoſtoli pro ſeculari & eccleſiaſtica poteſtate: hoc eſt, tam pro principibus magiſtratibuſq́ue ciuilibus, quàm pro ſanctis antiſtitibus, quibus verbum Dei, & eccleſiarum adminiſtratio commẽdata eſt. Breuiter pro omnibus fidelibus Chriſtianis,qui rectam fidem, Chriſtíque doctrinam in vniuerſo terrarum orbe promulgatam per os Apoſtolorum, citra vllam repugnantiam profitentur. *Epheſ.6. 1.Tim.2.*

DOROTHEA.

Perge recitare quæ ſuperſunt.

THEOPHILVS.

Pars 2.pro viuis. Memẽto Domine famulorum famularúmque tuarum. N. & omnium circunſtantium,quorum tibi fides cognita eſt & nota deuotio,pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt

offerũt hoc ſacrificium laudis, pro ſe ſuiſq́ue omnibus, pro redemptione animarum ſuarum, pro ſpe ſalutis & incolumitatis ſuæ, tibíque reddunt vota ſua æterno Deo, viuo & vero.

DOROTHEA.

Hanc, amabò, partem explanato.

THEOPHILVS.

Sacerdos hic memoriam paſſionis Chriſti renouãs, hoc ſacrificium laudis & gratiarum actionis pro nonnullis offert ſpecialiter. Deinde pro omnibus circunſtantibus, ſed pro iis tantùm, quorum fides & deuotio Deo cognita eſt, qui etiam hoc ſacrificium offerunt pro redemptione animarum ſuarum & peccatorum remiſsione, iam per oblationem Chriſti Ieſu in cruce peractam acquiſita: pro donatione æternæ vitæ, próque incolumitate corporis & animæ: hoc eſt, qui fide in memoriam redigunt ſe redẽptos eſſe per mortem & paſſionem Chriſti, quæ hîc repræſentatur, próque tanto beneficio debitas agunt gratias, ac pro aliis omnibus bonis quæ à Deo acceperunt aſſiduéque accipiunt, ſiue ea obſcura ſint & incognita, ſiue comperta ipſis & cognita. Nam offerre laudis ſacrificium, aliud nihil eſt, quàm corde, ore, feruentíque deuotione gratias agere, & laudes concinere diuinæ benignitati. Sacerdos igitur vti publicus eccleſiæ miniſter Deum rogat, vt famulorum famularúmque meminerit: hoc eſt, miſereatur illorum, & gratia eos ſua viſitet, peccata condonans per meritum paſſionis filij dilectiſſimi, quod per fidem apprehendunt, ſua vota, deuotionem, ac opera bona reddẽtes Deo patri, filio & ſpiritui ſancto, qui vnus eſt Deus in vna eſſentia, cuius adoratio (quæ ſpecialiter ei in hoc ſacrificio exhibetur) eſt indiuidua.

DOROTHEA.

Progredere ad reliqua.

THEOPHILVS.

Pars 3. priorem ſanctorum cõmemoratione͂ continens.

Sequitur: Communicantes, & memoriam venerantes, in primis glorioſæ ſemper virginis Mariæ genitricis Dei, & Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſed & beatorum Apoſtolorum, ac martyrum tuorum Petri, Pauli, Andreæ, Iacobi, Ioannis, Thomæ, Iacobi, Philippi, Bartholomæi, Matthæi,

Symonis & Thadei, Lini, Cleti, Clementis, Sixti, Cornelij, Cypriani, Laurentij, Cryſogoni, Ioannis & Pauli, Coſmæ & Damiani, & omnium ſanctorum tuorum, quorum meritis, precibúſque concedas, vt in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio, per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

DOROTHEA.

Huius particulæ, vt & antegreſſarum, germanum audire ſenſum aueo.

THEOPHILVS.

Quum eccleſia ramos ſuos in præterita, præſentia, & futura tempora exporrigat, nec in mẽbris eos duntaxat numeret, qui modò vita per fidem fruuntur, verùm illos etiã, qui cum ſigno fidei præceſſerunt: idcirco cùm ſacratiſsimum iſtud & glorioſiſsimum ſacrificium communi cultu, fidéque concordi celebrat, ibíque reminiſcitur & animaduertit Chriſtum Dominum noſtrum mortuum ſemel, quò viuorum dominaretur & mortuorum, nequaquam diuidit ſeipſam: verùm omnia membra ſua in ſeſe colligens, in eorum memoriam redit, agítque gratias, non ſolùm pro præſentibus, qui etiamnum mortalem iſtam vitam degũt, ſed & pro iis qui è viuis exceſſerunt: & in primis pro Deo dilectis ſanctis qui citra controuerſiam apud Dominum viuunt. De hac pro ſanctis gratiarum actione loquitur Cy-
Epiſt. 6. lib. 3. prianus, indicans eam in vniuerſa eccleſia vſurpatam, vt etiam tum ſacrificia & oblationes celebrarentur ob commemorationes martyrum, qui ad immortalitatem glorio-
Lib. 4. epiſt. 5. ſæ mortis exitu trãſierãt. Atque alibi: Sacrificia, inquit, pro iis ſemper, vt meminiſtis, offerimus, quoties martyrũ paſſiones & dies anniuerſaria commemoratione celebramus, &c. Hinc & Græcorum canon apertis verbis dicit: Offerimus tibi pro Patriarchis, Prophetis & Apoſtolis. Quod perinde eſt, atque ſi diceret: Agimus tibi gratias Domine, quòd ſanctos tuos ab initio mundi elegeris, ſanctificaueris, confirmaueris, & tandem glorioſè coronaris.

Noſter verò canon habet:

Communicamus, & memoriam veneramur, in primis glorioſæ ſempérque virginis Mariæ genitricis filij tui Do-

mini noſtri Ieſu Chriſti,&c Quod eſt, Memoriam veneramur, ô Domine, beatiſsimæ & immaculatæ matris filij tui Dei noſtri, quæ abſque omni contaminatione Deum peperit vera Dei genitrix, honoratior Cherubim, incomparabiliter glorioſior Seraphim, & aliorum ſanctorum tuorum, &c. Id autem ipſum facimus, conſiderantes quòd ij tanquam nobiliſsima eccleſiæ tuæ membra, morte temporaria nec ſuppreſsi ſunt, nec perierunt, ſed in vitam æternam ſunt pręmiſsi. Quapropter quas poſſumus tibi gratias agimus, quòd illis, qui nobis aliquando in omnibus quæ natura habet, ſimiles fuerunt, tam admirabilem gratiam dediſti, vt peccatum, mundum, & mortem, & viriliter vincerent, & vitam conſequerētur æternam. Denique pro donis quæ eis contuliſti, & per ipſos eccleſiæ tuæ.

Antiquiſsimus patrum Dionyſius clarè docet, ſua iam ætate in ſynaxi venerabilib⁹ ſignis, per quæ Chriſtus ſignatur ac ſumitur, ſancto altari impoſitis, protinus & incunctanter ſanctorum inchoari memoriam, quæ coniunctionem eorum indiuiduā, vnionémque cum illo altiſsimam & ſacratiſsimam indicet. Adhæc quòd ſacerdos eos pręconio extollat in altari, qui piè ſanctéque vixerūt, & ad finem vſque virtutis viam conſtanter, nuſquam ab ea deflectēdo tenuerunt, nos quidem ad imitandum beatiſsimum illorū habitum, atque ad diuina petenda pręmia prouocans: illos autem veluti viuentes prædicans, qui non mortificati, ſed in diuinam penitus vitam ex morte tranſlati ſunt, &c.

Pulchrè in hanc ſentētiam ſcribit Auguſtinus, quòd non fabricamus martyribus noſtris templa ſicut diis, at memorias ſicut hominibus, quorū apud Deū ſpirit⁹ viuāt: quódq; ibi nō erigimus altaria in quibus ſacrificemus ipſis martyribus, ſed vni Deo & martyrū & noſtro ſacrificiū immolamus: nihilominus ad ſacrificiū illud ſicut homines Dei, qui mūdū in eius cōfeſsione vicerūt, ſuo loco & ordine nominātur: nec propterea tamē à ſacerdote qui ſacrificat inuocātur, quippe qui nō ipſis ſacrificet, ſed Deo, quāuis in memoriā eorū ſacrificet: quia Dei ſacerdos eſt, nō illorū. Ipſū verò ſacrificium corpus eſt Chriſti, quod non offertur ipſis, quia hoc ſunt & ipſi, &c. Quòd autem dicit à ſacerdote qui ſacrificat non inuocari martyres, hunc habet ſenſum: *Augu. lib. 22. de ciuit. Dei, ca. 20.*

Sacerdotem verba ſacrificij non debere ad ſanctos dirigere, quaſi illis tanquam diis hic aliquid offeratur. Interim tamen nō vult hoc loco negare, quin poſsint ad intercedēdum pro nobis, tanquam homines ſancti inuocari: quòd enim illud piè fiat, compluribus aliis in locis oſtendit. Sic dum ait nos illis templa non fabricare, intelligit eo quo gentiles fine, tāquam diis. Nam baſilicas erigimus eorum appellatas nominibus, in ipſorum memoriam: vni autem Deo in iis ſacrificamus. Atque hanc eſſe mentem Auguſtini apparet ex ipſius verbis, alio quodam in loco, vbi & rationes adfert quare in miſſa martyrum faciamus mentionem. Nos, inquit, martyribus templa, ſacerdotia, ſacra, & ſacrificia non cōſtruimus, quoniam non ipſi, ſed Deus eorum nobis eſt deus. Honoramus ſanè memorias eorum, tanquam ſanctorum hominum Dei, qui vſque ad mortem ſuorum corporum pro veritate certarunt, vt innoteſceret vera religio falſis religionibus victis atque conuictis. Quis autem audiuit aliquando fidelium, ſtantem ſacerdotem ad altare, etiam ſuper ſanctum corpus martyris, ad Dei honorem cultúmque conſtructum dicere in precibus: Offero tibi ſacrificium Petre, vel Paule, vel Cypriane, cùm apud eorum memorias offeratur Deo, qui eos & homines & martyres fecit, & ſanctis ſuis angelis cœleſti honore ſociauit, vt ea celebritate &. Deo vero de illorum victoriis gratias agamus, & nos ad imitationem talium coronarum & palmarum, eodem inuocato in auxilium, ex eorum memoriæ recordatione adhortemur? Item contra Fauſtum Manichæum iiſdem ferè verbis, eandem ſuam mentem expoſuit. Populus, inquit, Chriſtianus memorias martyrum religioſa ſolennitate cōcelebrat, & ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum conſocietur atque orationibus adiuuetur: ita tamen vt nulli martyrum, ſed ipſi Deo martyrum, quanuis in memorias martyrum, conſtituamus altaria. Quis enim antiſtitum in locis ſanctorū martyrum aſsiſtens altari, aliquando dixit: Offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane? Sed quod offertur, offertur Deo, qui martyres coronauit, apud memorias eorum, quos coronauit: vt ex ipſorum locorum admonitione maior affectus exurgat ad acuendam charitatem, & in illos, quos imitari poſſumus,

Lib. 8. de ciuit. Dei ca. 27. & lib. 3 contr. epiſt. Pelagij ad Bonif. ca. 3.

Lib. 20. ca. 21.

poſſumus,& in illum,quo adiuuante poſſumus. Quemadmodum autem vir ille ſanctus dicit eccleſiam in miſſæ ſacrificio adhibere memoriam ſanctorum martyrum,vt meritis eorum conſocietur,& orationibus adiuuetur:ſic ſit in canone eccleſiæ catholicę.Ante conſecrationem enim orat eccleſia , vt meritis precibuſque ſanctorum Dei, in omnibus protectionis eius muniatur auxilio,per Chriſtum Dominum noſtrum.Quod nihil aliud eſt dicere,quàm vt orationibus eorum adiuuetur.Neque dubitandum eſt (vt ſuprà iam diximus) quin ſancti ſua habeant merita, quæ tamen Dei etiam dona ſunt,quæ viuis eccleſiæ membris cōmunicantur:vnde in ſymbolo confitemur credere nos ſanctorum communionem.Aduerte porrò, in hac tota diuina oratione, omnia aut propemodum omnia vota & preces fidelium Chriſtianorum ad patrem dirigi, & concludi per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.Paucæ tantûm ad filium diriguntur , nullæ ad ſanctorum aliquem : vnde manifeſta fit impudens hæreticorum procacitas & maledicētia,quos non pudet cum extrema blaſphemia dicere, orationem hanc ſuperſtitionis & execrandæ idololatriæ plenam eſſe.Memoriam certè quidem ſāctorum (quos Deus honorat, filius fratres ac cohæredes, ſpiritus ſanctus tēpla ſua vocat) iuſtiſsimis de cauſis veneramur , ſcilicet vt per eorum memoriam, fidem in Chriſtum cōfirmemus, ſpem *Mat.28.*
æternæ ſalutis roboremus,& accendamus charitatem. Ac *Rom. 8.*
iam antè oſtendimus ſanctos miro teneri deſiderio accelerationis pœnitentiæ & ſalutis noſtræ : quominus ambigere debemus,quin pro nobis ſedulò orent.Nam ſi angeli,qui non communicauerunt carni & ſanguini , de ſalute noſtra quàm maximè ſolliciti ſūt, nec pro nobis orare in- *Luc. 15.*
termittunt:quanto magis ſancti pro nobis orant,quum e- *Zach.1.*
iuſdem corporis ſint membra?Si glorificatur (inquit Apo *1.Cor. 12.*
ſtolus) vnum membrum, ſimul gaudent omnia membra: ſi patitur vnum membrum,ſimul patiuntur omnia mēbra. Nouerunt illi periculum noſtrum,figmentum noſtrum, ignorantiam noſtram,fragilitatem noſtram: nouerunt ad- *Bernar.ſer.*
uerſariorum dolos,impetus,inſultus: in eadem tentatione *in ſerm. vlt.*
fuerunt,eoſdem ſuperarunt conflictus, eoſdem laqueos e- *in feſto om-*
uaſerunt,& didicerunt ex his quæ paſsi ſunt, caſus noſtros *nium ſanct.*

miſerari. Nec eſt quòd de pia eorum erga nos ſollicitudine dubitemus, quandoquidem non ſunt conſummãdi ſine
Heb.11. nobis,ſed expectant nos,donec in nouiſſimo die omnia ſimul in virum perfectum cum ſuo capite membra concurrant,& laudetur cum ſua hæreditate Chriſtus Ieſus in ſecula benedictus. Non vtique ſanctos,vt Deum, ſupremo honore colimus & adoramus: non facimus eos redemptionis mediatores: non ſeruimus illis cultu,qui latria nuncupatur:quòd hæc ſoli Deo ac Chriſto debeãtur: ſed ad altare Chriſti (cuius ipſi ſancti membra ſunt) eos vt domeſticos Dei,ac pios & ſedulos apud Deum pro nobis interpellatores agnoſcimus,ipſorumque meritis,quæ & Dei dona ſunt,per fidem participes fieri petimus. Nec hoc ſentimus, ſanctorum preces, quibus adiuuari petimus, ipſorum meritis inniti,ſed poti' Chriſti,cui iam velut incorporati exiſtunt. Neque ignoramus ſanctos omnes,ſiue ab illo antiquo Abel,vſque ad Ioannem Baptiſtam, ſiue ab ipſis apoſtolis vſque ad hoc tempus,& deinceps vſque ad finem ſeculi in Domino tantũ eſſe laudandos, non in ſeipſis: nam illorum (vt antè diximus) hæc eſt vox:Gratia Dei ſum,id
1.*Cor*.15. quod ſum: Et illud Pauli ad omnes pertinet: Qui gloria-
2.*Cor*. 10. tur,in Domino glorietur.

DOROTHEA.

Quid ſequitur in canone?

THEOPHILVS.

Pars 4. Hanc igitur oblationem ſeruitutis noſtræ, ſed & cũctæ familiæ tuæ quæſumus, Domine,vt placatus accipias,diéſque noſtros in tua pace diſponas, atque ab æterna damnatione nos eripi,& in electorum tuorum iubeas grege numerari,per eundem Chriſtum Dominum noſtrum.

DOROTHEA.

Ecquis huius particulæ ſenſus eſt?

THEOPHILVS.

Hæc orationis eſt concluſio, perindéque eſt ac ſi diceretur:Propter cauſas dictas, quæ vnigeniti filij tui promiſſioni & mandato innituntur, à te etiam atque etiam vehementer petimus,vt benignè & clementer iſtud ſacrificium laudis & gratiarum actionis accipias, quod à nobis totáq; familia tua, vero cordis affectu ac feruenti deuotione tibi offertur,

offertur,cum externa ac ſignificante panis & vini oblatione, pro animarum noſtrarum redemptione & remiſsione peccatorum, quam dilectiſsimus filius tu' nobis morte ac paſſione ſua in cruce quæſiuit: atque vt dies noſtros (hoc eſt,tempus quod nobis indulſiſti ad mortalem hanc vitam tranſigẽdam) in tua pace diſponas,quæ ſola vera certáque eſt,nimirũ conſcientiæ quies atque tranquillitas,qua ſerui tui fruuntur,certò ſciẽtes quòd tu pater illis es ac propiti', Chriſti filij tui beneficio,peccatáque ipſis ſola gratia & miſericordia motus condonas.Hanc pacem,non quæ mundi eſt, Domine,te poſcimus, orantes vt iubeas nos ab æterna dãnatione liberari,& in electorũ tuorũ aſcribi numerum, non vtique meritis noſtris,aut ſeruitutis noſtræ dignitate: ſed per Ieſum Chriſtũ Dominũ noſtrũ. Cæterùm memori mẽte fac teneas,quòd tria,quæ hîc petũtur, præcipua ſunt illa dona,quæ nobis Deus pater per filiũ ſuũ donauit. Primũ enim dedit nobis, vt pacẽ cũ ipſo in terris habeamus, quæ iis,quibus donatur, terrorẽ & anxietatẽ cordis omnẽ protinus aufert,& gaudiũ parit,quod nemo queat auferre. *Ioan.14.*
De hac Chriſtus ait:Pacẽ relinquo vobis, pacẽ meã do vobis: non quomodo mũdus dat,ego do vobis. Nõ turbetur cor veſtrũ,neque formidet.Atque alibi:Hęc loquutus ſum *Ioan.16.*
vobis,vt in me pacẽ habeatis: in mũdo preſſurã habebitis: ſed cõfidite,ego vici mũdũ.Hæc autẽ pax illa eſt,quam Apoſtolus nobis paſſim cõprecatur. De hac ait: Regnũ Dei *Rom.14.*
non eſt eſca & potus,ſed iuſtitia & pax,& gaudium in ſpiritu ſancto.Et,Pax Dei,quæ exuperat omnem ſenſum,cuſtodiat corda veſtra & intelligẽtias veſtras in Chriſto Ieſu. *Philip.4.*
De reliquis duobus quæ ſimul petũtur,vt videlicet ab æterna dãnatione liberemur, & electorũ gregi annumeremur, *Col 1.*
idẽ ille Apoſtolus ait:Dignos nos fecit in partẽ ſortis ſanctorum in lumine, qui eripuit nos de poteſtate tenebrarũ & tranſtulit in regnũ filij dilectionis ſuæ,in quo habemus redemptionem &remiſſionẽ peccatorũ per ſanguinẽ eius. *Act.26.*
Et Chriſtus Dominus ad Paulũ ait:Mitto te nũc in gentes aperire oculos eorum,vt cõuertantur à tenebris ad lucem, & de poteſtate Satanæ ad Deum,vt accipiant remiſsionem peccatorũ,& ſortem inter ſanctos,per fidẽ quæ eſt in me.

DOROTHEA.

Nihil prohibet quominus,ſi videtur,pergas ad reliqua.

THEOPHILVS.

Pars 5. quæ ad tranſſubſtantiatio-nem aditū patefacit.

Sequitur:Quam oblationem tu Deus in omnibus quæſumus benedictam,aſcriptam,ratam,rationabilē,acceptabilémque facere digneris, vt nobis corpus & ſanguis fiat dilectiſsimi filij tui.

DOROTHEA.

Iſtud explana.

THEOPHILVS.

Poſt ſacrificium panis & vini aquæ mixti, quo ſignificamus (vti iam dictum eſt) & confitemur nos omnia quæ habemus bona corporalia & ſpiritualia à Deo per Chriſtū accepiſſe:poſt ſacrificium etiam laudis,quod pro omnibus Dei donis atque beneficiis, ſtatúque totius mūdi offertur, ſtatim occurrit pręcipuum miſſę caput,quod eſt conſecratio diuiniſſimi ſacramenti: in qua ſacerdos eccleſiæ nomine,per inuocationem Dei (quæ eius promiſsioni & mandato filij ſui tota innititur) ſuppliciter orat,vt Deus propoſitam illam panis & vini mixti oblationem(quæ iam in ſignum integræ noſtræ deditionis & gratiarum actionis oblata eſt)modis omnibus,aut in omnibus benedictam,aſcriptam,ratam,gratam,acceptabilémque facere dignetur, vt nobis corpus & ſanguis fiat Domini noſtri Ieſu Chriſti.

De conſecr. diſt. 2. cap. vtrum ſub figura.

Quod Auguſtinus ita declarat: Sacerdos (inquit) Deum inuocat,vt oblationem propoſitam in omnibus facere dignetur benedictam,per quam benedicamur,bonorum vel ſpiritualium multiplicatione.Aſcriptam,per quam omnes in cœlo aſcribamur, & angelorum conſortio . Ratam,per quam in viſceribus Chriſti eſſe cenſeamur,quáque in profectum ſalutis vſque ad cōſummationem ſanctorum perfruamur . Rationabilem, per quam à beſtiali ſenſu exuamur,in finemque rationalis creaturę deducamur.Acceptabilem,vt qui nobis ipſis diſplicemus, per hanc acceptabiles eius vnico filio ſimus. Quæ omnia tum demum nobis contingunt, quando oblatio altaris conuertitur nobis in corpus & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti: id quod oratiunculæ iſtius concluſione proditur,qua verba præcedentia clarè & pulchrè explicantur,

DOROTHEA.

Quidnam ſequitur?

THEOPHILVS.

Qui (ni-

Qui (nimirùm Chriſtus) pridiè quàm pateretur, accepit panem in ſanctas ac venerabiles manus ſuas, & eleuatis oculis in cœlum ad te Deum patrem ſuum omnipotētem, tibi gratias agens, benedixit, fregit, & dedit diſcipulis ſuis, dicens: Accipite & manducate ex eo omnes. Hoc eſt enim corpus meum. *Pars 6. quæ conſecrationem continet.*

DOROTHEA.

Iſtud velim mihi dilucidius fieri.

THEOPHILVS.

Hìc aſſumit ſacerdos perſonam Chriſti, ac prolatis Euāgeliſtarum verbis, ſtatim diuina Chriſti verba ſubiungit, quorum virtute digniſsimum & ſacratiſsimum illud corporis & ſanguinis Chriſti ſacramentum conſecratur & efficitur: Hoc eſt corpus meum. Quæ verba, quia ſuprà cùm de conſecratione ſermonem haberemus, ſatis ſupérque declarata ſunt ex eccleſiæ catholicæ ſententia, ampliori iam explanatione egere nullo modo videntur.

Sequitur in canone.

Simili modo poſtquam cœnatum eſt, accipiens & hunc præclarum calicem in ſanctas & venerabiles manus ſuas, item tibi gratias agens, benedixit, & dedit diſcipulis ſuis, dicens: Accipite, & bibite ex eo omnes: Hic eſt enim calix ſanguinis mei, noui & æterni teſtamenti, myſterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum. Hæc quotieſcunque feceritis, in mei memoriam facietis. *Pars 7.*

Sacerdos his Chriſti verbis, Hic eſt calix ſanguinis mei, &c. calicem conſecrat. Peracta conſecratione, è veſtigio Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui ſeipſum aliquando in corpore ſuo mortali Deo patri cruentum ſacrificium pro totius mūdi peccatis obtulit, de integro totius eccleſiæ nomine, modo incruento, ſpirituali repræſentatione, & commemoratione ſacratiſsimæ ſuæ paſsionis offertur. Quod ipſum fit, quando eccleſia Chriſtum & eius verum corpus verumque ſāguinem, Deo patri cum gratiarum actione, & oratione attenta, pro ſuis & totius mundi peccatis proponit ſeu repræſentat.

Quanquam enim ſacrificium illud in ea forma quæ in cruce offerebatur, ſemel tantùm oblatum ſit, & ſemel tantùm ſanguis effuſus, vt ita repeti iterumque offerri non poſsit: nihilominus tamen conſiſtit & manet tale ſacrificiū

coram Deo perpetuò in ſua virtute & efficacia,ita vt ſacrificium illud ſemel in cruce oblatum non minus hodierno die in conſpectu patris ſit efficax ac vigens, quàm eo die quo de ſaucio latere ſanguis exiuit & aqua,vt teſtatur beatus Cyprianus. Quapropter cũ vulnerati corporis noſtri plagæ precio redemptionis ſemper opus habeant,eccleſia proponit Deo patri precium illud,in vera fide,& deuotione iterum (ſed figuratiuè & ſpiritualiter)ad conſequẽdam peccatorum remiſsionem: Non quòd huic operi ſuo(quo videlicet commemorat & repræſentat ſacrificiũ illud) meritum aſcribat remiſsionis peccatorũ,vt quam ſolus Chriſtus cruenta ſua oblatione in cruce nobis promeruerit:ſed eccleſia tali ſuo commemoratiuo & myſtico fidei ſacrificio (in quo repræſentat,& ſiſtit in conſpectum patris verũ corpus & ſanguinem filij eius vnigeniti)applicat ſibi & accommodat magnum & inæſtimabile illud donatiuum remiſſionis peccatorum,quod Chriſtus impetrauit: cùm acci piat remiſſionem peccatorum per nomen eius,quiſquis cre dit in eũ. Porrò autem ſpiritualis hæc corporis & ſanguinis Chriſti oblatio,commune quoddam ſacrificium eſt, vt & ſuperius propter gratiarum actiones & orationes quæ ibi fiunt,non pro præſentibus modò,verùm etiam pro abſentibus,nec tantùm pro his qui adhuc in mortali iſto cor pore agunt, ſed & pro fratribus & ſororibus noſtris, qui cum ſigno fidei hinc ad Dominum profecti ſunt.

In ſerm. de bap.& manifeſt. triuit.

Act.10.

DOROTHEA.

Quid ſequitur in ſacro canone? THEOPHILVS.

Verba proferuntur quibus hoc ſacrificium Deo offertur.Sunt autem eiuſmodi:

Pars 8. Vnde & memores,Domine,nos tui ſerui,ſed & plebs tua ſancta eiuſdem Chriſti filij tui domini Dei noſtri,tã beatę paſsionis,necnon & ab inferis reſurrectionis,ſed & in cœlos glorioſę aſcẽſionis,offerimus prçclarę maieſtati tuę de tuis donis ac datis,hoſtiã puram,hoſtiam ſanctam, hoſtiã immaculatam,panem ſanctum vitæ æternæ, & calicem ſalutis perpetuæ: ſupra quæ propitio & ſereno vultu reſpicere digneris,ac accepta habere: ſicuti accepta habere di gnatus es munera pueri tui iuſti Abel, & ſacrificium Patriarchę noſtri Abrahę,& quod tibi obtulit ſũm' ſacerdos

tuus

tuus Melchiſedec, ſanctum ſacrificium, immaculatam hoſtiam.

DOROTHEA.

Magnas hîc tenebras denſamque caliginem videre mihi videor. Proinde obſcuris velim lumen adhibeas, & omnia illuſtres: idque vt facias, obnixè te oro.

THEOPHILVS.

Caliginem pro virili diſcutere conabor, & quæ obſcuriora videbuntur, patefaciam. Aduerte igitur animum. Hîc ſacerdos in perſona eccleſiæ Deum alloquens, clarè pronunciat offerre ſe corpus & ſanguinem Chriſti pro ſe in cruce oblata, & diuini verbi virtute in altari præſentia: nec dubitat hæc appellare hoſtiam puram, hoſtiam ſanctam, hoſtiam immaculatam, panem ſanctum vitæ æternæ, & calicem ſalutis perpetuæ: pronunciat, inquam, ſe hanc oblationem offerre in memoriam paſsionis, reſurrectionis, & aſcenſionis Domini noſtri Ieſu Chriſti: Cui hoſtiæ (vti iam diximus) non autem ſuo operato, aſcribit efficientiam vitæ æternæ & ſalutis perpetuæ, non ſuam quidem oblationem applicans, ſed fructum oblationis Chriſti, quem memoria repetit, ſibique per fidem applicari poſtulat. Atque hinc intelligi poteſt quàm impudenter mentiantur hæretici, dum aſſeuerare audent nos Chriſtum offerre pro peccatis, hancque ſeruitutis noſtræ oblationem applicare, tanquam opus quod remiſsionem culpæ ac pœnæ mereatur. Sed ad alia his omiſsis veniamus.

Supplicat deinde eccleſia, vt Deus propitio & ſereno vultu reſpicere dignetur ad munera in hoc ſacrificio oblata, & ea accepta habere pro nobis, & quod ad actionem oblationis noſtræ attinet: aut quatenus conſecrata illa hoſtia, eccleſiam Chriſti, tanquam corpus eius ſimul ſignificat & repræſentat. Alioqui nemo tam ſtolidus eſt, qui ignoret Deo patri nihil poſſe acceptius eſſe corpore & ſanguine vnigeniti filij ſui Chriſti. Abſit vt talis ſenſus nobis in mentem veniat, quaſi nos miſeri peccatores velimus noſtra actione corpus & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti patri primùm conciliare & accepta reddere, quàm corpus iſtud ſit vnicum illud, quod per ſe acceptum eſt, adeò vt nos quoque & omnes homines

per ipſum accepti Deo gratiq́ue ſimus. Ac mos quidem vſitatus eſt & peruulgatus in eccleſia, vt corpori Chriſti non ſolùm hoc tribuatur, quod eſt ipſi tanquam capiti proprium, verùm etiam quod eidem competit, quatenus membra ſua ſecum comprehendit: ſecundum quem modum clamauit in cruce: Deus meus, Deus meus, quare me dereliquiſti? Item, Longè à ſalute mea verba delictorum meorum. Quod certè de nobis, quos in ſe geſtabat, accipiendum eſt: non verò de ipſo tanquam capite, qui peccatum nullum fecit. Quare (inquit Auguſtinus) hoc dicitur, niſi quia nos ibi eramus, niſi quia corpus Chriſti eccleſia? Debent & hîc ad eundem modum verba illa intelligi, vt Deus ſuper hunc ſanctum panem & calicem ſalutis aſpicere dignetur, quatenus panis ille ſanctus, & calix ſalutaris nos ſimul comprehendit. Vnus enim panis (ait Apoſtolus) & vnum corpus multi ſumus, qui de vno pane participamus. Quia verò Chriſtus (vt beatus Ioannes Chryſoſtomus ait) obtulit hoſtiam nos mundantem, quam & nos quoque nunc offerimus: ſic debent verba iſta canonis accipi, vt Deus pater in hanc oblationem, ſicut nos eam offerimus, & non quomodo ille obtulit, reſpicere dignetur. Quam ſententiam neceſſariò requirunt verba quæ ſequuntur: Sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui iuſti Abel, Abraham, & Melchiſedec. Sacrificia certè illa patrum propter Chriſtum quem deſignabant, ac propter mandatum Dei illa requirentis non poterant ipſi non placere: & tamen quod ad eorum obedientiam attinebat, quam in ſacrificando Deo exhibebãt, in ſacrificiis illis figuratis orabant, quemadmodum & nos, vt Deus dignaretur ea accepta habere. Itaque panis ſanctus & calix ſalutaris non ratione capitis ſuperbenedicti illic ſe exhibentis (in quo patri bene ſemper complacuit) ſed ratione noſtri, qui illic quoque vnus cum Chriſto panis eſſe, myſticè ſignificamur, & quatenus nos ea offerimus, accepta haberi petuntur: hoc eſt, precamur, non vt Deus Chriſtum, quem paulò antè canon ipſe dilectiſsimum patri filium nuncupauit, ſed noſtrum iſtud ſeruitutis obſequium, repræſentatiuumq́ue & commemoratiuum ſacrificium reſpiciat, in quo ei carnem & ſanguinem filij ſui ſiſtimus, petentes vt

Auguſt. de doctr. Chriſt.

Pſal. 22.

1. Petr. 2.

ea ſemel

ea ſemel oblata in cruce, pro nobis quoque habeat accepta, fructum tam beatæ paſsionis nobis applicans & accommodans. Et quemadmodum petimus, vt perceptio corporis Chriſti ſit nobis ſalutaris, ſic petimus vt oblatio noſtra myſtica corporis Chriſti ſit patri pro nobis accepta. Atque hic loquendi modus eſt in ſcriptura plurimum vſitatus. Quis enim ignorat vetera patrum ſacrificia, quæ Chriſtum præſignabant, vel ob id quòd Deus ea præcepiſſet, fuiſſe per ſe munda, & Deo grata? At ſæpe tamen immunda vocantur in ſcripturis, non ratione ſui, ſed propter malam voluntatem offerentium, quemadmodum Chryſoſtomus explicat ſecunda aduerſus Iudæos homilia. Sanctus autem Baſilius in ſuo miſſæ canone omnem calumniam aufert. Sic enim orat: Reſpice ſuper nos Deus, & ſuper hanc noſtram latriam, quam acceptam habere digneris, ſicuti accepta habere dignatus es munera Abel, ſacrificia Abrahæ, &c.

DOROTHEA.

Perſequere quæ ſuperſunt.

THEOPHILVS.

Sequitur in canone: Supplices te rogamus omnipotens Deus, iube hæc perferri per manus ſancti Angeli tui in ſublime altare tuum, in conſpectu diuinæ maieſtatis tuæ, vt quotquot ex hac altaris participatione ſacroſanctum filij tui corpus & ſanguinem ſumpſerimus, omni benedictione cœleſti & gratia repleamur, per eundem Chriſtum dominum noſtrum, Amen. *Nona pars.*

DOROTHEA.

Ecquis huius precationis ſenſus eſt?

THEOPHILVS.

Hunc habet ſenſum: Cùm probè ſciamus, ô Deus omnipotens, myſticam hanc noſtram oblationem corporis & ſanguinis dilectiſsimi filij tui, quam tibi ſub panis & vini figuris in terreno ipſo altari exteriori operatione offerimus, beatiſsimam eius paſsionem tibi rurſus figuraliter proponentes cum immenſa gratiarum actione, propter indignitatem noſtram tibi placere non poſſe: idcirco te ſupplices rogamus, vt per eum ipſum, qui eſt magni conſilij angelus, eadem illa tibi offeratur in ſublimi

Eſai.9. tuo altari humanitatis eius, quam ſuper omnes cœlos exaltaſti,& ad dexteram tuam collocaſti,quò ſic ad noſtram reconciliationem ſemper in conſpectu tuo appareat & lu-
Heb.1. ceat. Senſus etiã bonus erit,ſi oretur, vt Deus iubeat oblationem noſtram,hoc eſt,noſtra vota,ſupplicationes & preces, per ſanctos angelos (qui ſpiritus adminiſtratorij in miniſterium emittuntur propter eos qui hæredes erunt ſalutis) in conſpectum diuinæ maieſtatis ſuæ perferri: vt quotquot ex hac altaris participatione ſacroſanctum filij eius corpus & ſanguinem ſumpſerimus,omni benedictione cœleſti & gratia repleamur. Hoc enim officium bonis angelis in ſcripturis paſsim attribuitur, quòd perferant
Tobiæ 12. orationes noſtras ad Deum. Aliquid autem perferri ad
Pſal.78. conſpectum Dei ſecundum loquendi modum in ſcripturis
87. vſitatum,nil aliud eſt,quàm facta noſtra,deuotiones, vota
Eccleſ.35. & preces à Deo exaudiri,eíque acceptas gratasque eſſe. Quem ſenſum orationis quoque concluſio ſecum adfert: in qua luculenter oſtenditur & apparet, quomodo ſuperiora illa verba(quibus oratur,vt Deus hæc ſacrificia propitio ac ſereno vultu reſpicere dignetur) ſint intelligenda, ſic videlicet,vt reſpicere ea dignetur, non ob id quod peracta conſecratione ſunt ſacratiſsimum corpus & ſanguis dilectiſsimi filij ſui (in cuius faciem ſemper alioqui reſpicit) ſed propter nos,quò ſacroſanctum illud ſacrificium ſic tractare & ſumere poſsimus,vt non proueniat nobis,vt pote indignis,ad iudicium,ſed ad conſequendam benedictionem potius cœleſtem & gratiam,quomodo diuus Au-
Refertur de guſtinus in Ioannem annotauit. Qui manducat (inquit)
conſecr.diſt. carnem,& bibit ſanguinem Chriſti, vſque ad ſpiritus par-
2.Can.Cre- ticipationem,vt in corpore Domini tanquam membrum
dere. maneat,& eius ſpiritu vegetetur (quod eſt quando mandata ſeruat) ad altare Dei inuiſibile, quò non accedit iniuſtus, in ſacramento tantùm, non in ſpiritu percipiens corpus & ſanguinem Domini, ille peruenit, &c. Ad eundem modum in Græco Chryſoſtomi canone oratur: Pro adductis & ſanctificatis precioſis donis dominum Deum noſtrum deprecemur,vt dominus Deus noſter,qui ſuſcepit ea in ſanctum & ſupercœleſte & intellectuale altare ſuum, tanquam odorem bonæ fragrantiæ, viciſsim nobis mittat

tat diuinam gratiam, donúmque & communionem ſanctiſsimi ſpiritus.

DOROTHEA.

Secundùm priorem ergo ſenſum tu Chriſtum appellas angelum Dei, & altare eius.

THEOPHILVS.

Sanè quidem, idq́ue per omnia ſcripturę conuenienter,
quæ Dominum Ieſum, angelum magni conſilij vocat: at- *Eſai. 9.*
que alibi, angelum illum, de quo ait Dominus, Ecce ego *Exod. 23.*
mitto angelum meum qui præcedat te, & cuſtodiat in via,
& introducat in locum quem præparaui tibi: obſerua eum,
& audi vocem eius. Similiter ſcriptura appellat Dominum *Heb. 13.*
Chriſtum altare, & in Apocalyſi, aureum illud altare, in quo *Apoc. 8.*
& per quod omnes pij Chriſtiani vniuerſa ſacrificia ſpiritualia,
fidei, deuotionis, gratiarum actionis, votorum, orationum,
ſpei, & charitatis Deo patri debent offerre, ſicut &
Petrus ait Apoſtolus: Offerentes ſpirituales hoſtias acceptabiles
Deo, per Ieſum Chriſtum. Et, Habemus altare, de *1. Petr. 2.*
quo edendi poteſtatem non habent, qui tabernaculo de- *Heb. 13.*
ſeruiunt. Et paulò pòſt: Per ipſum ergo offeramus hoſtiam
laudis ſemper Deo, id eſt, fructum labiorum confitentium
nomini eius. Atque ita fit vt Chriſtus ipſe ſit, & ſacerdos, &
altare, & ſacrificium, vt in multis locis docet Auguſtinus. & *Auguſt.*
in libro de fide ad Petrum: Idem, inquit, ſacerdos eſt, & ſa- *lib. 10. de*
crificium: idem Deus & templum: ſacerdos, per quem ſu- *trinit. & in*
mus reconciliati: templum, in quo reconciliati: Deus, cui *pſal. 25. &*
reconciliati. Quod ſupra ex Apocalypſis 8. cap. citauimus, *26. & in*
clarè indicat Chriſtum aſtare tanquam mediatorem pro *lib. de fide*
nobis apud patrem ſuum cœleſtem, cũ corporis ſui ſacrifi- *ad Petr.*
cio, in thuribulo aureo, in charitate immẽſa, qua ſe pro to- *cap. 2.*
tius mundi peccatis tradidit acerbiſsimæ & contumelioſiſsimæ
morti, ad æternam reconciliationem omnium qui
crederent in eum. Iam huic vnico & æterno ſacerdoti magníque
conſilij angelo, tradunt ſacerdotes temporales,
& populus credentium hîc in terris, in miſſa myſticum
ſacrificium corporis & ſanguinis eius cum gratiarum
actione, piiſq́ue votis & orationibus: quæ ille ſuſcipiens,
reddit patri accepta, atque ita perfertur ſacrificium illud

ad Deum,hoc eſt, manu Chriſti, per meritum paſsionis ſuæ, & non aliter.

DOROTHEA.

Quid reliquum eſt in canone?

THEOPHILVS.

Sequitur defunctorum commemoratio his verbis.

Pars 10. canonis. Memento etiam, Domine, famulorum famularúmque tuarum, qui nos precesſerunt cum ſigno fidei, & dormiunt in ſomno pacis. N. Ipſis, Domine, & omnibus in Chriſto quieſcentibus, locum refrigerij lucis & pacis, vt indulgeas deprecamur, per eundem Chriſtum Dominum noſtrum.

DOROTHEA.

Quid ſibi vult hæc oratio?

THEOPHILVS.

Memoria in hac adhibetur fidelium Chriſtianorum, qui (vt arbitramur) ex hac vita exceſſerũt vera fide in Chriſtum, an tamen ſat emundati & purgati hinc emigrauerint, non ſatis conſtat. Quare eorum aliter quàm ſanctorum recordamur. Sanctorum enim memoriam agimus ante & poſt conſecrationem corporis & ſanguinis Chriſti cum ſingulari gratiarum actione: non vt oremus pro eis, ſed potius vt ipſi pro nobis interpellent quò ipſorum ſanctimoniam & vitæ integritatem ſequamur. Reliquorum verò in Chriſto defunctorum poſt conſecrationem tantùm reminiſcimur, & agimus quidem gratias, ob id quòd Dominus ipſe eos hinc euocarit cum ſigno fidei, hoc eſt, vbi dignè fidei ſacramentum acceperunt: vnde & ſperamus eos quieſcere in ſomno pacis, hoc eſt, in tranquillitate & pace conſcientiæ. At nihilominus ſimul etiam pro iis (quod pro ſanctis non facimus) ſupplicamus, vt Deus illis, & omnibus in Chriſto quieſcentibus, hoc eſt, qui in fide & confeſsione Chriſti mortui ſunt, locum refrigerij, lucis & pacis indulgeat per Chriſtum. Hanc differentiam Auguſtinus clarè deſcribit in Euangelium Ioannis. *Tract. 84.* Locus autem refrigerij eſt, vbi nullus eſt ardor, nullus cruciatus, nulla pœnarum afflictio. Locus lucis, vbi nulla eſt tenebrarum obſcuritas. Locus pacis, vbi certitudo eſt æternæ beatitudinis. Atque hic locus, Paradiſus eſt.

DOROTHEA.

Hanc pro defunctis precationem, eccleſiæ veteri incognitam fuiſſe aſſeuerant hæretici, nullúmque de ea in tota ſcriptura verbum fieri aiunt?

THEOPHILVS.

Vniuerſalis eccleſiæ omnium temporum conſenſus euidens planè teſtimonium eſt, conſuetudinem illam, qua in miſſæ ſacrificio fidelium defunctorum memoria colitur, ab Apoſtolorum traditione manaſſe.

Sanctus Dionyſius Areopagita libro de eccleſiaſtica hierarchia his verbis iſtud confirmat: Cap. 7.

Coacto ſancto cœtu, venerandus antiſtes, ſiquidem ſacerdotalis ordinis fuerat qui obdormiuit, ante ſanctum altare inclinans eum, orationem ad Deum inchoat, & gratiarum actionem. Si verò aut honeſtiſſimis monachis aut ſanctæ plebi inſertus erat, ad venerandum ſacrarium ipſum ante ſacerdotum reclinat ingreſſum. Deinde precem cum gratiarum actione peragit præſul. Deinceps verò miniſtri diuinis inſerta eloquiis, veriſsima de noſtra reſurrectione promiſſa recitantes, conſentanea tantundem valentia canunt pſalmorum cantica. Deinde miniſtrorum primus dimittit cathecumenos, ſanctóſque iam defunctos concelebrat, cum quibus & nuper vita functum pari laudatione proſequitur, hortatúrque omnes aſtantes vt ſibi ipſis identidem poſtulent beatam in Chriſto conſummationem. Poſteà accedens venerabilis præſul, precem ſuper eo ſacratiſsimam peragit, & poſt orationem ipſe quoque pontifex defunctum ſalutat, & poſt illum, qui aſtant omnes. Vbi verò cuncti conſalutauerunt, ſuper defunctum fundit oleum pontifex, & oratione pro omnibus facta honeſto in loco ponit corpus cũ æqualibus aliis corporibus ſanctis. Cæterùm iſta ſi viderint prophani, vel fieri à nobis audierint, latè (puto) ridebunt, noſtrúmque miſerabuntur errorem. Neque eſt ſanè cur miremur: niſi enim crediderint iuxta ſcripturæ fidem, non intelligent. Nos autem intelligentias eorum quæ geruntur ſpeculantes, Ieſu duce præuióque dicamus, pontificem non irrationabiliter in ſacrum introducere chorum, imponeréque defunctum. Oſtendit per id profectò omnes in regeneratione illas con-

ſecuturos ſortes, ad quas vitam hîc propriam direxerunt: puta ſi ad diuinam hîc imaginem quiſpiam ſanctiſsimè vixerit, quantum fieri poteſt vt homo Deum imitetur, diuina in ſeculo futuro, & beatiſsima donabitur requie. Sin autem ad ſummam illam non peruenit effigiem, ſanctè tamen ſe in vita habuit, paria & iſte meritis pręmia refert. Huius diuinæ iuſtitiæ cauſa præſul gratias agens, orationem ſacram peragit, venerandámque diuinitatem laudibus celebrat, qua deſtructum eſt iniquum & violentum contra nos omnes imperium, nóſque ad ſua iuſtiſſima iudicia tranſlati ſumus. Cantica autem & diuinarum promiſſionum lectiones declarant beatiſſimam requiem ad quam æternùm euehuntur qui ſanctiſſimè vitam exegerunt. Excipiunt etiam ac complectuntur defunctum, prætereáque viuentes ad ſimilem exitum & conſummationem cohortantur. Et paulò pòſt: Accedens, inquit, deinde venerandus antiſtes, precem ſacram ſuper mortuum peragit: póſtque precem & ipſe eum præſul ſalutat, & ſuo deinceps ordine, qui aſtant omnes. Precatur oratio illa diuinam clementiam, vt ei qui mortuus eſt omnium delictorum, quæ pro humana infirmitate admiſit, gratiam faciat, eúmque in luce & regione viuorum collocet, in ſinibus Abrahæ, Iſaac, & Iacob, in loco vnde aufugit dolor, triſtitia, & gemitus. Iſta (vt reor) perſpicua ſunt beatiſsima ſanctorum præmia. Quid enim immortalitati perfectæ omníque triſtitia vacuæ, ac plenæ perpetui luminis conferri poſſit? Licèt multum ſanè promiſsiones illæ omni ſublimiores noſtra mente ſint (quæ vocabulis congruis nobis deſignantur) longè tamen inferiores earum re & veritate appellationes habent. Verum enim profectò illud exiſtimandum eloquium eſt: Nec oculus vidit, nec auris audiuit, neque in cor hominis aſcendit, quod
Eſai. 64. præparauit Deus diligentibus ſe. Sinus autem beatorum
1. Cor. 2. Patriarcharum, reliquorúmque ſanctorum omnium, ſunt (vt equidem reor) ſacratiſſimæ illæ & beatiſsimæ ſedes, quæ omnes diuinam effigiem præ ſe ferentes in ſua ſuſpiciunt inſeneſcibili & beatiſsima requie. At fortaſſe inquies iſta rectè à nobis dici, verùm ambigere cuius rei gratia præſul diuinam precatur clementiam, defuncto

peccato-

peccatorum veniam poſtulans, & æqualem ſanctis ac lucidiſsimam ſortem. Si enim eorum quæ in vita geſsit, bonorum aut malorum, à diuina iuſtitia percipiet præmia, perfecit autem actiones ſuas in vita defunctus, quænam hunc oratio præſulis ad aliam (præter illam quam meruit, vitæ hîc actæ reſpondentem) transferet requiem? Non ignoro quidem & ego diuinis eloquiis accedens, ſingulis reddendam pro meritis ſortem. Concluſit enim Dominus, inquit, apud ſe, & referet vnuſquiſque ea quæ per corpus geſsit, ſiue bonum ſiue malum. Quòd autem iuſtorum preces etiam in vita iſta, non ſolùm poſt mortem, iis ſolis proſint qui digni ſunt, ſcripturæ nos edocet ſacroſancta traditio. Quid enim Sauli profuit Samuelis oratio? Quid Hebræorum iuuit plebem prophetica interpellatio? Quum itaque beatus pater ſcripturæ teſtimoniis oſtendiſſet, indignis piorum preces non prodeſſe, occurrit obiectioni ſuæ, ac dicit: Itaque ſcripturæ ſacræ acquieſcens, vtiles eſſe in hac vita dixerim ſanctorum preces, hoc modo ſcilicet, ſiqui ſanctorum munerum deſiderio incenſus, ad eáque percipienda piè affectus, paruitatis tamen propriæ conſcius quempiam ſanctorum virorum adeat, orétque ſibi adiutorem & peccatorem accedere, capiet ex hoc omnino vtilitatem commoda cuncta excedentem. Eſt enim & hóc diuinis ſancitum iudiciis, vt diuina munera iis, qui digni ſunt ſumere, decentiſsimo per eos tribuantur ordine, qui ea tradere non ſunt indigni. Hanc ſiquis ſpernat ſacroſanctam diſciplinam, atq; infœlici elatione ſeductus, dignum ſe diuina arbitretur familiaritate, ſanctoſq; deſpiciat: hic certè ſi petitiones indignas Deo, neque ſacras poſtularit, intentoq; careat diuinorum deſiderio ſibi ipſiq; conſentaneo, imperita poſtulatione per ſeipſum nunquam potietur. Quod autem attinet ad eas preces, quas (vt dictum eſt) antiſtes pro eo dicit, qui exceſsit è vita: operępreciumeſt quid de illo more à præceptoribus noſtris, qui diuino afflati inſtinctu erant, acceperimus exponere. Venerandus antiſtes (vt ſcriptura ait) interpres eſt iudiciorum diuinorum, angelus enim Domini omnipotentis Dei eſt. Itaque didicit ex ſcriptis diuinitus traditis, clariſsimam diuinamq; vitam iis qui piè ſancteq; vixerint, æquiſsima lance pro dignitate

reddi, dum diuina humanitas pro ſua benignitate rationem non habet earum macularum, quæ in eis pro humana infirmitate inſunt. Nullus enim (inquit) mundus eſt à labe. Iſta quidem nouit pontifex promiſſa à ſanctis eloquiis: petit autem ea fieri, donarique eis qui piè vixerunt præmia ſacra, ſimul quoque ſeipſum ad imitationem Dei benignius formans, & aliorum dona quaſi proprias expetens gratias. Et paucis interiectis ait: Neque enim vnquam peteret pontifex diuinæ iuſtificationis prædicator, quæ Deo ſciret nõ eſſe gratiſsima, & quæ largiturũ ſe ille nequaquam promiſiſſet. Quocirca prophanis vita functis non ita precatur, non modò quia in hoc proprium deſereret ordinem, & aliqua pontificalis officij præſumeret à diuino ſpiritu nequaquam agitatus: verùm quia & indignè orans, nõ exaudiretur, atque ad idipſum non immeritò illud diceretur eloquium iuſtitiæ plenum: Petitis, & non accipietis, quia malè petitis. *Iac. 4.*

Huic ſacratiſsimæ doctrinæ doctores omnes aſtipulantur, Græci pariter & Latini, quorum concors in hac rẽ ſententia eſt, mortuis viuentium ſuffragia prodeſſe. Inter Latinos ſcriptores primus occurrit Tertullianus, qui, authore diuo Hieronymo, floruit ſub Cęſare Seuero Pertinace & Antonino Caracalla circa annum à Chriſto paſſo ſexageſimum ſupra centeſimum. Is quidem libro de Monogamia, Vxor (ait) pro anima viri ſui defuncti orat, & refrigerium interim poſtulat ei, & in prima reſurrectione conſortium, & offert annuis diebus dormitionis eius. Si enim credimus reſurrectionem mortuorum, vtique tenebimur, cum quibus reſurrecturi ſumus, pro iis orare, rationem de alterutro reddituri. Et alibi teſtatur oblationes pro defunctis eccleſiam annua die facere. Et in libro, quem inſcripſit de caſtitate: Recordare, inquit, apud Deum pro cuius ſpiritu ores, pro quo annuas oblationes reddas. Et beatus martyr Cyprianus hunc pro iis, qui excedunt è vita & offerendi & orandi morem multò ante illius tempora & obſeruatum eſſe in Africa, & in vniuerſa eccleſia inſtitutum docet, ac religioſè ſanctéque pro mortuis ſacrificium fieri etiam fatetur. Eius hæc verba ſunt: Quod epiſcopi antecessores noſtri religioſè conſiderantes ſalubriter proui-

Tertullian⁹ *Lib. de coro. militis.* *Cyprianus lib. 1. epi. 9.*

prouidentes, cenſuerunt ne quis frater excedens, ad tutelam vel curam clericum nominaret, ac ſi quis hoc feciſſet, non offerretur pro eo, nec ſacrificium pro dormitione eius celebraretur. Neque enim ad altare Dei meretur nominari in ſacerdotum prece, qui ab altari ſacerdotes & miniſtros ſuos Leuitas auocare voluit. Et ideo Victor cùm contra formam nuper in concilio à ſacerdotibus datam Geminium Fauſtinum presbyterum auſus ſit actorem conſtituere, non eſt quòd pro dormitione eius apud vos fiat oblatio, aut deprecatio aliqua nomine eius in eccleſia frequentetur, vt ſacerdotum decretum religioſè & neceſſariò factum ſeruetur à nobis, ſimul & cæteris fratribus detur exemplum, ne quis ſacerdotes & miniſtros Dei altari eius & eccleſiæ vacantes ad ſeculares moleſtias deuocet. Hæc Cyprianus.

Sed audiamus quid de hac tota quæſtione ſentiat beatus Ioannes Chryſoſtomus. Sin peccator (ait) exceſſit è vita, ob eam etiam cauſam lætandum eſt, quòd peccata intermiſſa ſunt, nec ad vitium fit acceſſio, iſque non lugendus eſt, ſed adiuuandus ac ſubleuandus, quoad eius fieri poteſt precibus, eleemoſynis, & ſacrificiis. Neque enim imperitè excogitata ſunt, neque fruſtra eorum qui abierunt à vita in diuinis myſteriis colitur recordatio, eorúmque cauſa adimus ad aram, vt agnum ibi iacentem, qui totius orbis piacula in ſe recepit, precemur, ſed vt aliquod inde eis leuamentum accedat. Nec verò fruſtra is, qui adeſt ad aram, cùm myſteria ſacra veneratione digna aguntur, clamat pro iis omnibus, qui in Chriſto dormierunt. Si enim pro ipſis memoria non coleretur, eorúmque mentio non fieret, nunquam hæc dicta eſſent. Neque enim ludicra ſunt, & vana quæ obſeruamus (hoc Deus prohibeat) ſed peraguntur ſpiritus ſancti præſcriptione. Iuuemus igitur eos, mentionémque eorum faciamus. Si enim liberos Iob patris ſacrificium expiauit, quid dubitas, an noſtris oblationibus & ſacrificiis, quæ pro illis facimus, aliquod eis ſolatium leuamentúmque afferatur? Solitus eſt enim Deus etiam aliis pro aliis condonare: idque Paulus docuit his verbis: Vt ex multarum perſonis facierum eius quæ in nobis donationis eſt, per multos gratiæ agantur pro mul-

Chriſoſt. hom. 41. in epi. priorem ad Cor.

tis. Non eſt igitur quòd dubitemus opem ferre mortuis, precéſque pro iis offerre. Etenim commune totius orbis proponitur piaculum. Itaque ſpei fiduciæque pleni tum pro vniuerſitate precamur, eóſque inter martyres enumeramus, inter confeſſores & inter ſacerdotes. Sumus enim vnum corpus omnes, etſi alia membra aliis ſplendidiora ſint: poteſt illis omni ex parte venia comparari ex precibus, ex largitionibus quæ illorum cauſa fiant, & ex his qui cum ipſis appellantur. Atque hæc quidem Chryſoſtomus, qui alibi quoq; in hanc ſententiam loquitur. Non temere, inquit, ab Apoſtolis hæc ſancita fuerunt, vt in tremendis myſteriis defunctorum agatur commemoratio. Sciunt enim illis inde multum contingere lucrum, vtilitatem multam. Cùm enim conſtiterit populus extenſis manibus, & tremendum proponatur ſacrificium, quomodo Deum non exorabimus, pro his deprecantes?

Hom. 32. in Mat. & hom. 69. ad populum Antioch.

Damaſcenus quoque ei ſententiæ ſubſcribit in ſermone de iis qui in fide hinc migrauerunt. Apoſtoli (inquit) diſcipuli ſeruatoris, qui totius mundi circulum cepere, prædicando verbum vitæ quod ſuis oculis viderant, in tremendis vitalibúſque ſacramentis memoriam eorum, qui fideliter obdormierunt, adhibendam edixerunt. Quod adhuc firmiter, atque adeò ſine contradictione obſeruat Apoſtolica & catholica eccleſia Chriſti & Dei, à finibus vſque ad fines terræ, ab eo tempore vſque in præſens, & in finem mundi vſque. Omnino hoc neque vanè, neque abſurdè, neque temerè fortuitóve ordinatum eſt. Quæ enim Chriſtiana religio erroris neſcia ſuſcipit, & in tot ſæcula ſeruat inconcuſſa, minimè vana ſunt, ſed vtilia, Deo placita, ſalutíque noſtræ conducibilia plurimùm.

Augu. lib. confeſſ. 9. cap. 13.

In eadem quoque diuus Auguſtinus eſt ſententia, qui & ipſe pro matre ſua Monica orauit, ſcribítque popoſciſſe illam, vt ad altare Dei fieret eius memoria, vbi ſacra victima diſpenſaretur, qua chirographum, quod erat contrarium nobis, deletum eſt. Et idem alibi: Neque enim (ait) piorum animæ mortuorum ſeparantur ab eccleſia, quæ etiam nunc eſt regnum Chriſti. Alioqui nec ad altare Dei fieret eorum memoria in communione corporis Chriſti.

Lib. 20. de ciuit. Dei cap. 9.

Chriſti. Vnde libro de cura pro mortuis gerenda, ſic inſit: Non inaniter eccleſia pro defunctis quicquid poteſt religionis impendit. Libri ſecundi Machabæorum capite duodecimo legimus oblatum pro mortuis ſacrificium. ſed etſi nuſquam in ſcripturis veteribus omnino legeretur, non parua eſt vniuerſæ eccleſiæ, quæ in hac conſuetudine claret, authoritas, vbi in precibus ſacerdotis, quæ Domino Deo ad eius altare funduntur, locum ſuum habet etiam commendatio mortuorum.

Et capite quarto: Non ſunt (inquit) prætermittendæ ſupplicationes pro ſpiritibus mortuorum, quas faciendas pro omnibus in Chriſtiana ſocietate defunctis ſub generali commemoratione ſuſcepit eccleſia: vt quibus ad iſta deſunt parentes aut filij, aut quicunque cognati vel amici, ab vna eis exhibeatur pia matre communi. Nouiſsimo autem capite dicit, hoc vnunquenque facere diligentius pro neceſsariis ſuis cum recitatione nominum eorũdem, & in commune pro omnibus. In Enchiridio quoque ad Laurentium capite ſexageſimo nono dicit non eſſe incredibile nonnullos fideles igne purgatorij poſt hanc vitam purgari, hoc velocius aut tardius, quò magis minúsve bona pereuntia dilexerunt. Quamuis autem ibidem diuus Aguſtinus de purgatorio perinde loquatur, acſi de natura ac loco eius inquiri adhuc poſsit, & aut inueniri aut latere inquirentes: tandem tamen capite 110. in eodem libro concludit in hanc ſententiam.

Negandum non eſt defunctorum animas pietate ſuorum viuentium releuari, quum pro illis ſacrificium mediatoris offertur, vel eleemoſynæ in eccleſia fiunt: ſed eis hæc proſunt, qui dum viuerent, vt hæc ſibi poſteà prodeſſe poſſent meruerunt. Per fidem intellige & pia vota. Et addit: Cùm ergo ſacrificia ſiue altaris ſiue quarumcunque eleemoſynarum pro baptizatis defunctis omnibus offerũtur, pro valde bonis gratiarum actiones ſunt: pro non valde malis propitiationes ſunt: pro valde malis, etſi nulla ſunt adiumenta mortuorum, qualeſcunque viuorum conſolationes ſunt. Quibus autem proſunt, ad hoc proſunt, vt ſit plena remiſsio, aut certè vt tolerabilior fiat ipſa dãnatio.

Gregorius Nyſſenus epiſcopus, Baſilij frater, hunc

rogandi pro mortuis morem ab Apoſtolorum traditione fluxiſſe etiam ſenſit, vt ex eius verbis perſpici poteſt. ait enim: Nihil ſine cauſa inutilitérque, nec à Chriſti præconibus diſcipuliſque traditum eſt, nec in Dei eccleſia vbique obſeruatur, ſed res eſt vtilis Deóque grata, ſolemnis eorum qui in recta fide dormierunt, quæ in diuino ſplendidóque ſacramento agitur commemoratio. Nam quòd adfertur, Quia tu reddes vnicuique iuxta opera ſua: Et, Metet vnuſquiſque quod ſeminauerit: aliáque eiuſdem generis, de aduentu omnino creatoris, & tremenda illius diei ſententia dictum eſt, & de mundi huius termino. Tum enim omnino nullus erit opis locus, nullus auxilij, ſed omne patrocinium nihil virium habebit.

Athanaſius etiam eandem ſententiam amplectitur in oratione quam habuit de iis qui dormierunt. (Eam Damaſcenus citat in libro, quem ſcripſit in hæreticos, qui preces viuorum negabant prodeſſe mortuis.)Sic enim ait: Quòd ſi etiam in aera is, qui in religione mortem obierit, tranſlatus ſit, ne dubites Chriſti Dei implorata fide oleum ceràmque in ſepulcro accendere. Hæc enim accepta gratáque ſunt Deo, magnámque ab eo remunerationem accipiunt. Eſt enim oleum & cera holocauſtum: hoſtia autem incruenta propiciatio: beneficentia verò in egentes, omnis bonæ remunerationis acceſſio.

Queſt.34. Eadem eſt illius ſententia in libro quæſtionum: Quærit enim hoc modo: Quid ergo? Num aliqua beneficia animi hominum peccatorum, cùm pro illis cœtus celebrantur, & eleemoſynis donariíſque ac ſacrificiis percipiunt? Tum ita reſpondet. Si nullum ex eo beneficium conſequerentur, haud ſanè in exequiis illorum mentio fieret. Ac ſicut vitis extrà in agro floret, & tamen eius odorem vinum in vaſe conditum retinet, & ita ipſum vnà floret: ſic peccatorum animos ex incruenta hoſtia beneficentiáque aliis eorum cauſa impenſa aliquid boni percipere intelligimus.

Vnum prætereà Epiphanium virum & ſanctiſsimum & doctiſsimum proferam. Is quidem tertio libro, quos de hæreſibus ſcripſit, Aerium quendam ait, præter alios

errores,

errores, huius quoque de quo dicimus non tam defenſorem quàm authorem fuiſſe. Primùm autem eius rationes affert, deinde eas refellit: Cur (inquit) poſt mortem mortuorum nomina recitantur? Viuus, inquit, precatur, aut pecunias tribuit: quid hæc mortuo proderunt? Sin autem preces eorum qui hîc ſunt eos qui è vita exceſſerunt iuuant, nemo religioſè viuat, neque bene agat: ſed amicos quoſdam paret quo velit modo, vel pecunia, vel in morte amicos roget, precentúrque pro eo, vt ne quid illic mali perpetiatur, nec ea quæ ab ipſo admiſſa ſunt, vel grauiſſima ſcelera exquirantur. Ad hæc reſpondet his verbis: Quod ad nominum mortuorum commemorationem attinet, quid hoc vtilius eſſe poteſt? quid magis opportunum, aut admirabilius, quàm eos, qui ſunt in vita, in ea eſſe de iis qui migrant opinione, vt eos viuere exiſtiment, & credant non omnino deſiiſſe, ſed apud Dominum & eſſe & viuere? Et quemadmodum chariſsimum præconium ſignificat, ſpem eſſe iis, qui pro fratribus vt abſentibus precentur? Atque etiam preces, quæ cauſa eorum funduntur, adiumentum ipſis adferunt. Si enim tota peccata non tollunt: at certè, quia ſæpe in hoc mundo & non ſponte & ſponte peccauimus, faciunt vt id quod perfectius eſt ſignificetur. Nam & iuſtorum mentionem facimus & peccatorum: peccatorum, Dei miſericordiam implorantes: iuſtorum verò, vt Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum ab hominum ordine ſegregemus, &c.

Paulò pòſt huius inſtituti principium ad Apoſtolos refert his verbis: Tum verò id quod deinceps in hac cauſa ſequitur ita refellam, vt dicam hoc à patribus traditum, ab eccleſia, quæ id à patribus acceperit, obſeruari. Cui autem licebit patris aut matris leges inſtitutáque, quemadmodum ea, quæ à Salomone dicta ſunt, indicant, conuellere? Audi fili præcepta patris tui, & ne repellas leges matris tuæ. Quibus verbis oſtendit & ſcripto & ſine ſcripto quædam patrem, id eſt, Deum, vnigenitum, & ſpiritum ſanctum tradidiſſe. Mater autem noſtra eccleſia ſemper habuit inſtituta, quæ conuelli tollíque non poſsint. Atque hæc eſt Græcorum doctorum his de rebus ſententia. Iam redeo ad Latinos.

Beatus Ambroſius cùm multis aliis locis,tum epiſtolarum libro primo,epiſtola octaua ad Fauſtinum, ſuam de hac quæſtione ſententiam explicat.Conſolatur autem Fauſtinum,qui obitum ſororis grauiter ferebat. Hæc autem, inquit,ad tempus quidem erepta,nobis meliorem illic vitam exigit. Itaque non tam deplorandam, quàm proſequendam orationibus reor: nec mœſtificandam lachrymis tuis, ſed magis oblationibus animam eius Domino commendandam arbitror. Idem in libro de Satyri fratris exceſſu, commendat Deo fatrem. Tibi nunc,inquit,omnipotens Deus, innoxiam commendo animam, tibi hoſtiam meam offero, cape propitius ac ſerenus fraternum munus, ſacrificium ſacerdotis: hæc mei iam liba præmitto.Et in oratione de obitu Theodoſij imperatoris pro eo hunc in modum orat:Dilexi virum,& præſumo de Domino quòd ſuſcipiat vocem orationis meæ, qua proſequor animam piam. Circundederunt me dolores mortis,pericula inferni inuenerunt me. Et paulò pòſt: Conteror corde, quia ereptus eſt vir, quem vix poſſumus inuenire. Sed tamen tu ſolus,Domine,inuocandus es, vt eum in filiis repræſentes. Da requiem, Domine, perfectam ſeruo tuo Theodoſio, requiem illam quam præparaſti ſanctis tuis. Illò conuertatur anima eius,vnde deſcendit, vbi mortis aculeum ſentire non poſsit, vbi cognoſcat mortem hanc non naturæ finem eſſe, ſed culpæ. Quòd enim mortuus eſt, peccato mortuus eſt, vt iam peccato locus eſſe non poſsit. Reſurget autem,vt perfectior renouato munere vita reparetur.Dilexi,& ideo proſequor eum vſque ad regionem viuorum,nec deſeram, donec fletu ac precibus inducam virum quò ſua merita vocant, in montem Domini ſanctum, vbi perennis vita, vbi corruptelæ nulla contagio,nullus gemitus,nullus dolor, nulla conſortia mortuorum, vera regio viuentium, vbi mortale hoc induat immortalitatem, & corruptibile hoc induat incorruptionem.

In cantica ſerm. 66. Bernardus narrat ſua ætate fuiſſe hæreticos, qui animas defunctorum auxiliis viuentium fraudare voluerunt, nec crediderunt ignem purgatorium reſtare poſt

Lib. 2. de mortem. De quo beatus pater Auguſtinus: Qui coluerit

agrum ſuum interius,& ad panem ſuum quamuis cum labore peruenerit,poteſt vſque ad finem vitæ huius hunc laborem pati. Poſt hanc autem vitam non eſt neceſſe vt patiatur.Sed qui fortè agrum non coluerit,& ſpinis eum opprimi permiſerit, habet in hac vita maledictionem terræ ſuæ in omnibus operibus ſuis,& poſt hanc vitam habebit ignem purgationis,vel pœnam æternam. Verùm quid veterum nobis opus eſt teſtimonio, cùm ſcriptura ipſa præclarum det huius pro defunctis fidelibus precationis teſtimonium? Nam ſecundo Machabæorum libro legimus, quòd cùm ex Iudæis pauci conſerta pugna cecidiſſent, ob ſcelus quo ſe obſtrinxerant, occulẽtes ſinguli (vt pòſt cõpertum eſt) ſub veſtibus aliqua, quæ ſimulacris Iamnienſium conſecrata fuerant (ea enim Iudæis lege interdicta erant) tum Iudas Machabæus multitudinem hortatus eſt, vt ſe à peccato conſeruaret integrã, vt quæ videret ob oculos,quis euentus peccati cæſorum eſſet, ſtipéque viritim coacta,ad duo millia drachmarum argenti miſit Hieroſolymam, vt pro peccatis eorum qui occubuerãt ſacrificium offerretur,bono admodum ſcitoque inſtituto,qui de reſurrectione cogitaret.Niſi enim eos qui mortem oppetierant reuicturos ſperaſſet, ſuperuacuum erat & vanum orare pro mortuis. At cõſiderabat iis,qui cum pietate obiiſſent, optimum eſſe repoſitum munus, ſpémque ſalutis conſequendæ. Sancta ergo pia & ſalutaris eſt cogitatio pro defunctis orare,vt à peccatis ſoluantur:hoc eſt, à pœnis peccatis debitis liberentur, ſiue per ſacrificia oblata pro eis, ſiue per aliorum preces,ſiue per eleemoſynarum in pauperes erogationem.Ecquis poteſt eſſe aut proferri locus,quo apertius ſacrificia & preces mortuis prodeſſe doceatur? Nulla enim hîc obſcuritas,tenebræ nullæ, nulli circuitus ambagéſque verborum. Vſque adeóne frontem perfricabimus, vt, qui tot vanis prophanorum ſcriptorum commentis credimus, ſanctæ hiſtoriæ fidem derogemus, memorãti illi quidem eiuſmodi facinus,plenum vtique pietatis & miſericordiæ,à Iuda Machabęo editum: quẽ ſanctè & religioſè de reſurrectione cogitaſſe ſcriptura etiam ipſa teſtatur? Ea eſt pœnarũ liberatio,quibus ad tẽpus poſt hãc vitam obnoxiæ ſunt animę peccatorũ nomine,quæ dignis

Geneſi.con. Manichæos cap. 20.

pœnitentia fructibus minimè deleta fuerunt. De hac ipſa reſurrectione ſcriptum eſt: Beatus & ſanct⁹ qui habet partem in reſurrectione prima: in eo ſecunda mors non habet poteſtatem. Secunda enim reſurrectio, qua è ſepulchris excitabuntur corpora, communis eſt omnium.

Apoc. 20.

DOROTHEA.

Scio equidem precationem pro defunctis ſecundo Machabæorum libro valde commendari: ſed Machabæorum libros aduerſarij in diuinorum numero habendos eſſe negant. Quòd autem Auguſtinus eos vt germanos & canonicos amplectitur, quàm certa id faciat fide (inquiunt) intellectu facile eſt. Iudæi (ait) Machabæorum hiſtoriã non eo numero ac loco habent, quo legem, prophetas, & pſalmos, quibus Dominus ipſe teſtimonium reddit tãquã ſuis teſtibus, dicens neceſſe fuiſſe impleri omnia, quæ de ipſo ſcripta ſunt in lege Moyſi, & prophetis, & pſalmis. Eam tamen eccleſia nõ ſine vtilitate recepit, dummodo ſobriè legatur vel audiatur. An non (inquiunt illi) his verbis declarat Auguſtinus quàm leuis eſt eius libri authoritas, ſi cum iis ſcripturis conferatur, quarum teſtimonio Chriſtus vtitur? Ac diuus quidem Hieronymus confidenter pronũciat librum eiuſmodi non eſſe, vt legi debeat ad authoritatem eccleſiaſticorum dogmatum confirmandam. Hoc amplius ex ea ſymboli explanatione, quæ Cypriano tribuitur (hæc ſanè antiqua eſt, cuiuſcunque tandem ſit) facilè perſpici poteſt libros Machabæorum inter canonicas ſcripturas nequaquam tum fuiſſe receptos.

Auguſt. cõtra ſecund. Gaudentij epiſt. ca. 23.

Mat. ca. 7. 11. & 22. & Luc. vlt.

In præfat. in libros Salomonis.

THEOPHILVS.

Etſi authoritas ſecundi Machabæorum libri non talis ſemper fuit in eccleſia Chriſti, qualis earum ſcripturarum quarum teſtimonio Dominus vtitur: quia tamẽ ex eo poſſumus exempla depromere, quibus fideles exhortemur ad tolerantiam, conſtantiam, & martyrium, fidem virtutẽque eximiam proponentes piæ illius matris, & ſeptem eius liberorum qui pro Dei lege tuenda conſtantiſsimis animis mortem oppetierunt, ſemper in eccleſia receptus eſt inter libros eccleſiaſticos (vt videre eſt in illa ſymboli explanatione, quàm modò citaſti) & inter diuinorum voluminum adnotatus hiſtorias, teſte beato Hieronymo, poſteáque in canonicorum librorum aſcriptus eſt numerum in tertio Carthagi-

In prolog. ſuper lib. Machab.

Carthaginenſi concilio, cui interfuit diuus Auguſtinus, quodq́ue confirmatum eſt à generali illa Conſtantinopolitana ſynodo, in Trullo celebrata Iuſtiniano imperante. Quamobrem licèt, quod ad doctrinam fidei atque religionis attinet, non eãdem vim & authoritatem habeat quam cæteri, quibus ſua voce Chriſtus Ieſus authoritatẽ tribuit: non continuò tamen inficiandum eſt eius authoritatem valere, in iis quæ veluti per manus ab apoſtolis tradita accepimus, quæq́ue ſancti ſpiritus inſtinctu vniuerſa Chriſti obſeruat eccleſia. Hoc modo compluribus in locis affirmauit Auguſtinus eccleſiam Machabæorum libros pro canonicis habere, propter quorundam martyrum paſsiones vehementes atque mirabiles, qui, antequam Chriſtus veniſſet in carnem, vſque ad mortem pro Dei lege certauerunt, & mala grauiſsima atque horribilia pertulerunt: atque adeò eorum authoritatem adhibet ad comprobãdam pro defunctis fidelibus precationem, vt & antè diximus, & perſpicere licèt in ea oratione quam habuit ad fratres in eremo. Defunctis, inquit, cum omni diligentia miſereri & ſubuenire ſtudeamus, attendentes & quid Iudas Machabæus fecerit. Dixit enim quòd ſancta pro defunctis eſſet cogitatio exorare, vt à peccatis ſoluãtur. Ora ergo pro defunctis, vt dum fuerint in æterna vita, pro te orare non negligant. Expectant enim nos, vt iuuentur per nos. Tempus enim operandi iam profugit ab eis hæc ille. Quid, quòd canones Apoſtolorum eos libros approbant, & cum canonicis annumerant?

Augu. lib. 18. de ciuit. Dei ca. 36, & de doctr. Chriſt. lib. 2. ca. 8.

Serm. 44.

DOROTHEA.

Clamitant illi, authorem libri ſatis oſtendere quantum ipſi deferendum ſit, quum veniam in fine precetur, ſiquid minus benè dixerit. Nam qui ſcripta ſua indigere venia fatetur, ſpiritus ſancti oracula eſſe negat.

THEOPHILVS.

Quę authoris verba ſint, agedũ videamus. Si bene dixi, inquit, & vt hiſtoriæ competit, hoc & ipſe volebam. Sin autem minus dignè, hoc eſt, exiliter ac tenuiter, concedẽdum eſt mihi. Nunquid his verbis ſcripta ſua indigere venia fatetur? ἐξ ὑποθέσεως loquitur, non ſimpliciter, veniam poſcens ſi minus rectè & cõmentario congruenter quicquam

dixerit. Haud propterea tamẽ eum lapſum eſſe neceſſe eſt. Sed cùm hominis imbecillitatem agnoſceret, cuius non ſemper numeris omnibus abſoluta eſt oratio, animũ ſubmittere maluit ac ſeſe deiicere, quàm magnificè de ſe ſentiendo, arrogantiæ notam ſubire.

Quare vel hinc noſſe licet, ſpiritus ſancti eum inſtinctu afflatum (qui animo ſeſe deiicientes mirificè diligit) hiſtoriam illã texuiſſe. Nihil ergo prohibet quominus recipiatur tanquam à diuino ſpiritu dictata. Verùm enimuero illud ex aduerſariis ſciſcitari velim, quod ad hanc precationem attinet, an non magnæ in conſortes crudelitatis fuerit, & contra Dominum deteſtandæ temeritatis, ſi quis ab orationum noſtrarum commercio in Chriſto defunctos excluſerit? cùm nuſquam ſcriptura præcipiat, vt id factitet, & communionis ſpiritualis, quam cum omnibus ſanctis profitemur, ratio nominatim vetet? Ecquid tãdem reſpondebunt? Inficias ire non poſſunt, nihil contaminatum peccatorum ſordibus in ſãctam ciuitatem ingreſſurum. Quid ergo? Quæ ex corporis compagibus anima, charitate non vacua euolauit, inquinata tamen quotidianis ac leuioribus delictis, aut pœnæ alioqui temporariæ obnoxia, peccatorũ lethalium ergo, quæ in hoc ſeculo dignis reſipiſcentia fructibus minimè aboleuit, perpetuóne regno cœleſti pulſa exulabit? Eccleſiæ certè quidem preces ei non vulgarem (quicquid contrà deblaterent hæretici) opem auxiliúmque ferent.

DOROTHEA.

Sed quibus tandem authenticis fidéque dignis ſcriptis purgatorium aliquod eſſe probabis? locũ dico quibuſdam animis deſtinatum, vbi à peccatorum reliquiis expurgentur. Iactãt enim illud ſecuri verbi Dei fractum, dirutum, & à fundamentis prorſus euerſum eſſe.

THEOPHILVS.

Diuus ſanè Paul[9] docet, quòd ſi ex hac luce diſcedam[9], prius quàm commiſſa luerimus, ſenſibili igne torquebimur pœnas peccatis debitas ſuſtinentes antè quàm vita & gloria ſempiterna beati fruamur. Locus eſt huiuſmodi: Fũ-
1. Cor. 3. damentum aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Ieſus Chriſtus. Quòd ſi quis ſuperſtruit

ſuper

ſuper fundamentum hoc, aurum, argẽtum, lapides precioſos, ligna, fœnum, ſtipulam, cuiuſque opus manifeſtũ fiet. Dies enim declarabit, quòd in igne reuelatur: & cuiuſque opus quale ſit, ignis probabit. Si cuius opus manſerit, quod ſuperſtruxit, mercedem accipiet: ſi cuius opus exuſtum fuerit, damnum patietur: ipſe verò ſaluus fiet, ſed ſic, tanquam per ignem.

DOROTHEA.

Quid his verbis ſibi vult Apoſtolus?

THEOPHILVS.

Sermonem dirigit ad omnes diuini verbi miniſtros & paſtores, quibus eccleſiæ Chriſti docendæ prouincia delegata eſt. Hortatur autem eos etiam atque etiam videant, vt doctrinam fidei fundamento (quod Chriſtus eſt) congruentem doceant & inculcent. Per aurũ enim doctrinam intelligit, quæ ad amorem & contemplationem Dei pertinet: per argẽtum, quæ ad proximi ſpectat dilectionem: per lapides precioſos, doctrinam, quæ alias virtutes reſpicit ac pia opera, quæ animum excolunt & exornant: per lignum, fœnum, ſtipulam, doctrinam intelligimus & alias actiones pias, quæ cùm ſecularium rerũ, humanæ imbecillitati permiſſarum, amore & affectu terreno eduntur: qui quidem affectus non in eo mali genere locandus eſt, vt fundamentum diruat, cùm minimè aduerſetur charitati: ſed veniale peccatum eſt. Per diem Domini, intelligit diem iudicij diuini ſiue generalis, ſiue ſingularis. Per ignem primo & ſecundo loco, ſtrictum & exactum diuini iudicij examen, in quo dies ille reuelabitur. Per ignem extremo loco accipit ignem purgatorium ſiue purgantem, vt Theodoritus Græcus declarat. Hunc ignem (inquit) credimus eſſe purgatorium, in quo animæ, tanquam aurum in conflatorio purgantur. Origenes ſimiliter Apoſtoli verba exponens: Idcirco (inquit) qui ſaluus fit, per ignem ſaluus fit, vt ſi quid fortè de ſpecie plumbi habuerit admixtum, id ignis decoquat & reſoluat, vt efficiantur omnes aurum bonum, & cætera. Si quis multa opera bona, & parum aliquid iniquitatis attulerit, illud parum, tanquam plumbum, igne reſoluitur *Orig. hom. 6 in Exod.*

ac purgatur,& totum remanet aurum purum.Et ſiquis pl⁹ illic plūbi detulerit, plus exuritur vt amplius decoquatur, vt etſi puri aliquid ſit auri,purgatum tandē reſideat.Quòd ſi aliquis illuc totus plumbeus venerit,fiet de illo hoc quod ſcriptum eſt:Demergetur in profundum tanquam plumbum,in aqua vehementiſsima.Eodem modo hunc ignem

Hieron.lib. 18.commēt. in Eſaiam. Hieronymus accipit.Et ſicut Diaboli (ait) & omnium negatorum atque impiorum,qui dixerunt in corde ſuo,Non eſt Deus,credimus æterna tormenta:ſic peccatorum atque impiorum,& tamē Chriſtianorum,quorum opera in igne probanda ſunt atque purganda, moderatam arbitramur & mixtam clementiæ ſententiam iudicis.Diuus etiam Auguſtinus per ignem accipit ignem purgatorium. Certe

Auguſt. lib.de ciuit. Dei 21.cap. 26. poſt mortem huius corporis (ait) vſque dum veniatur ad ignem purgatorium in die damnationis & remunerationis,ſi in hoc temporis interuallo ſpiritus defunctorum qui ædificarunt lignum,fœnum, & ſtipulam,hunc ignem pati dicantur,quem alij non ſentiunt, qui talia ſecum ædificia non aſportarunt:vt ignem inueniant fluxæ ac temporariæ tribulationis,qui venialia peccata exurat, iſtud non reprehēdo.Sed quia dicitur:Saluus erit: ſic quaſi per ignē,ignis ille contemnitur,grauior tamen erit quàm quicquid poteſt

Idem in pſal.37. homo pati in hac vita. Ac alio quodam in loco precantis in morem Deum alloquēs:Ne me,inquit,Domine in indignatione tua arguas,ne in eorum ſim numero, quibus dices:Ite in ignem æternum, qui paratuſ eſt diabolo & angelis eius. Neque in ira tua me punias:ſed in hac vita me purga,vt ne amplius egeam igne purgatorio : iis quidem præparato qui ſalui fient,ſed ſic quaſi per ignem.Quid ita, niſi quia ſuper fundamētum ſuperſtruunt lignum,fœnum, ſtipulam?Quòd ſi ædificarent aurum,argentum,& lapides precioſos, ſecuri redderentur à duobus ignis generibus: non ab æterno ſolùm, qui æternùm ſceleratos cruciabit: ſed ab eo etiam,qui expurgabit eos,qui per ignem ſalui fient.Nam ſcriptum eſt:Ipſe vero ſaluus fiet,ſed ſic, tanquā per ignem.Et quia dicitur,Saluus fiet : hic ignis à nōnullis

Serm. 4.in commem.animarum. contemnitur,qui vtcunque per ignem ſalui fiant,hic tamē ignis grauior erit,quàm quicquid homo pati poteſt in hac vita.Addam & quod ſcribit concione quadam.Multi ſunt, inquit,

inquit, qui lectionem iſtam malè intelligentes, falſa ſecuritate decipiuntur, dum credunt, quòd ſi ſupra fundamẽtum Chriſti capitalia crimina ædificent, peccata ipſa per ignem tranſitorium poſsint purgari, & ipſi poſtea ad vitam perpetuam peruenire. Intellectus iſte, fratres chariſsimi, corrigendus eſt, quia ipſi ſe ſeducunt, qui taliter ſibi blandiuntur. Illo enim tranſitorio igne, de quo dicit Apoſtolus, Ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem: non capitalia, ſed minuta peccata purgantur. Paulò pòſt enumeratis minutis criminibus, quæ venialia vocamus, Ita, inquit, peccata ipſa in hoc ſeculo purgantur, vt in futuro ille ignis purgatorius, aut non inueniat, aut certè parum inueniat quod exurat. Si autem nec in tribulatione Deo gratias agimus, nec bonis operibus peccata redimimus, ipſi tandiu in illo purgatorio igne moras habebimus, quandiu ſupradicta peccata minuta tanquam ligna, fœnum, ſtipulam conſumãtur. Breuiter, Auguſtinus apertè docet eum ignem, quo Paulus ſaluum fore ait eum, cuius opus arſerit, diuerſum ab eo eſſe in quem coniecturus eſt miſeros Chriſtus his verbis, Ite maledicti in ignem æternum. Beatus etiam Ambroſius, explanans eundem Apoſtoli locum, ignem intelligit diuerſum ab eo, quo in perpetuum perfidi torquebuntur. Verba eius hæc ſunt: Saluum illum futurum dixit, quia non interibit ſubſtantia qua conſtat: ſicut & doctrina mala peribit, quia accidens cauſa eſt. Ideo autem dixit, Sic tamẽ quaſi per ignem, vt ſalus hæc non ſine pœna ſit: quia non dixit, Saluus erit per ignem, vt merito ſuo ab igni non cõbuſtus, ſaluus fiat examinatus per ignẽ. Sed cùm dicit, Sic tamen, quaſi per ignem: oſtendit ſaluum quidem illum futurum, ſed pœnas ignis paſſurum, vt per ignem purgatus fiat ſaluus, & non, ſicut perfidi, æterno igne in perpetuum torqueatur, vt ex aliqua parte operæprecium ſit credidiſſe in Chriſtum.

Lib. 21. de ciuit. Dei.

DOROTHEA.

Ego necdum video quis huius loci ſenſus eſſe poſsit.

THEOPHILVS.

Germanus hic ſenſus eſt. Si quis ſuper fundamentum hoc fidei in Chriſtum ſuperſtruit bonam ſanamque doctrinam, quæ in charitate & perfectione virtutum ſit ſta-

bilis: aut doctrinam, quæ cum rerum fluxarum atque fragilium coniuncta ſit amore, leuia item & venialia peccata, vniuſcuiuſque opus manifeſtum fiet. Dies enim Domini, hoc eſt, dies generalis aut ſingularis iudicij (quod fit ſtatim exhalata anima) illud declarabit, quia in igne, id eſt, in ſtricto & exacto diuini iudicij examine, reuelabitur. Et ignis, hoc eſt, ipſum Dei iudiciũ, exactè probabit examinabitq́;, quale ſit cuiuſque opus. Si cuius opus in eo igne ſine iudicio manſerit illæſum & commendatum, mercedem accipiet qui id ſuperſtruxit, in cœlum ſine mora ſubuolans. Si cuius opus arſerit exuſtumq́ue fuerit, hoc eſt, ab illo igni & iudicio reprehenſione caſtigationeq́ue dignum iudicetur, damnum patietur, qui illud ſuperædificauerit, hoc eſt, retardatus nonnihil, ſerius ad cœleſtem perennemq́ue gloriam perueniet, ac re vera ipſum opus repelletur, tanquam exuſtioni idoneum: ſed ipſe ſaluus fiet, ſic tamen quaſi per ignem, hoc eſt, per aliquam ſenſibilem pœnam, qua poſt hanc vitam expiabitur. Atque hinc intelligi poteſt, quàm eorum in hunc locum explanatio coacta ſit violenter contorta & parum Apoſtoli verbis cõgruens, qui nobis è manibus excutere conãtur certiſsimam, quam inde habemus, purgatorij probationem. Vt enim illis cõcedam poſſe nos metaphora quadam aut ſimilitudine, examen accipere ſancti ſpiritus (quod verbo Dei peragitur) omnem examinantis doctrinam, falſam quidem & prophanam profligãtis ac in nihilum redigentis, non aliter ac ignis ligna, fœnum, ſtipulam ſibi admota comburit & in cineres vertit: fidei autem fundamento conſentaneum approbantis: haud tamen admittere poſſum, per diem Domini diuum Paulũ intelligere diem illum, quo hoc examen verbi Dei ab hoc aut illo doctore & explanatore Euãgelij ſuſcipitur. Liquidò enim conſtat examen iſtud in hac fieri vita. At Apoſtolus hîc loquitur de illius diei tempore, quo manifeſtum fiet cuiuſque opus, vt ex eo certò apparet, quod paulò antè dixerat: Vnuſquiſque autem propriam mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem. Id quod poſt hanc vitam, non ante erit. Quod verò adiicit: Si cuius opus manſerit, quod ſuperædificauit, mercedem accipiet: ſi cuius opus arſerit, detrimentum patietur: ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen, quaſi

quaſi per ignem: An non iſtud, inquam, indicio eſſe poteſt, diem, de quo hîc loquitur, hac conſtante vita non futurum? Neque enim aliter perenni vita frui licet, quàm per mortem. Contrà tamen ſentiendum foret, ſi per diem Domini, dies accipiendus eſſet, quo examini verbi Dei admota doctrina aliqua probatur, hoc eſt, qualis ſit dignoſcitur: catholicáne & veritati Apoſtolicæ cōſentiens, an hominum capite excogitata. Quòd ſi genuinus is eſt huius loci ſenſus, quam tandem in hac luce mercedem accipient, qui eccleſiā Dei ſumma fidelitate ædificauerint? Nominatim enim dicitur, quòd vbi probatum fuerit ipſorum opus, mercedem ſuam accipient. Ecquam verò in hac mortalitate mercedem ſuis dignam laboribus poſsint accipere? Commendationémne & ſecundam apud homines exiſtimationem? haudquaquam profectò de tam leui mercede loquitur Apoſtolus. Spem æternæ vitæ? Id quidē prima frōte ſpecioſum eſt, ac ſuperiori illi expoſitioni nonnihil coloris dare poteſt. Sed eccleſia Chriſti, quæ ſola verum ſcripturarum intellectum habet, illos omui ſublata cunctatione, poſt diuini iudicij examen, ſempiternæ ſalutis hæreditatem mercedem accipere, intelligit & declarat. Sed fortè dicent, verba hæc [Si cuius opus exuſtum fuerit] hoc ſenſu poſſe accipi: hi eccleſiæ architecti, qui legitimum ſemper fundamentum (quod Chriſtus eſt) retinuerunt: hoc eſt, nihil deflexerunt à præcipuis & neceſſariis fidei capitibus: in leuioribus tamen, nec ita periculoſis hallucinati ſunt, commenta ſua Dei verbo admiſcentes: tales, inquam, operis ſui iacturam facient, cùm eorum doctrina ad ſancti ſpiritus examen admouebitur: hoc eſt, quod de ſuo, verbo Dei addiderunt, concidet ac diſperibit: ita detrimentum patientur. Nam inanem ſe operam ſumpſiſſe, fruſtráque laboraſſe ſentient: vnde pudore maximo non poterunt nō ſuffundi: ipſi tamen ſalui fient, non quòd eorum ignorantia & hallucinatio Domino probetur: ſed quia ſpiritus ſancti gratia & virtute ab illa repurgabuntur. Hęc in ſpeciem arguta videtur & probabilis explanatio, fieriq́ue poteſt vt eius prætextu rixoſus aliquis inſolentius ſe efferat, maioresq́ue ducat ſpiritus, oratione ſatis ſuperq́ue ſe inſtructū exiſtimans, ad omnia conuellenda quæ diximus: ſed illa

mox tenues in auras euaneſcet. Neque enim in toto Apoſtoli contextu dies Domini accipi poteſt, quo interpretantur ſenſu: vt interim taceam quòd, ſaluum fieri tanquam per ignem, aliud nihil eſt, quàm in beatorum cœtum conciliumq́; admitti, expurgatis igne maculis leuioribus, quæ in anima hærebant infixæ. Tota ergò licèt eorum ſchola arma capiat, tumultuetur, obganniat, ſibilis etiam pro libidine obturbet: nunquam tamen efficiet vt ea expoſitio ad verba Apoſtoli quadrare poſsit. Atque vt velim illorum exẽplo, per diem Domini, diem examinis ſancti ſpiritus, qui omnia ſuo tempore detegit & in apricum profert, intelligere: dicam eiuſmodi diem, illum eſſe quo Deo opt. max. viſum eſt in vnum ſpiritu ſuo cogere ſapientes & eruditos eccleſiæ ſuæ antiſtites, vt generali & œcumenica ſynodo ea definiant in rebus obſcuris & dubiis, quæ ad rectam fidem probatosq́ue mores pertinẽt: explanationem ſcripturæ quam hic aut ille adferet, nõ item. Examen enim verbi Dei (quod haud ego eo ſenſu inficiabor verum eſſe ſancti ſpiritus ignem) in eo ſeniorum conuentu in primis dominatur. Si Deus ergo perſæpe eccleſiã ſuam ita coẽgit, quæ ignem purgatorium eſſe ſententia grauiſsima declararit, atque adeò ſuffragia & preces viuentium, animis, qui eo purgantur igni, adiumentum leuamentumq́ue ſuppliciorum adferre, nónne fides eſt habenda iis quæ cenſuerit, rataque habuerit? præſertim cùm ei certiſsima non deſit promiſsio ſpiritus veritatis, cuius ope, ductu & auſpicio ſcripta diuina interpretatur & enucleat? Nemo ergo iam negare poterit, eos, qui ex diametro pugnantia cũ vniuerſę eccleſiæ decretis ac ſanctionibus profitentur & docent, veritati diuinæ humana commenta permiſcere. Quare doctrina quam toti nunc propinant orbi Chriſtiano, perdurare non poterit, ſed vt ſtipula admota igni, ſubitò conſumitur & deperit: ita & illa protinus corruet ac peſſundabitur. At licet id detrimenti accipiant huiuſmodi doctores, vt falſos ſe fuiſſe, & alios fefelliſſe videant: ſalui tamen fient, ſi examini ſancti ſpiritus & ſacroſanctæ ſynodi ſententiæ obtemperent. Sin minus, igne purganti expiari nunquam poterunt: ſed vnà cum Satana & eius angelis apud inferos miſeri ſine vlla ſpe melioris conditionis, ſæuiſsimis flammis

Concil. Cabilon. refertur de cõſec. diſt. 5. c. viſum eſt. Concil. Florent. & Baſilẽſ.

mis

mis indeſinenter conflagrabunt.

DOROTHEA.

Si(vt ais) cenſuit eccleſia,viuentium preces prodeſſe iis qui in Chriſti fide è vita exceſſerunt: cur tertio Toletano concilio interdictum eſt, ne ea precatio,quæ peruulgato more pro defunctis vulgò decantabatur, in poſterum adhiberetur in iuſtis faciẽdis:quod ſatis ſit corporibus Chriſtianorum,diuinorum canticorum cultum in ſpem reſurrectionis tribui?Sic enim nonnullos memini, cùm pro defunctis preces auerſarentur & exploderent,decretum ſacri huius concilij mihi recitaſſe.

THEOPHILVS.

Non bona illi quidem fide decreti verba retulerunt,ſed eius ſenſum planè peruerterunt. Neque enim vetat concilium,ne preces ad Dominum pro iis,qui in fide Chriſti vitam cum morte commutauere,fundantur: ſed ne funebre illud carmen, quod ethnico ritu à plangentibus in ducendis exiquiis, cantâri ſolebat,deinceps audiretur,vt quod à Chriſtiana pietate abhorreret.Nam tum per omnem penè Hiſpaniam & Galiciam idololatriæ ſacrilegium inoleuerat,quàm plurimis in errorem gentilium relapſis,dum Arrianæ hæreſis patrocinio omnis foueretur exceſſus, & licentia peccandi vigeret,vt ex 1.& 16.eiuſdem concilij cap. intelligi poteſt. Sed decreti verba audiamus. Qui diuina vocatione ab hac vita recedunt,cum pſalmis tãtùm modò & pſallentium vocibus debent ad ſepulcrum deferri.Nam funebre carmen,quod vulgo defunctis cantari ſolet,vel in pectoribus ſe,aut proximos aut familias cedere omnino prohibemus. *Tertij Tole. cõcil.ca.21. refertur 13. quæſt.2. Qui diuina vocatione.*

Sufficiat autem quòd in ſpe reſurrectionis Chriſtianorum corporibus famulatus diuinorum impenditur canticorum. Prohibet enim nos Apoſtolus ſanctus lugere defunctos, dicens:De dormientibus autem nolo vos contriſtari,ſicut & cæteri qui ſpem non habent, &c. Iámne vides quàm Neochriſtiani illi mutilarint lacerarintque ſanctiſſimum hoc decretum?Sed hæc miſſa facientes, veniamus,ſi placet,ad alios ſcripturę locos,quibus purgatorij ſtabilitur fides. Scriptum eſt apud Matthæum, vbi Chriſtus pecca- *Mat.12.*

tum & ſcelus in ſpiritum ſanctum admiſſum à cæteris diſtinguit: Qui dixerit verbum contra ſpiritum ſanctum, non remittetur ei neque in hoc ſeculo, neque in futuro. Hæc certè extrema verba neque apud Marcum, neque apud Lucam poſita ſunt. Cur ergo Matthæus adderet, niſi Chriſtus innuere vellet aliqua peccata remitti in futuro ſeculo? Neque enim hoc dicere poſſumus, illa vltima verba [in futuro ſeculo] redundare, cùm aperta ſit blaſphemia (& vt Baſilius ait, & res eſt) confirmare aliquod verbum in ſcriptis diuinis eſſe ſuperuacaneum. Quæ cauſa eſt quãobrem multi ſanctiſsimi doctiſsimique homines (in his Auguſtinus & Gregorius papa) eodem modo hunc locum accipiant. Auguſtinus quidem in libro 21. de ciuitate Dei capite 24. his verbis: Sicut etiam facta reſurrectione mortuorum, non deerunt, quibus poſt pœnas, quas patiuntur ſpiritus mortuorum, impertiatur miſericordia, vt in ignem non mittantur æternum. Neque enim de quibuſdam veraciter diceretur, quòd non eis remittatur; neque in hoc ſeculo, neque in futuro, niſi eſſent, quibus etſi nõ in iſto, tamen remitteretur in futuro. Gregorius autem libro quatto dialogorum idem ex eadem Chriſti ſententia dicit hoc modo: Sed tamẽ de quibuſdam leuibus culpis eſſe ante iudicium purgatorius ignis credendus eſt, pro eo quod veritas dicit, Si quis in ſanctum ſpiritum blaſphemiam dixerit, neque in hoc ſeculo remittetur ei, neque in futuro. In qua ſententia datur intelligi, quaſdam culpas in hoc ſeculo, quaſdam verò in futuro poſſe laxari. Quod enim de vno negatur, conſequens intellectus patet, quia de quibuſdam conceditur. Talis autem condonatio delictorum apud inferos nõ habetur: neque enim illic ſuppliciorum eſt liberatio, neque ſpes veniæ. Conſectarium eſt igitur vt id in purgatorio fiat. Quod idem apertiſsimè declarat diuus Bernardus (vt & ſuprà obiter diximus) cùm de ſui temporis hæreticis loquitur, qui Apoſtolici vocabantur. Nõ credunt, inquit, ignẽ purgatorium reſtare poſt mortem, ſed ſtatim animam ſolutam à corpore, vel ad requiem tranſire, vel ad damnationẽ. Quærant ergo ab eo qui dixit quoddam peccatum eſſe, quod neque in hoc ſeculo, neque in futuro remittetur, cur hoc dixerit,

Bernardus in Cant. Cãticorum ſermo. 66.

hoc dixerit, ſi nulla in futuro manet remiſſio purgatióve peccatorum.

DOROTHEA.

Iſtud illi nobis regerunt: Dominum illic de peccati culpa loqui. Itaque locum ſuperiorem nihil facere ad purgatorij confirmationem, cùm illic fateamur pœnam lui peccatorum, quorum culpa in præſenti vita remiſſa ſit.

THEOPHILVS.

Non in altero ſolùm ſeculo, temporariâ pœna peccatis debita capitalibus perfertur, quorum quidem hîc culpa remiſſa eſt, vt & æterna pœna: at quædam etiam peccata, vti leuia & quotidiana, condonantur, quod ad culpam attinet. Quò verò res tota penitius intelligatur, quid ſibi velit Dominus, patefaciam. Quum ſpem omnem veniæ præcidere vellet tam flagitioſæ nequitiæ, non ſatis habuit dicere, nunquam remiſſum iri, ſed quò magis amplificaret, partitione vſus eſt, qua & iudicium complexus eſt, quod ſentit in hac vita vniuſcuiuſque conſcientia, & ſingulare illud iudicium quod exercetur, vbi primùm animus ſe planè corporis vinculis relaxauit. Ac ſi diceret: Vos à malitioſa rebellione, nõ ſecus ac præſentiſsimo exitio cauete. Nam qui oblatam ſpiritus lucem deſtinatò compoſitoque extinguere conatus fuerit, neque in hac vita veniam conſequetur, quæ peccatoribus ad conuerſionem data eſt, neque in ſingulari illo iudicio, quo iudici Chriſto ſiſtetur, vt auferat quod actionibus vitæ promeritus fuerit, præmium ſcilicet, aut pœnam. Quocirca nullo modo ſententiam noſtram illorum huiuſmodi euertit aut labefactat reſponſio. Sed ad alia tranſeamus.

Seruator noſter in Euangelio ait: Concordiam beneuolentiámque habe cum aduerſario tuo citò, dum es in via cum illo: nequando te tradat aduerſarius iudici, & iudex te tradat miniſtro, & in carcerem coniiciaris. Amen dico tibi, non exibis illinc, donec perſolueris extremum quadrantem. Scio equidem ſimpliciorem huius loci hunc eſſe ſenſum: velle Chriſtum oſtendere quot periculis ac malis ſe obiiciant, qui ſummum ius obſtinatè pertentare malunt, quàm ex æquo & bono agere, quò vehementius *Mat. 5.*

ad æquam concordiam ſuos exhortetur. Niſi enim dum vita nobis ſuppetit, verè & ex animo aduerſatiorum noſtrorum animos nobis reconciliemus, poſtquam è vita exceſſerimus, in pœnarũ & cruciatuum locum detrudemur, vnde nunquam exire licebit. At tamen ſi nihil prohibet quominus eundem ſcripturæ locum aliis atque aliis modis exponamus, modò ne qui elicietur ſenſus cum cæteris diuinis ſcriptis pugnet, nónne per aduerſatium optimè accipiemus, conſcientiam noſtram lege Dei eruditam, quæ malæ voluntati ſemper aduerſatur, noſque dum perperam quid agimus accuſat? Per viam, vitam præſentem: per iudicem, Chriſtum, cui pater omne iudicium dedit: per miniſtrum, angelum, qui ſententiam Dei exequitur & implet: per carcerem, ſuppliciorum locum, quem diuus Ambroſius hic purgatotium appellat? Hic ergo loci iſtius ſenſus erit: Quandiu præſenti vita frueris, concordiam habeto cum tua ipſius conſcientia: hoc eſt, ſtudioſè fac viuas, pietatem cole, vide etiam atque etiam nequid deſignes, cuius cauſa negotium tibi tua conſcientia faceſſat, dicám ve impingat, ne te vita functum tradat iudicj, atque ſic in carcerem & locum ſuppliciorum coniiciaris. Neque enim inde elaberis, quoad extremum quadrantem perſolueris: hoc eſt, donec ad plenum minuta etiam & leuia peccata lueris. Cùm autem id minimè fieri poſſit in inferna damnatorum ſede, reliquum eſt alium ſubeſſe purgationis locum, vbi peccatis hæc temporaria pœna irrogetur. Atque in hanc ſententiam ait beatus Cyprianus: Aliud eſt veniam expectare: aliud, peruenire ad gloriam: aliud, in carcerem coniici, nec ante exire quàm extremus quadrans ſit perſolutus: aliud, fidei & virtutis mercedem ſtatim accipere: aliud, pro peccatis diutino dolore caſtigari, torqueri, diúque igne expurgari: aliud, abſterſiſſe ac eluiſſe omnium peccatorum maculas ſuo ſanguine: aliud, in die iudicij ad Domini ſententiam ſuſpendi differrique: aliud, ſine mora à Domino immarceſcibili gloriæ corona donari. Itidem diuus Bernardus: Scitote (ait) fratres, quod hîc neglectum fuerit, poſt hanc vitam in purgatoriis locis centuplicatò repenſum iri, vſque ad extremum quadrantem.

Lib.1.epiſt. 4.

Sed aliud

Sed aliud proferatur teſtimonium, quo clarius quod aſſeueramus innoteſcet.

Sic diuus Paulus ad Philippenſes ſcribit: Quapropter & Deus illum in ſummam extulit ſublimitatem, ac donauit illi nomen, quod eſt ſupra omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu ſe flectat, cœleſtium, ac terreſtrium, & infernorum: omniſque lingua confiteatur, quòd Dominus ſit Ieſus Chriſtus, ad gloriam Dei patris. *2. cap.*

Per nomen autem Ieſu Paulus intelligit virtutem, poteſtatem, & maieſtatem, quam Chriſto Deus detulit. Per omne genu, accipit omnem creaturam. Per geniculationẽ ſeu genuflexionem, intelligit adorationem, honorem, ſubiectionem, obedientiam, venerationem, verumque pietatis cultum: ac ſi diceret: Quia Chriſtus ſemetipſum inaniuit ac deiecit apud homines, volenſque Deo obedientem ſe per omnia præſtitit vſque ad mortem, illum Deus in ſummam euexit ſublimitatem, mirificeque illuſtrauit, & nomen largitus eſt quod excellit omnẽ humanam gloriam, nimirum vt vniuerſæ creaturæ, vbi vbi ſint, ſiue in terris, ſiue apud inferos, ſiue apud ſuperos in cœlis, honorem ipſi deferant, dominum ſuum agnoſcant & fateantur, adorẽt, venerentur, & glorificent: nec vlla ſit vſquam lingua ſiue hominum, ſiue angelorum, quæ cum laude & gratiarũ actione non confiteatur Chriſtum Ieſum omnium rerum principem & dominum à dextris aſsidere Deo patri: hoc eſt, vt Deum, æqualem eſſe patri, vt hominem, in potioribus eſſe bonis ad dexteram patris ſupra omnem creaturã. Atqui ſatis conſtat perfidos apud inferos nullo Deum honore afficere, quemadmodum ſcriptum eſt: Non te laudabunt qui deſcendũt in infernum: ac licèt inuiti eius potentiæ ac virtuti ſubiicientur, nullo modo tamen ipſum adorant, laude vehunt, glorificant, ſed potius inualeſcente eorum ſuperbia, maieſtatis Dominum blaſphema voce vellicant & proſcindunt. Quapropter neceſſe eſt, cùm dicit Apoſtolus, honorem, adorationem, & gloriam apud inferos exhiberi Chriſto Ieſu, vt id fieri intelligatur in purgatorio ab animis, quorum maculæ abſterguntur & purgantur illic igne ſenſibili. *Pſal. 115.* *Pſal. 73.*

Atque hanc noſtram ſententiam confirmat quod in
Cap.5. Apocalypſi beatus Ioannes ſcribit: Et omnem creaturam quæ in cœlo eſt, & quæ ſuper terram, & quæ ſub terra, & in mari, & quæ in eis ſunt, omnia audiui dicentia: Sedenti in throno, & agno, benedictio & honor, & gloria & poteſtas in ſecula ſeculorum. Si enim æternis addicti ſuppliciis Deo non benedicunt, ſed eum maledictis figunt: neceſſe eſt vt hæc laus & benedictio ab iis exhiberi intelligatur, qui in purgatorij carcerem concluſi, Chriſto Ieſu gloriam & honorem deferũt, cuius redempti ſunt precioſo ſanguine, certò ſcientes ſe, omnibus expurgatis commiſſorum maculis, perenni luce & gloria perfruituros.

Neque verò abſurdum eſt, creaturas ratione carentes & inanimatas comprehendi hiſce verbis. Id enim fit ad maiorem gloriæ Chriſti amplificationem: quaſi Ioannes dicat: Singulæ orbis partes, à ſummo cœlorum vertice, ad vſque terræ centrum: angeli, beatique ſpiritus in cœlo: iuſti atque electi ſuper terrã: animæque fideles ſub terra: atque adeò ſol, luna, ſtellæ, mare, piſces, & cæteræ omnes creaturæ, ſingulæ ſuo modo laudant, celebrant, ac magnificant gloriam agni, qui Chriſtus eſt.

DOROTHEA.

Niſi moleſtum eſt, in medium adferam aliquot locos, quibus veritatis hoſtes purgatorium ſubruere, & preces ad Deum pro defunctis fuſas exigere ex eccleſia pelleréque conantur.

THEOPHILVS.

Licet, proferas quæcunque voles. Ego non inuitus nodos reſoluam, veritatemque illuſtrabo.

DOROTHEA.

Vt doceant nec preces, nec ſacrificium, nec quicquam aliud mortuis vſui eſſe, Chriſtum aiunt apud Matthæum affirmare, ſe redditurum vnicuique ſecundum opera eius, atque hanc ipſam ſententiam multis locis eſſe à Dauide defenſam: Oportere etiam nos manifeſtari coram tribu-
2.Cor.5. nali Chriſti, vt reportet vnuſquiſque ea quæ fiunt per corpus, iuxta id quod fecit, ſiue bonum, ſiue malum. Quæ ſi vera ſunt (inquiunt) preces viuorum prodeſſe mortuis non poterunt,

poterunt. Alioqui non reddet Chriſtus vnicuique ſecundum opera eius, ſed ſecundum aliorum opera.

THEOPHILVS.

Ad hæc nos hoc primùm reſpondemus, ſi hæc quæ proferunt, ita omnino vt volunt accipienda ſunt, nullum pœnitentiæ relictum iri locum, redditurúmque Chriſtum eorum ſententia Mariæ Magdalenæ, redditurum latroni qui ſe ipſe collegit ad ſeq; rediit, redditurum denique B. Petro, Paulo, cæteríſque beatis, pro iis malis quę aliquando geſſerunt, ſupplicium ſempiternum. Siquidem Paulus ait laturos omnes nos tum quæ quiſque geſſerit, ſiue bonum, ſiue malum. Quod ſi falſum eſt atque hæreticum, alia ſit illorum verborum ſententia neceſſe eſt. Itaque dicimus mortuis prodeſſe ſuffragia viuorum, ſed iis tantùm, qui, dum eſſent in vita, benè viuendo id egerunt, vt hæc illis poſt mortem prodeſſent. Ita nihil boni quenquam poſt mortem conſecuturum eſſe, qui eo in vita ſe dignum non effecerit. Ex quo efficitur vnumquemque id demum laturum, quod in vita (vt ita dicam) meruerit. Sed Auguſtinum hac de quæſtione differentem audiamus. Is quidem ſermone 32. de verbis Apoſtoli, vt de dormientibus non contriſtemur, ſicut & cæteri qui ſpem nõ habent, ſcribit his verbis: Cùm verò eorum commendandorum cauſa opera miſericordiæ celebrãtur, quis eis dubitet ſuffragari, pro quibus orationes Deo non inaniter allegantur? Non omnino ambigendum eſt iſta prodeſſe defunctis, ſed talibus, qui ita vixerunt ante mortem, vt poſſint eis hæc vtilia eſſe poſt mortem. Non ergo mortuis noua merita comparantur, cùm pro eis boni aliquid impendunt ſui, ſed eorum pręcedentibus conſequentia iſta reddũtur. Hæc & pluribus in libro de cura pro mortuis gerenda explicat, & apertius quę ſit ſuperiorũ Apoſtoli verborũ ſententia docet. Cùm enim initio libri, Paulini verba de eccleſię cõſuetudine quã ille ꝓbaret, poſuiſſet, verba illa Pauli deinceps, quę ſibi Paulinus difficultatẽ augere dixerat, ꝓfert & explicat his verbis: Sed cũ hæc ita ſint, quomodo huic opinioni cõtrarium nõ ſit, quod dicit Apoſtolus, Omnes enim aſtabim' ante tribunal Chriſti, vt ferat vnuſquiſq; ſecundũ ea, quæ per corpus geſſit, ſiue bonũ, ſiue malũ, nõ te ſatis videre ſignificas.

Hæc quidem Apoſtolica ſententia ante mortem admonet fieri, quod poſſit prodeſſe poſt mortem, non tunc quando iam recipiendum eſt, quod quiſque geſſerit ante mortem. Verùm hæc ita ſoluitur quæſtio, quoniam quodam vitæ genere acquiritur, dum in hoc corpore viuitur, vt aliquid adiuuent iſta defunctos: ac per hoc ſecundum ea quæ per corpus geſſerunt, eis quæ poſt corpus religioſè pro illis facta fuerint, adiuuantur. Sunt enim quos nihil omnino adiuuant iſta, ſiue pro eis fiant, quorum tam mala ſunt merita, vt neque talibus digni ſint adiuuari: ſiue pro eis, quorum tam bona, vt talibus non indigeant adiumentis. Genere igitur vitæ, quod geſſerit quiſque per corpus efficitur vt proſint, vel non proſint, quæcunque pro illo piè fiunt, cùm reliquerit corpus. Nam meritum per quod iſta proſint, ſi nullum cmoparatum eſt in hac vita, fruſtrà quæritur poſt hanc vitam. Ita fit vt neque inaniter eccleſia, vel ſuorum cura, pro defunctis, quod potuerit religionis impendat. Et tamen ferat vnuſquiſque ſecundum ea quæ per corpus geſſit, ſiue bonum ſiue malum, reddente Domino vnicuique ſecundum opera eius. Vt enim hoc, quod impenditur, poſſit ei prodeſſe poſt corpus, in ea vita acquiſitum eſt, quam geſsit in corpore. Hæc Auguſtinus.

DOROTHEA.

Eccl.cap.9. Aiunt & apud Eccleſiaſtem ſcriptum eſſe, mortuos nihil noſſe amplius, nec habere vltra mercedem, nec partem in hoc ſeculo, & in opere quod ſub ſole geritur. Proinde nec viuorum preces quicquam illis prodeſſe.

THEOPHILVS.

Salomon eo in loco mortuos cum viuis comparans docere intendit, homines, dum viuunt, iuſtos euadere poſſe, ſed nullam à morte boni operis occaſionem dari. Peccator autem viuus (ait) melior fieri poteſt iuſto iam mortuo, ſi voluerit eius amplecti virtutes. Scit enim ſe eſſe moriturum. Ita mortis formidine piis actionibus vacare poteſt. At mortui nihil iis addere poſſunt, quæ ſemel de hac vita ſecum abſtulerunt. Non enim iam eo loco ſunt, quo mereri quippiam poſſint: nec vllam norunt rationem, qua ad meliorem ſe frugem queant recipere. Qui

ſuper-

ſuperſtites ſunt ipſis, paulo momento eorum obliuiſcuntur, nec vllum iis dat pœnitentiæ locum Deus, licèt ipſorum meminerit, quò pœnas ab iis exigat. Nulli ſunt amplius occaſio vel amoris, vel odij, vel inuidiæ. Nullam in rebus externis iam partem habent, diuitiis, inquam, voluptatibus, & honoribus. Quamobrem ſingulari nobis eſſe curæ debet præſentis temporis commoditas, nec, cùm adeò precioſa ſit, vllo modo eſt negligenda.

DOROTHEA.

Vrgent illi hæc verba: Nec partem habent in hoc ſeculo, nec in opere quod ſub ſole geritur.

THEOPHILVS.

Non inuitus iſtud illis aſſentiar, vt ſuperiorem locum ſingulis literæ ſyllabis pertinaciter inſiſtentes, de perfidis verum eſſe intelligant: de iuſtis, non item. Alioqui ſi mortuos ab eccleſia excludi generatim accipiant, aut nullam habere partem eorum quæ ſub ſole fiunt, fatendum erit Abrahamum, eóſque omnes, qui ante Chriſti aduentum mortui ſunt, nullam habuiſſe partem in his quæ Chriſtus ſuper terram geſſit. Quod à veritate longè eſt alieniſsimum. Sanguis enim Chriſti non iis modò profuit, qui in vita erant, dum effuſus eſt, ſed iis etiam, qui multò antè vixerant, atque illis adeò, qui pòſt ad finem vſque ſeculi naſcituri erant. Cùm igitur ratiocinantur: Mortui nullam in iis partem habent, quæ ſub ſole fiunt: id de miſeris verum eſſe non inficiamur. Ita nihil quicquam viuorum preces iis commodant. Sed de iuſtis, qui mortem obierunt, id verum eſſe non poteſt. Licèt enim haud participent opus, quod in hoc ſeculo efficitur, propria cooperatione, qua è viuis exceſſerunt: fructus tamen, qui ex opere manat, fiunt participes.

DOROTHEA.

Quod ad purgatorium attinet, illud ſuperuertere ſe poſſe putant, eo quòd apud Eccleſiaſtem ſcriptum eſt: Si repletæ fuerint nubes, imbrem ſuper terram effundent. Si ceciderit lignum ad auſtrum aut ad aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit. Cùm mors (inquiunt) *Eccl. 11.*

caſus ſit hominis, nullus locus eſt medius inter cœlum, in quo beati apud Deum viuunt, & inferos, apud quos faci noroſi ſcelerum ſuorum pœnas expendunt. Quod ſi verum eſt, vbinam purgatorium? cùm ſit neceſſe animam corporis vinculis laxatam mox vel in cœlum recipi, vel in tartara detrudi.

THEOPHILVS.

Cùm ait concionator fore, vt lignum in quencunque locum inciderit, ibi maneat, nihil aliud ſignificat, quàm quòd homo mortalitatis lege per mortem corruens, hinc excedat vel in ſtatu ſalutis, vel in ſtatu damnationis, quia nullus inter eos alius eſt medius. Quandiu autem homo hoc corruptibili corpore grauatus hîc viuit, ipſum vel in gratia eſſe oportet & ſtatu ſalutis, aut extra gratiam in ſtatu damnationis. Si ergo moriens ad auſtrum cadat, ad partem electorum, vbi calor eſt diuinæ gratiæ & perpetuæ lucis, ibi erit & manebit. Sin ad aquilonem ceciderit, hoc eſt, ad infortunatorum partem, vbi perpetuum frigus & perennes tenebræ, ibi hærebit ac perpetuò damnabitur, quia tertia via non datur. In hac enim vita tempus eſt merendi & ſeminandi: in alia vita, colligendi. Dicimus ergo quòd animæ, quæ purgantibus pœnis affliguntur: ad auſtralem plagam perueniunt, in qua etiam permanebunt. Verùm quia adhuc ſecum trahunt labem aliquam terrenam ex contagione peccatorum, ad auſtrum cadunt, id eſt, ad locum beatorum, pro eo ac ad ipſum affecti ſunt, illóque digni. Sunt enim in via qua itur ad cœlum, nec ſtatim rapiuntur ad partem beatorum cum Chriſto regnantium, propter quædam obſtacula, quibus expiationis igne ſublatis, patebit illis cœleſtis regni ianua. Proinde purgatorium, in quo hæc obſtacula tolluntur, auſtralis plaga appellatur, non ſecus ac via quædam ducens ad regnum cœlorum, quod eſt plaga auſtralis, vt finis ac terminus. Cur enim via ad auſtrum, non poſſit dici auſtralis, vt à proprio termino? cùm in ea non ſunt niſi quibus paratum eſt regnum cœlorum à conſtitutione mundi, quod per auſtrum ſignificatur?

DOROTHEA.

1. Cor. 15. Addunt ſupradictis rationibus, ſatis ſupérque ex diuinis

uinis ſcriptis conſtare, quòd non alia ratione expiemur, *Col.* 1.
quàm ſanguine filij Dei, per quem liberationem habemus, 1. *Ioan.* 1.
nimirùm peccatorum remiſsionem, ſecundum diuitias *Rom.* 3.
gratiæ eius. Quòd ſi per vnum Chriſti ſanguinem com- *Epheſ.* 1.
miſſa noſtra eluuntur ac condonantur, id non fit igne pur *Heb.* 1. *&* 9
gatorio aut alia qualibet afflictione & moleſtia, quam 1. *Petr.* 1.
ſubeamus: multo minus autem noſtris meritis. Reliquum itaque eſt (aiunt) vt purgatorium (quod nobis eſt ſatiſfactio, quæ poſt mortem a defunctorum animis pro peccatis penditur) mera ſit, eáque horribilis in Chriſtum blaſphemia & exitiale ſatanæ commentum: vtpote cùm Chriſti crucem euacuet, contumeliam Dei miſericordiæ non ferendam irroget, fidémque noſtram labefactet ac euertat.

THEOPHILVS.

Scripturam certiſsimam eſſe veraciſſimámque fatemur, veram animarum noſtrarum lauationem in Chriſti, qui pro pœna peccatis noſtris debita ſatisfecit, ſanguine ſitam aſſeuerantes. Satisfactio enim (vt ſuprà docuimus) quæ ſcelerum noſtrorum remiſſionem nobis meretur, mortémque æternam abolet, nec igni cuiquam, nec afflictioni qua premamur, nec actionibus noſtris tribui debet. Nam nullus omnino hominum poteſt, vel pro culpa vnius peccati mortalis ſatisfacere & pœnam æternam ſuis delere meritis: ſed hoc Chriſto ſoli tribuendum, qui dedit ſemetipſum pro nobis, vt nos ab omni iniquitate redimeret, fa- *Tit.* 2.
ctus propitiatio pro peccatis noſtris, & pro totius mundi 1. *Ioan.* 2.
criminibus, nimirùm quod ad ſufficientiam attinet, non quantum ad efficientiiam: quod non omnes ſibi hunc ſatisfactionis Chriſti fructum applicari curent. Siquidẽ hæc ſatisfactio à Deo optimo maximo applicatur nobis per veram contritionem & fidem non fictam. Verùm quum ex diuinis ſcriptis compertum ſit, poſt remiſſionem peccati (quę vnius Chriſti beneficio per Dei miſericordiam nobis obuenit) adhuc quaſdam præteritorum peccatorum reliquias in anima hærere: deinde remiſſa culpa, non ſtatim omnem remitti pœnam, ſed tantùm pœnam æternæ mortis, quam etſi Deus in iuſtificatione hominis condonat, eius tamen loco temporariam pœnam frequẽter ſubſtituit:

caſus ſit hominis, nullus locus eſt medius inter cœlum, in quo beati apud Deum viuunt,& inferos,apud quos facinoroſi ſcelerum ſuorum pœnas expendunt. Quod ſi verum eſt,vbinam purgatorium?cùm ſit neceſſe animam corporis vinculis laxatam mox vel in cœlum recipi,vel in tartara detrudi.

THEOPHILVS.

Cùm ait concionator fore, vt lignum in quencunque locum inciderit, ibi maneat, nihil aliud ſignificat, quàm quòd homo mortalitatis lege per mortem corruens, hinc excedat vel in ſtatu ſalutis, vel in ſtatu damnationis, quia nullus inter eos alius eſt medius. Quandiu autem homo hoc corruptibili corpore grauatus hîc viuit, ipſum vel in gratia eſſe oportet & ſtatu ſalutis, aut extra gratiam in ſtatu damnationis. Si ergo moriens ad auſtrum cadat, ad partem electorum, vbi calor eſt diuinæ gratiæ & perpetuæ lucis,ibi erit & manebit. Sin ad aquilonem ceciderit, hoc eſt,ad infortunatorum partem,vbi perpetuum frigus & perennes tenebræ, ibi hærebit ac perpetuò damnabitur ,quia tertia via non datur. In hac enim vita tempus eſt merendi & ſeminandi : in alia vita, colligendi. Dicimus ergo quòd animæ, quæ purgantibus pœnis affliguntur: ad auſtralem plagam perueniunt, in qua etiam permanebunt. Verùm quia adhuc ſecum trahunt labem aliquam terrenam ex contagione peccatorum, ad auſtrum cadunt, id eſt,ad locum beatorum,pro eo ac ad ipſum affecti ſunt, illóque digni. Sunt enim in via qua itur ad cœlum, nec ſtatim rapiuntur ad partem beatorum cum Chriſto regnantium, propter quædam obſtacula, quibus expiationis igne ſublatis, patebit illis cœleſtis regni ianua. Proinde purgatorium,in quo hæc obſtacula tolluntur, auſtralis plaga appellatur, non ſecus ac via quædam ducens ad regnum cœlorum, quod eſt plaga auſtralis, vt finis ac terminus. Cur enim via ad auſtrum, non poſſit dici auſtralis, vt à proprio termino? cùm in ea non ſunt niſi quibus paratum eſt regnum cœlorum à conſtitutione mundi, quod per auſtrum ſignificatur?

DOROTHEA.

1.Cor.15. Addunt ſupradictis rationibus, ſatis ſupérque ex diuinis

uinis ſcriptis conſtare, quòd non alia ratione expiemur, *Col.* 1.
quàm ſanguine filij Dei, per quem liberationem habemus, 1. *Ioan.* 1.
nimirùm peccatorum remiſsionem, ſecundum diuitias *Rom.* 3.
gratiæ eius. Quòd ſi per vnum Chriſti ſanguinem com- *Epheſ.* 1.
miſſa noſtra eluuntur ac condonantur, id non fit igne pur *Heb.* 1. & 9
gatorio aut alia qualibet afflictione & moleſtia, quam 1. *Petr.* 1.
ſubeamus: multo minus autem noſtris meritis. Reliquum
itaque eſt (aiunt) vt purgatorium (quod nobis eſt ſatiſ-
factio, quæ poſt mortem a defunctorum animis pro pec-
catis penditur) mera ſit, eáque horribilis in Chriſtum blaſ-
phemia & exitiale ſatanæ commentum: vtpote cùm Chri-
ſti crucem euacuet, contumeliam Dei miſericordiæ non
ferendam irroget, fidémque noſtram labefactet ac e-
uertat.

THEOPHILVS.

Scripturam certiſsimam eſſe veraciſſimámque fatemur, veram animarum noſtrarum lauationem in Chriſti, qui pro pœna peccatis noſtris debita ſatisfecit, ſanguine ſitam aſſeuerantes. Satisfactio enim (vt ſuprà docuimus) quæ ſcelerum noſtrorum remiſſionem nobis meretur, mortémque æternam abolet, nec igni cuiquam, nec afflictioni qua premamur, nec actionibus noſtris tribui debet. Nam nullus omnino hominum poteſt, vel pro culpa vnius peccati mortalis ſatisfacere & pœnam æternam ſuis delere meritis: ſed hoc Chriſto ſoli tribuendum, qui dedit ſemet-
ipſum pro nobis, vt nos ab omni iniquitate redimeret, fa- *Tit.* 2.
ctus propitiatio pro peccatis noſtris, & pro totius mundi 1. *Ioan.* 2.
criminibus, nimirùm quod ad ſufficientiam attinet, non quantum ad efficientiam: quod non omnes ſibi hunc ſa tisfactionis Chriſti fructum applicari curent. Siquidē hæc ſatisfactio à Deo optimo maximo applicatur nobis per veram contritionem & fidem non fictam. Verùm quum ex diuinis ſcriptis compertum ſit, poſt remiſſionem peccati (quę vnius Chriſti beneficio per Dei miſericordiam nobis obuenit) adhuc quaſdam præteritorum peccatorum reliquias in anima hærere: deinde remiſſa culpa, non ſtatim omnem remitti pœnam, ſed tantùm pœnam æternæ mortis, quam etſi Deus in iuſtificatione hominis condonat, eius tamen loco temporariam pœnam frequēter ſubſtituit:

Idcirco eccleſia Chriſti alia quadam opus eſſe purgatione vidit, culpa etiamnum remiſſa, & ad expiandas præteriti peccati reliquias, & ad mitigandas ſeu tollendas temporarias illas pœnas nobis adhuc imminentes: quæ niſi in hac vita tollatur, reſtat vt eas in alio ſeculo perferamus, vtpotè cùm Deus ſimul miſericors & iuſtus ſit, dicente propheta: Iudicium & miſericordiam cantabo tibi Domine. Et alibi: Tu domine Deus miſerator & miſericors, & patiens, & multæ miſericordiæ, & verax. Proinde ſi Deus peccatorem in hac vita ad ſupplicium non repoſcit, præſens quod fuerat malum in diem abit, plagæque creſcunt: vt non ſine verſura pœnam diſſoluat homo, iuſta Dei ſeueritate illius in altero ſeculo peccata temporariis expurgante pœnis. Mendacium igitur blaſphemiæ plenum eſt, quòd dictitat purgatorium Dei miſericordiæ cõtumeliam irrogare, inanire Chriſti crucem, & fidem noſtram euertere. Haudquaquam certè dicimus defunctorum animos pœnam in purgatorio ferre, in capitalium ſatisfactionem peccatorum, quorum ipſis culpa, vnà cum æterna pœna, remiſſa & condonata non ſit in hoc mundo: at id ſolùm affirmamus, eos temporariam pœnam actualibus peccatis debitã pati, quorum in hac luce culpa ipſis contritionis beneficio remiſſa, & macula per gratiam deleta ſit.

DOROTHEA.

Sed nònne Chriſti Ieſu mors & perpeſſio ſatis eſt, ad abolendam cum culpa omnem pœnam, æternam & temporariam?

THEOPHILVS.

Satis quidem eſt, ſi Deo viſum ſit eius meritum homini adiungere per contritionis magnitudinem & vehementiã, qua animum eius exulceret. Sed eiuſmodi rara eſt gratia, nec ſatis exploratum, cuinam Deus hanc indulgeat. Itaque docemus temporariam pœnam ſæpius reliquam eſſe, remiſſa etiam culpa & abolita pœna æterna, quam (temporariam dico pœnam) perferre nos vel in hoc vel in altero ſeculo oportet, niſi dignis pœnitentia actionibus deleatur ne in ſummo iudice iniuſtitia conſpiciatur. Alioquĩ enim ratio vix inueniri poſſet, quomodo Deus ſemper iuſtus & ſanctus, non iniuſtus videretur, ſi pro delictis ſuis alius in hac vita

hac vita pœnam ſuſtineret, alius impunè abiret, niſi poſt hanc vitam æqua omnium compẽſatio expectaretur. Hoc amplius illud conſiderandum venit, delinquentium plerũque conditionem & cauſam diuerſam eſſe, cùm quidã paucis & minimis, alij multis & grauiſsimis criminibus implicentur: & alij magna tentatione impulſi, alij ſola animi malitia inducti peccent. Quod autẽ ad culpæ remiſſionem attinet, pares ſunt & qui multum, & qui parum deliquerunt. Vtriſque enim ex æquo culpa peccati & æterna pœna integrè per Dei miſericordiam & Chriſti meritum remittitur. Iuſtũ eſt igitur vt ſaltem in temporali afflictione impares ſint, qui in delinquendo multum impares fuerunt. Ita qui grauius deliquerit, acriori pœnæ ſubiicietur, vt compleatur quod ſcriptum eſt: Pro menſura peccati, erit & plagarũ modus. Et, Quãtum glorificauit ſe, & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum. Vnde ſatis euidenter conuincitur pro omni delicto (etiam ſi culpa, Deo miſerante, remittitur pœnitenti) pœnam vel in hac vita, vel poſt hanc vitam, ſuſtinendam, niſi homo iuſtã Dei vindictam ſpõtanea afflictione perceperit. Accede iam ad alias aduerſariorum rationes, ſiquæ adhuc ſuperſint.

Deuter. 25 *Apoc. 18. b*

DOROTHEA.

Chriſtus, inquiunt, affirmat eum, qui credit, non periturum, ſed perenni fruiturum vita. An non ergo veritatem ipſam apertè nec diſſimulãter oppugnant, atque adeò mendacij, quoad eius fieri poteſt, Dominũ conuincere conãtur, qui animas mortuorum in purgatoriũ ferri perhibent? *Ioan. 3.*

THEOPHILVS.

Nos vtique fatemur ingenuè, eum qui credat in Chriſtũ Ieſum ſeruatum iri, nec interiturũ vnquã. Ita quę in purgatorium cõtendũt animæ, expleto purgationis tẽpore in æternam ſubuolabunt lucẽ, nec interibũt vlla ratione. Quòd autem in cantico illo, quod offertorium appellatum eſt, ſic orat eccleſia: Domine Ieſu Chriſte, rex gloriæ, libera animas omnium fidelium defunctorum è manu inferni & è profũdo lacu, libera eas de ore leonis, ne abſorbeat eas tartarus, ne in obſcura tenebrarum loca præcipitẽtur: ſed eas vexillarius ſanctus Michael in ſancta repræſentet luce, quã olim Abrahæ promiſiſti & ſemini eius: id minimè oſtẽdit

ætas periiſſe (vt rudi & imperitę multitudini perſuadere volunt Satanæ miniſtri) alioqui preces pro iis haud fūderētur. Verùm per has voces, inferorum cruciatus, os leonis, lacus profūdus, Tartarus, & obſcura loca tenebrarum, pœnarum acerbitas & purgantis ignis afflictio declaratur: qui quidem, quod ad vehemētiam & aſperitatem attinet, idem eſt ignis cum inferno igne: quemadmodum diuus Gregorius docet, dum ait: In eodem electus igne purgatur, & cruciatur reprobus. Hoc tamē differunt, quòd infernus ignis æternus ſit: purgatorius, temporalis & tranſitorius. Quòd ſi audire prætereà cupis, quàm ſæuus ſit & aſper hic ignis, aduerte quid de ipſo dicat Auguſtin' his verbis: Prius purgandus eſt igne purgationis, qui in aliud ſeculum diſtulit fructum conuerſionis. Hic autem ignis etſi æternus nō ſit, miro tamen modo eſt grauis. Excellit enim omnem pœnā, quam vnquam paſſus eſt aliquis in hac vita. Nunquam in carne tanta inuenta eſt pœna, licèt mirabilia paſſi ſint martyres tormenta, & multi nequiter iniqui grauiſſima ſuſtinuerint ſupplicia. Studeat ergo quilibet ſic delicta corrigere, vt poſt mortem non oporteat talem pœnam tolerare. Et in hanc ſentētiam beatus quoque Gregorius ait, explanans primum verſiculum tertij pſalmi pœnitentialis: Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me: Scio futurum eſſe, vt poſt huius vitæ exitum alij flammis expientur purgatoriis, alij ſentētiam æternæ ſubeant damnationis. Sed quia illum tranſitorium ignem omni tribulatione præſenti exiſtimo intolerabiliorem, nō ſolùm in furore æternæ damnationis opto non argui, ſed etiam in ira tranſeuntis timeo correptionis purgari. Hæc ille. Iam ergo deſinant veritatis hoſtes eccleſiam Dei calūniis premere, aut inuidioſè criminari, quaſi fateatur animas in purgatorij carcere vinctas, damnatas eſſe & ęterno addictas incendio, aut certè de ſalute periclitari, quum animarū nomine ſic orat: Libera me, Domine æterna morte. Nihil enim aliud his verbis intelligit, niſi ignem, qui acerbitate aſperitatéque ſimilis eſt igni mortis ęternę, tametſi temporarius ſit.

Augu. de vera & falſa pœnitēt. cap. 18. Refertur diſtinct. 25 can. Qui in aliud. Et de pœnit. diſt. 7. ca. Nullus.

DOROTHEA.

Scriptum

Scriptum eſt (aiunt) Amen amen dico vobis, Qui ſermonem meum audit, & credit ei qui miſit me, habet vitam æternam : & in condemnationem non veniet, ſed tranſiuit à morte in vitam. An apertius docere poſſet ſcriptura, animos fidelium corporibus elapſos, rectà in vitam æternam perduci? Nominatim enim ait Dominus, Tranſiuit à morte in vitam, à morte ſcilicet corporali ad æternam vitam. Vbinam ergo purgatorium? Ioan. 5.

THEOPHILVS.

Quum Chriſtus ait, eum, qui ſermonem ſuum audit, & credit patri à quo miſſus eſt, habere vitam æternam, & in condemnationem non venire, ſed tranſiturum à morte ad vitam : fore pollicetur, vt qui in ipſum & patrem credunt, Euangelicamque ſuſcipiunt veritatem, damnationem non ſint ſubituri, cui propter Adami peccatum humanum genus obnoxium eſt (cùm iam habeant, ſcilicet in ſpe ac promiſsione, vitam æternam, & ſpiritum ſanctum, arrhabonem & pignus ſalutis æternæ) ſed à morte naturali aut temporaria tranſituri ſint ad vitam æternam. Iſtud nos tanquam veritatem ipſam amplectimur, affirmantes, quòd animi eorum qui è vita excedunt charitatis comitatu ſepti, leuium tamen ac quotidianorum delictorum non prorſus expertes, quorum nomine obnoxij ſint alicui temporariæ pœnæ, in purgatorium concedentes, tranſeant à morte ad æternam vitam, provt illius ſunt capaces, & ad eam conſequendam affecti. Sunt enim in via qua ad illam vitam itur. Licèt autem non ſtatim rapiantur ad beatorum cum Chriſto regnantium ſedes, abſterſis tamen purgante igni maculis, quibus in via retardantur, & cœleſtis regiæ ſummouentur ingreſſu, illuc expeditiſsimè peruolabunt, perennibus fruituri gaudiis. Itaque ſuperior ille locus nihil aduerſari purgatorio dignoſcitur. Quamuis enim animi fidelium ibi pœnam peccatis ſuis debitam ſuſtineant ad tempus, in damnationem tamen æternam non incurrunt, quemadmodum perfidi ex hac decedentes luce, ſed ad vitam æternam tranſierunt, quatenus omnino certi ſunt ſuæ ſalutis, patienterque purgationis terminum expectant.

Hom. in Ioan. 49. Quòd autem alicubi Auguſtinus ait, reſurrectionē carnis & æternam gloriam ab omnibus expectari: requiem verò, quæ poſt mortem ſequitur, tunc vnumquemque accipere, ſi dignus eſt, quum moritur: itaque pios omnes non minus quàm prophetas & Apoſtolos & martyres ſtatim à morte beata quiete frui, ſententiam noſtram haud euertit. Re vera enim pij omnes, vt carnis reſurrectionē expectāt, ita etiā corpora ſua ſperant æterna gloria tādem aliquādo decoratum iri. Interim fruuntur perenni requie, quam vnuſquiſque dum moritur, ſi dignus eſt, percipit. Sin autem eum aliquid terrenæ labis ab huius adeptione boni remoretur, id vbi abſterſum fuerit, quiete expectata fruitur, non ſecus ac prophetæ, Apoſtoli, & martyres. Breuiter, omnes qui in hac vita dum fuerūt, pietatem coluere, in beatorum cœtum conciliúmque ſtatim à morte ſubuehuntur, ſi nihil terrenæ ſordis eorum curſum retardet. Cęterū de eo quod ſcriptura teſtatur beatos mortuos qui in Domino moriuntur, rationem reddens, quia ex eo requieſcunt à laboribus ſuis, illorum operibus eos ſequentibus: id minimè aduerſatur purgatorio: *Apoc. 14.* Nihil enim aliud innuit Apoſtolus, quàm eos, qui in fide & confeſsione Chriſti Domini moriuntur, qui dum vixerunt, mortui mundo & peccato fuerunt, mortificationem ſcilicet Ieſu in ſuo corpore circūferentes, ter & amplius eſſe fœlices: Spiritumq́ue ſanctum dicere, fore vt requieſcant à laboribus, quos Chriſti nomine ad extremum vſque ſpiritum pertulerunt. Nam merces per gratuitam Dei liberalitatem illorū promiſſa bonis operibus, eos conſequitur. Quod nos itidem affirmamus, animas fatentes, quę purgatorium adeunt, valde beatas, quia requieſcēt à laboribus ſuis, terrenis expurgatæ ſordibus, quas per hæc contagia ex ſcelerum colluuione ſecum aſportarunt, æternæq́ue vitæ honoribus, præmiis atque ſplendore decorabuntur.

DOROTHEA.

Tu ſanè extorſiſti ex aduerſariorū manibus arma quibus purgatorium oppugnant, teſtimonia inquam diuinorum ſcriptorum queis abutuntur, tum ad eleuandam minuendámque purgatorij fidem, tum ad explodendas pro defunctis fuſas preces. Iam itaque cum vniuerſa eccleſia perſua-

perſuaſiſſimum habeo, talem aliquem re vera locum eſſe, in quo fideles animæ, quibus purgatione opus eſt, expiantur, preceſque pro illis adhibitas admodum eis conferre. Reuertere, ſi placet, ad canonẽ noſtrũ. Ecquid precationem conſequitur pro iis adhibitam, qui de vita deceſſerũt cum Chriſti fide & ſpe æternæ ſalutis?

THEOPHILVS.

Poſtrema ſanctorum commemoratio, iis verbis ſequitur. Nobis quoque peccatoribus famulis tuis, de multitudine miſerationum tuarum ſperantibus, partem aliquam & ſocietatem donare digneris, cum tuis ſanctis Apoſtolis & martyribus, cum Ioanne, Stephano, Matthia, Barnaba, Ignatio, Alexãdro, Marcellino, Petro, Felicitate, Perpetua, Agatha, Lucia, Agnete, Cecilia, Anaſtaſia, & cum omnibus ſanctis tuis, intra quorum nos conſortium, non æſtimator meriti, ſed veniæ quæſumus largitor admitte, per Chriſtum Dominum noſtrum: per quem hæc omnia Domine ſemper bona creas, ſanctificas, viuificas, benedicis, & præſtas nobis. Per ipſum, & cum ipſo, & in ipſo eſt tibi Deo patri omnipotenti in vnitate ſpiritus ſancti, omnis honor & gloria, per omnia ſecula ſeculorum. Reſp. Amen. *Pars canonis II.*

DOROTHEA.

Hanc explanato partem, vt & ſuperiores.

THEOPHILVS.

Poſt conſecrationem, hoſtia conſecrata non ſolùm eſt ſubſtãtialiter verum Chriſti capitis noſtri corpus, eiúſque verus ſanguis: ſed etiam Chriſti corpus eſt myſticũ: hoc eſt, ſignificat & repræſentat eccleſiam, quatenus capite & membris conſtat. Atque huius corporis ſancti partes quędam ſunt, quemadmodum ait Auguſtinus. Hãc ob cauſam ſacerdos & adſtans communitas hic pro ſe ipſis orant, vt Deus eis omnibus de miſericordia ipſius ſperantibus, partem & ſocietatem donare dignetur cum ſanctis ſuis, atque vt eos in illorum conſortium, non ex illorum merito, nec vt æſtimator meriti, ſed velut remiſſionis largitor admittat per Chriſtum: Hoc eſt, orant vt in Chriſto vnum cum ſanctis corpus eſſe poſsint, & in tali ſocietate re vera deprehendi: id quod potiſsimùm hoc ſacramento ſignificatur, vt B. Auguſtinus docet, inquiens: Myſterium veſtrum

in altari ſitum eſt, myſterium veſtrum accipitis: Amen reſpondetis ad id quod vos eſtis. Eſtote membra corporis Chriſti, vt verum ſit amen veſtrum. Ita tota oratio ex fide & charitate proficiſcens ſoli indulgentiæ & miſericordiæ Dei innititur, omnéque humani meriti præſumptionem excludit, ac per Chriſtum Dominum, omnia, quæ petuntur, concedi deprecatur.

Quod attinet ad id quod in ipſo contextu conſequitur: per quem hæc omnia bona nobis ſemper creantur, ſanctificantur, viuificantur, benedicuntur, & præſtantur: id eo dicitur, quòd Chriſtus (vti ſuprà diximus) inuiſibilis eſt ſacerdos, qui viſibiles creaturas verbi ſui poteſtate ſecreta in ſubſtantiam corporis & ſanguinis ſui trāſmutat & cōuertit. Atque vt Auguſtinus habet: Chriſtus ille eſt, qui inuiſibili ſpiritus ſui operatione, quod ex fructibus terræ acceptum eſt, ſanctificat, vt tam magnum ſacramentum ex eo fiat. Chriſtus etiam ille eſt, qui hæc in corpus viuificum, & ſanguinem ſuum tranſire facit: cùm cōcilium Epheſinum teſtetur, nos hic recipere veram & viuificam carnem, verbo æterno cōiunctam. Ac Chriſtus eſt qui bonis iſtis benedicit. Nam, vt beatus Auguſtinus teſtatur, non omnis panis, ſed accipiens benedictionem, Chriſti fit corpus. Chriſtus denique eſt, qui largitur bona iſta nobis, hoc efficientia, dū ſumūtur, vt Chriſtus in nobis ſit, & nos in Chriſto, vt Hilarius ait. Concluſio orationis eſt, Per ipſum, & cum ipſo, & in ipſo, eſt tibi Deo patri omnipotenti, in vnitate ſpiritus ſancti omnis honor & gloria. Chriſtus eſt enim per quem omnia creata ſunt, atque adeò eſt ille, per quē omnis creatura laudat Deum. Ille eſt qui patrem mūdo manifeſtauit, & quicquid perditum erat reſtaurauit. Ille eſt, per quem agnoſcimus, laudamus, & glorificamus Deū. Breuiter, Chriſtus eſt, cui cum patre omnis gloria eſt, cùm ſit patri in diuinitate æqualis, & habitet in ipſo omnis plenitudo diuinitatis corporaliter: per quem Deo patri in vnitate ſpiritus ſancti eſt omnis honor & gloria. Amen.

Lib. 3. de trinit. ca. 4.

De conſecr. diſt. 2. can. Non omnis

Lib. 3. de trinitate.

Ioan. 1. & 17.

Col. 2.

DOROTHEA.

Ecquid ſequitur.

THEOPHILVS.

Pars hæc communionem antecedit. Oremus: Præceptis ſaluta-

ſalutarib⁹ moniti, & diuina inſtitutione formati, audemus dicere: Pater noſter, qui es in cœlis, &c. Reſp. Sed libera nos à malo.

DOROTHEA.

Quid ſibi vult hæc precatio hoc adhibita loco?

THEOPHILVS.

Oratio eſt Dominica, qua ſupplicat eccleſia cõmuniter pro toto mundo, pro donatione ſpiritualiũ & tẽporalium bonorũ, præcipuè verò ſuperſubſtãtialis & cœleſtis panis, pro peccatorum remiſſione & liberatione ab omnibus malis. Hanc orditur eccleſia catholica à præfatione, qua veluti audaciam ſuam apud Deum excuſãs, quem patrem appellat, dicit Chriſtum præcepiſſe, ad exercendam fidem ita orare. Qua temeritate enim quis auſit Deum appellare patrem ſuum, niſi filius ita orare præcepiſſet? Vetus eccleſia olim finiebat canonem oratione Dominica. Quare ſequẽs precatio, excreſcentia appellata eſt: Libera nos quæſumus Domine, ab omnibus malis præteritis, prçſentibus, & futuris, & intercedente beata & glorioſa ſemper virgine Dei genitrice Maria, & beatis Apoſtolis tuis Petro, & Paulo, atque Andrea, cum omnibus ſanctis tuis, da propitius pacem in diebus noſtris, vt ope miſericordiæ tuæ adiuti, & à peccato ſimus ſemper liberi, & ab omni perturbatione ſecuri, Per eundem Dominum noſtrũ Ieſum Chriſtũ filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate ſpiritus ſancti Deus, per omnia ſecula ſeculorum, amen. Hac quidem precatione extremo canoni adiecta, vltima petitio Dominicæ orationis amplius explanatur, vt iam diximus.

DOROTHEA.

Suprà te obiter & in tranſcurſu dicere memini, eccleſiã ſemetipſam Deo per Chriſtum offerre ſolitam, cuius myſticum eſt corpus: hoc velim diffuſius mihi nũc explanari.

THEOPHILVS.

Cùm eccleſia in altaris ſacrificio reminiſcitur & agnoſcit, ex oblatione Chriſti ſemel in cruce facta, nos omneis (quod in nobis eſt) perditos eſſe & damnatos, niſi vnica illa oblatione, quam peregit Chriſtus in cruce Deo patri reconciliaremur, ſe totam tradit, offert atque dicat Deo patri per Chriſtum. Et ſicut Chriſtus in cruce

nos omnes portauit,omniáque totius mũdi peccata ſuſtulit in corpus ſuum, adeóque in ſeipſo eccleſiam patri obtulit,ita ex aduerſo & eccleſia tradit & offert ſeipſam patri hoſtiam viuã votis ſpiritualibus,quibus ſpondet ſe in Chriſto perpetuò manſuram,vt teſtatur diuus Auguſtinus.Hoc eſt (ait) ſacrificium Chriſtianorum:multi vnum corpus ſumus in Chriſto, quod etiam ſacramento altaris fidelibus noto,frequentat eccleſia, vbi ei demonſtratur, quòd in ea oblatione quam offert,ipſa offeratur.Nam quemadmodũ Chriſtus in vero & cruento ſacrificio crucis, & ſacerdos erat & hoſtia:ſic & in repræſentatiuo iſto ſacrificio (quo illud rurſus proponitur) ſe habet eccleſia,offerens per temporalem ſacerdotem miniſtrum ſuum, cum ipſa ſit hoc ſimul quod offertur.Eccleſia ergo (vt diximus)dum verum Chriſti corpus & ſanguinẽ offert,in eo ſimul ſeipſam myſtycè offert,cùm ipſa Chriſti Ieſu myſticum ſit corpus.

Lib. 10. de ciuit. Dei cap. 6.

DOROTHEA.

Nihil in toto canonis contextu animaduerti, quod pium non ſit,venerandum, & maximè verbo Dei conſentaneum.

THEOPHILVS.

Idcirco neceſſariò fatendum eſt,ſacrificium altaris (in quo quidem ſacerdos qui ſacrificat,perſonam primũ Chriſti repræſentat, deinde totius eccleſiæ, miniſterióque publico fungitur) modò ſecundum Chriſti inſtitutionem & exemplum piè celebretur,cætera ſacrificia noſtra(quę ſpiritualia ſunt duntaxat,vt omnia opera noſtra bona in fide facta) præcellere, atque adeò omnia roborare & cõfirmare.In eo præſens eſt illa victima, quæ ſemel in cruce oblata,nos Deo reconciliauit.Quare perbellè Cyprianus ait:In huius veraciſsimi & ſanctiſsimi corporis præſentia, non ſuperuacuè mendicant lachrymæ veniam,nec vnquam patitur contriti cordis holocauſtum repulſam. In eo eadem illa victima per manum Dei à reconciliatis accepta,rurſus myſticè in recordationem & gratiarum actionem immolatur,ac repræſentatur Deo.In eo ipſo eccleſia ſe totã Deo dicat & conſecrat, adeò vt idem Cyprianus ad Cæcilium ſcribens,tale ſacrificium,verum & plenum ſacrificium appellare non dubitauerit, in quo Hierarchia pius,quem ſpiritus ſan-

Cyp. de cæna Domini

ritus ſanctus compungit, excitat, inhabitat & ſanctificat, eleuatione manuum crucis myſterium repræſentans, confidenter orat pro ſua & populi ignorantia. Vide autem hîc, quàm nihil eorum ſpiritualium ſacrificiorum, per quæ immobiles adhæremus Deo, prætermittatur. In hoc ſacrificio principem ſibi locum fides vendicat, hoc eſt, fiducia remiſsionis peccatorum per Chriſtum, quod vtique ſacrificium illud eſt iuſtitiæ, de quo propheta dixit: Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ, & ſperate in Domino. Deinde cum hac fide neceſſariò coniuncta eſt gratiarum actio pro illo ſummo beneficio & nobis & vniuerſæ eccleſiæ collato. Quod dum memoria repetimus, qui fieri poteſt vt non accendamur mira quadam charitate erga Deum & proximos noſtros, cum quibus intelligimus nos vnum eſſe corpus in Chriſto, vt quemadmodum Chriſtus ſe totum donauit nobis, ſic & nos vtilitati proximorum totos impendamus? Vnus panus (ait Apoſtolus) vnum corpus multi ſumus, qui de vno pane & de vno calice participamus. Myſterium enim pacis & vnitatis noſtræ Chriſtus in ſua menſa conſecrauit, adeo vt qui accipit myſterium vnitatis & non ſeruat vinculum pacis, nõ myſterium accipiat pro ſe, ſed teſtimonium cõtra ſe. Inſuper fideles in hoc ſacrificio ſe totos Deo conſecrant, animus peccato moritur, cor ſurſum ad Deum erigitur, totúmque ád cogitationem & amorem Dei tam beneficentiſsimi conuertitur. Atque adeò anima, propter quam Chriſtus immolatus eſt, reconciliatione per Chriſtum accepta, ac ſanctificata Deo offertur, vt deinceps homo cum Paulo glorietur, & lætetur dicens: Viuo iam nõ ego, viuit verò in me Chriſtus. Corpus denique & quicquid ſumus, in hoc ſacrificio Deo conſecratur. Nam qui Chriſti corpus manducat, quid aliud profitetur, quàm ſe in Chriſto manere, & illum manentem in ſe habere? Qui ſanguinem bibit, quid conteſtatur aliud quàm ſe libenter etiam ſanguinem (ſi res ita poſtulet) fuſurum pro Chriſto, qui non tantùm pro eo ſanguinem fundere, ſed & eundem ſanguinem ſuum illi in potum propinare non dubitauit? Hæc igitur omnia ſi accuratius expendamus, in toto miſſæ contextu nihil abſurdi reperiemus,

Pſal. 4.

1. Cor. 10.

Augu. in ſerm. ad infant. de ſac. altaris.

Augu. in 6. ca. Ioan. ca. 26.

ſed potius omnia pietatis & venerationis plena, ea potiſſimùm quæ ſacro habentur canone. Aut enim eccleſia reſpicit ad corpus & ſanguinem Chriſti, pro ſe in cruce oblata, & vi omnipotentis verbi in altari præſentia: & non veretur hæc appellare, Hoſtiam puram,hoſtiam ſanctam, hoſtiam immaculatam, panem ſanctum vitæ æternæ & calicem ſalutis perpetuæ: aut ad oblationem repræſentatiuam & commemoratiuam paſſionis ſeu corporis Chriſti veri,quæ fide,miſericordiam perChriſtum apprehēdente, & redemptionem quæ eſt in Chriſto, Deo patri opponente, peragitur: nec dubitat hoc ſacrificium laudis offerre pro ſe ſuiſque omnibus, pro redēptione animarum ſuarum,pro ſpe ſalutis & incolumitatis ſuæ: nimirùm ſpem ſalutis & incolumitatis, ac redemptionem animarum debita laude & gratiarum actione Deo accepta referens: petitque vt hāc oblationem ſeruitutis ſuæ Deus placatus accipiat,diéſque noſtros in ſua pace diſponat,atque ab æterna damnatione nos eripi,& in electorum ſuorum grege iubeat numerari: non quidem ex meritis noſtris,aut ex dignitate noſtræ ſeruitutis, ſed per Chriſtum Dominum noſtrum. Denique quatenus eccleſia ſe ipſam Deo conſecrat, & per Chriſtum hoſtiam laudis, gratiarum actionis, breuiter fidei, ſpei,& charitatis offert, reddit vota ſua æterno Deo,viuo & vero.

DOROTHEA.

Sed vociferantur aduerſarij ſacerdotem de miſſa facere ſacrificium propitiatoriū,id quod ſacrificio in cruce oblato plurimùm derogat:ſic enim orat peracto miſſæ officio: Placeat tibi ſancta trinitas obſequium ſeruitutis noſtrę,& præſta,vt hoc ſacrificium,quod oculis tuæ maieſtatis indignus obtuli, ſit tibi acceptabile, mihique & omnibus,pro quibus illud obtuli,ſit te miſerante propitiabile: Qui viuis & regnas Deus per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

THEOPHILVS.

Haud magni ſanè momenti eſt hæc obiectio, cùm iam ſatis antè declaratum ſit, qualenam ſit miſſa ſacrificium. Vnde certè pręter omnem propitiatorij illius ſacrificij in cruce oblati imminutionem, piè orari poteſt, vt Deus alia etiā ſacrificia noſtra ſpiritualia (quales ſunt orationes,

eleemo-

eleemoſynæ,&c.) accepta habere dignetur,& per ea nobis propitius fieri. Imò ne is quidem ſtatim reprehendi debet, qui miſſam fortè propitiatorium ſacrificium appellarit, propter ſacrificium propitiatorium in cruce oblatũ,quod miſſa repræſentat. Si enim veteris teſtamenti ſacrificia ſine offendiculo & abſque iniuria propitiatoria, imò expiatoria appellantur,hac ſola de cauſa,quòd verum Chriſti ſacrificium,quod futurum erat vnica pro peccatis totius mundi oblatio,figurabant:ad hæc ſi patres veteris teſtamenti, quando talibus ceremoniis vſi ſunt, ipſoque vſu confeſſi, ſe credere,quod propter Meſſiam promiſſum dimitterentur eis peccata,remiſſionem peccatorum in ea fide ſunt cõſequuti: quare non permittatur nobis abſque reprehẽſione,noui teſtamẽti oblationem vocare propitiatorium aut expiatorium ſacrificium? ob id quòd ſit imago ſacrificij illius ſemel in cruce oblati,ſicut dicit beatus Chryſoſtomus, præſertim cùm ſpiritualiter vtentes hoc ſacrificio, hoc eſt, confitentes,nobis virtute paſſionis Chriſti, & ſacrificij in cruce oblati (quod myſticè & commemoratiuè noſtro ſacrificio repræſentamus & exhibemus) remitti peccata, remiſſionem peccatorum impetremus, eamque nobis applicemus?

DOROTHEA.

Adferũt & aliud veritatis hoſtes,vt ſacroſanctum iſtud ſacrificium omnibus deridendum, ſi fieri poſſit, obiiciant (hoc autem mihi penè exciderat.)Sacerdos, aiunt, ſexcentas hîc edit geſticulationes,vt qui artem tractãt ſcenicam, non pluribus eandem rem geſtibus ſciant effingere, non iniucundum ſui ſpectaculum inſano præbentes populo. Nam modò brachia extendit,mòdo iungit manus, nunc complicat digitos, nunc ſe ipſe inclinat, ſæpius ad populum ſe vertit, aliquoties populum ſalutat. Breuiter varios illos geſtus Moriſci choreæ (ſic enim loquuntur moriones illi) non ineptè quis comparauerit.

THEOPHILVS.

Diuus Thomas Aquinas perbellè ſatiſfaciet importunæ eorum & blaſphemiarum plenæ dicacitati. Audi igitur, ac cognoſces tantum abeſſe, vt in hac ſacratiſſima actione aliquid inſit hiſtrionicum,ioculare,ludicrum, vt ſacro-

ſanctis referta ſit repræſentationibus myſteriorum paſſionis Chriſti, noſtræ religioni congruentibus. Ea, inquit, quæ ſacerdos facit in miſſa, non ſunt ridiculæ geſticulationes: fiunt enim ad aliquid repræſentãdum. Quòd enim ſacerdos brachia extẽdit poſt conſecrationem, ſignificat extenſionem brachiorum Chriſti in cruce. Leuat etiam manus orando, ad deſignandum quòd oratio eius pro populo dirigitur ad Deum, ſecundum illud: Leuemus corda noſtra cum manibus ad Deũ in cœlũ. Et in Exodo dicitur, quòd cùm leuaret Moſes manus, vincebat Iſrael. Quòd autẽ manus interdum iungit, & inclinat ſe ſuppliciter & humiliter orans, deſignat humilitatem & obediẽtiam Chriſti, ex qua paſſus eſt. Digitos autem coniungit poſt conſecrationem, ſcilicet pollicem cum indice, quibus corpus Chriſti conſecratum tetigerat, vt ſiqua particula digitis adhæſerit, non diſpergatur: quod pertinet ad reuerẽtiam ſacramẽti. Quòd autem ſacerdos quinquies ſe vertit ad populum, fit ad deſignandum, quòd Dominus die reſurrectionis quinquies ſe manifeſtauit. Salutat autem ſepties populum, quinque vicibus quando ſe vertit ad populum, & bis quando ſe non vertit, hoc eſt, ante præfationem quum dicit, Dominus vobiſcum, & quum dicit: Pax domini ſit ſemper vobiſcum, ad deſignandam ſeptiformem gratiam ſpiritus ſancti. Epiſcopus autem celebrans in feſtis, in prima ſalutatione dicit, Pax vobis, quod poſt reſurrectionem diſcipulis dixit Dominus, cuius perſonam præcipuè repræſentat epiſcopus. Hæc vir ille ſanctus & eruditus.

Thomas Aquinas 3. par. quæſ. 83. art. 5.

Thren. 3.

Exod. 17.

DOROTHEA.

Subſannant etiam ac ludificantur frequentem crucis ſignationem, quę in celebratione ſacroſanctę miſſæ adhibetur, eoque veſaniæ progrediuntur, vt ſuperſtitionis eam ſugillare audeant.

THEOPHILVS.

Sceleratam illorũ linguam, ac nefarios ſermones diuus Thomas ibidem retundit. Sacerdos (inquit) vtitur in celebratione miſſæ crucis ſignatione ad exprimendã paſsionẽ Chriſti, quæ ad crucẽ eſt terminata. Eſt autẽ paſsio Chriſti quibuſdam quaſi gradibus peracta. Nã primò fuit Chriſti traditio, quæ facta eſt à Deo, Iuda, & Iudęis, quod ſignificat

Thom. 3. par. quæſt. 85. art. 5.

trina crucis ſignatio ſuper illa verba, Benedictã, Aſcriptã, Ratam. Vel ad oſtendendum precium venditionis, hoc eſt, triginta denarios. Additur etiam & duplex ſignatio ſuper illa verba, Vt nobis corpus & ſanguis, ad deſignãdam perſonam Iudæ venditoris & Chriſti venditi. Tertiò autẽ fuit præſignatio paſsionis Chriſti facta in cœna, ad quod deſignandum fiunt tertiò duæ cruces, vna in cõſecratione corporis, alia in cõſecratione ſanguinis, vbi vtrobique dicitur, Benedixit. Quartò autem fuit ipſa paſſio Chriſti, vnde ad repræſentandũ quinque plagas Chriſti, fit quartò quintuplex crucis ſignatio ſuper illa verba, Hoſtiam puram, Hoſtiam ſanctam, Hoſtiam immaculatam, Panem ſanctũ vitæ æternæ, & calicem ſalutis perpetuæ. Quintò repræſentatur extenſio corporis, & effuſio ſanguinis, & fructus paſsionis, per trinam crucis ſignationem, quæ fit ſuper illis verbis, Corpus & ſanguinẽ ſumpſerimus, omni benedictione, &c. Sextò repræſentatur triplex oratio, quam fecit in cruce: Vnam pro perſecutoribus, cùm dixit: Pater ignoſce illis: Secundam pro liberatione à morte, cùm dixit: Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me? Tertia pertinet ad adeptionem gloriæ, cùm dixit: Pater, in manus tuas commẽdo ſpiritum meum. Et ad hoc ſignificandum fit trina crucis ſignatio ſuper illa verba, Viuificas, Benedicis, &c. Septimò repræſentantur tres horæ, quibus pependit in cruce, ſcilicet à ſexta vſque ad horam nonam. Et ad hoc ſignificãdum fit iterũ trina crucis ſignatio ad illa verba, Per ipſum, & cum ipſo, & in ipſo. Octauò autem repræſentatur ſeparatio animæ à corpore per duas cruces ſubſequentes extra calicem factas. Nonò autẽ repręſentatur reſurrectio tertia die facta per tres cruces, quæ fiunt ad illa verba: Pax Domini ſit ſemper vobiſcum. Poteſt autem breuius dici, quòd cõſecratio huius ſacramenti, & acceptio huius ſacrificij, & fructus ipſius, procedit ex virtute Chriſti. Et ideo vbicunque fiet mentio de aliquo horum, ſacerdos crucis ſignatione vtitur. Poſt conſecrationem verò non vtitur ſacerdos crucis ſignatione ad benedicendum & conſecrandum, ſed ſolùm ad commemorandam virtutem Chriſti & modum paſsionis Chriſti. Hæc verba ſunt beati Thomæ Aquinatis. Hunc miſſæ canonem cum hiſce crucis ſigna-

tionibus in vſu eccleſiæ fuiſſe longo tempore ante beatum
Refertur in dec.diſt. 11. ca. Eccleſia. Baſilius lib. de ſpir.ſancto. cap. 27. & 29. Auguſtinum, ipſemet teſtatur, id ex dictis Baſilij probans, quum dicit: Eccleſiaſticarum inſtitutionum quaſdam in ſcriptis, quaſdam verò Apoſtolica traditione per ſucceſſores in miniſterio confirmatas accepimus: quaſdam verò conſuetudine corroboratas approbauit vſus. Et paucis interiectis ſubdit: Quæ enim (vt inde exordiamur) ſcriptura crucis ſignaculo fideles docuit inſigniri? Vel quæ trifaria digeſta ſuper panem & calicem prolixæ orationis (canonem intelligit) vel conſecrationis verba cōmendauit? Nam non modò, quod in Euangelio continetur, vel ab Apoſtolo, quod eſt inſertum ſecretis, dicimus: ſed & alia plura adiicimus, magnàm quaſi vim commēdantia myſteriis. Trifaria autem dicuntur verba, quæ eadem tertiò repetuntur in ſecretis, vt eſt, Hoſtiam ſanctam, Hoſtiam puram, Hoſtiam immaculatam.

DOROTHEA.

An non alij antiqui doctores de hac crucis ſignatione verba faciunt.

THEOPHILVS.

Cap. 8. Prorſus. Sanctus Martialis ad Burdegalenſes ſcribens: Crucem domini, inquit, in quem crediſtis, ſemper in mente, in ore, in ſigno tenete. Hoc ſolo ſigno cœleſtis victoria data eſt nobis, & per crucem baptiſma Dei ſanctificatum eſt. Tertullianus in libro de corona militis: Frōtem crucis ſignaculo terimus. Chryſoſtomus in libro aduerſus gentiles, ſignaculum crucis mirificè commendat, quantæ ſit & virtutis & vtilitatis exponens, ac inter alia ait: Neque ſic regia corona ornatur caput vt cruce, quæ omni cultu dignior. Subinde omnes ea ſe ſignant, inſcribendo in nobiliſſimum membrum noſtrum: in fronte enim noſtra, quaſi in columna quotidie figuratur. Atque idem alibi, Omnia, inquit, quæ ad ſalutem noſtram cōducunt, per cru-
Chryſ. hom. 55. in Mat. cem conſummantur: Nam cùm regeneramùr, crux Domini adeſt: cùm ſacratiſſimo alimur cibo, cùm in ordine conſecrandi ſtatuimur, vbique ac ſemper id victoriæ inſigne nobis aſſiſtit. Quapropter & in penetralibus, & in parietibus, & in feneſtris, & in fronte quoque ac mente, magno ſtudio crucem inſeramus, Id enim ſalutis noſtræ, id communis libertatis, id manſuetudinis, atque humilitatis Domini

mini ſignum eſt. Athanaſius, Signo crucis (ait) magica omnis pellitur ars, omne veneficium tollitur, omniſque irrationalis voluptas arcetur, eo ſi piè & in fide vtamur. Et alio quodam in loco: Legem Moyſi, inquit, videntes dæmones non tremunt, neque vident, quòd ea non ſit operata ſalutẽ: crucem autem vidẽtes ſæpe tremunt, fugiunt, euaneſcunt. Cui aſtipulatur Chryſoſtomus, dum ait dæmones, vbicunque viderint ſignum crucis, fugere, & ad conſpectum virgæ qua cæſi ſunt, ſemper tremiſcere. Hieronymus in nonum caput Ezechielis, explanans hæc verba, Tranſi per mediam ciuitatem in medio Hieruſalem, & ſigna Tau ſuper frontes virorum gementium & dolentium. Omnem, ſuper quem videritis Tau, ne occidatis: Tau litera, inquit, crucis habet ſimilitudinem, quæ in Chriſtianorum frontibus pingitur, & frequenti manus inſcriptione ſignatur. Et alibi, Ad omnem (ait) actum, ad omnem inceſſum manus pingat domini crucem. In quadam etiam epiſtola, Crebrò (inquit) ſignaculo crucis munias frontem tuam, ne exterminator AEgypti in te locum reperiat, ſed primogenita, quæ apud AEgyptios peremit, in tua mente ſaluentur. Lactantius item Firmianus: Extẽdit, inquit, Chriſtus in paſsione manus ſuas, orbemq́ue dimenſus, vt iam tunc oſtenderet, ab ortu ſolis vſque ad occaſum, magnum populum ex omnibus linguis, & tribubus congregatum, ſub alas ſuas eſſe venturum, ſignumq́ue illud maximum, atque ſublime, frontibus ſuis ſuſcepturum. Et paulò poſt: Agnus candidus ſine macula Chriſtus fuit, id eſt, innocens, & iuſtus, & ſanctus, qui ab eiſdem Iudæis immolatus, ſaluti eſt omnibus, qui ſignum ſanguinis, id eſt, crucis, qua ſanguinem fudit, in ſua fronte conſcripſerunt. Frons enim ſummum limen eſt hominis, & lignum ſanguine delibutum, crucis ſignificatio eſt. Idem ſequenti eiuſdem libri capite: Quanto terrori ſit dæmonibus hoc ſignum, ſciet, qui viderit, quatenus adiurati per Chriſtum, de corporibus quæ obſederint, fugiant. Nã ſicut ipſe, cũ inter homines ageret, vniuerſos dæmones verbo fugabat, hominumq́ue mentes emotas, & malis incurſibus furiatas, in ſenſus priſtinos reponebat: ita nunc ſectatores eius, eoſdem ſpiritus inquinatos de hominibus, & nomine magiſtri ſui, & ſigno paſsionis excludunt, &c.

Lib. 2. de incarnatione verbi.

Lib. quæſt. quæſt. 38.

Ad Euſtochium, de cuſtodia virginis.

Ad Demetriadem de virginit. ſeru.

Lib. 4. cap. 26. & 27. diuinarum inſtit.

Lib. 1. *cont.* Epiphanius Cypri epiſcopus narrat de potenti quodam Iu
hæreſ. tom. 2 dæo ad Chriſtianiſmum mirabiliter conuerſo, Ioſepho nomine, hiſtoriam talem. Ioſephus, inquit, acceptis à Conſtantino literis & poteſtate, in Tiberiadem venit, habens etiam epiſtolas, vt de regiis expenſis ſumptum faceret. Incepit itaque in Tiberiade ædificare. Erat autem opus calce & alia materia. Caminos itaque extra vrbem multos facere iuſsit. At verò callidi Iudæi incantationibus quibuſdam ignem ligare ac diſpergere aggreſsi ſunt. Quapropter commotus Ioſephus, & zelo erga Dominum correptus extra ciuitatem currit, & vbi aquam in vaſe adferri iuſsiſſet, accepto vaſe aquæ coram omnibus (multitudo enim ingens Iudæorum confluxerat ad ſpectaculum) magna voce crucis ſignaculum digito ſuo vaſi impoſuit, & inuocato Ieſu, ſic dixit: In nomine Ieſu Nazareni fiat virtus in hac aqua ad reprobationem omnis incantationis & magię, quã hi fecerunt, & ad efficaciam potentiæ ignis, ad perficiendam domum Domini: & ſic accepit aquam in manum, & de aqua ſingulos fornaces reſperſit, & diſſoluta ſunt incantamenta, & ignis coram omnibus emerſit.
Cap. 34. Libro hiſtoriæ tripartitæ nono legitur fuiſſe Apamiæ templum Iouis valde inſigne & robuſtum, quod cùm epiſcopus Marcellus cum præfecto Orientis igne iniecto iuſsiſſent euertere, apparuit illic deterrimus quidam dæmon, qui flammas ardentes prohiberet operari. Quod cùm epiſcopus audiſſet, repentè ad eccleſiam concurrit, & aquã in vaſculo apportari præcepit, qua ſubter altari locata in pauimento ſtratus Domino ſupplicauit, ne amplius tyrannidem dæmoni vllam permitteret: factóque poſteà crucis ſignaculo in aqua, tradidit eam Equitio diacono ſuo fide & zelo munito, præcipiens vt velociter curreret, ſupponerétque ignem & cum fide aſpergeret. Quod cùm feciſſet diaconus, dæmon, non ferens aquæ virtutem, aufugit. Aqua verò illa, tanquam in olei naturam verſa fuiſſet, arſit, comprehenſáque
Lib. 10. ligna & templum illud firmiſsimum ſolo deiecit. Euſebius
cap. 39. etiam in eccleſiaſtica hiſtoria, complures ſua tempeſtate Iudæos ab incendio, crucis ſignaculo, liberatos fuiſſe com-
Cap. 12. memorat. Damaſcenus quoque libro quarto orthodoxæ fidei, Crux nobis (inquit) ſignum data eſt ſuper frontem, quemad-

quemadmodũ Iſraeli circunſio: per ipſum enim fideles ab infidelibus & diſtamus, & diſcernimur. Ipſa eſt ſcutum, & arma & trophæum aduerſus diabolum. Ipſa ſignaculum, vt non tangat nos exterminator, vt inquit ſcriptura.

DOROTHEA.

Diuerſi geſtus & (quantum video) frequentes crucis ſignationes, quæ in miſſa adhibentur, magnam habent rerum maximarum ſignificationem. Sed dic, amabò: vtrúmne miſſa, Apoſtolorum, patrúmque priſcorum memoria vſitata fuit? An non eius celebrandæ forma diſcrepabat ab ea, quæ hodierno die vſurpata retinetur?

THEOPHILVS.

Si probè quæ ſuperius à nobis dicta ſunt meminiſti, non dubitabis quin Apoſtolorum etiam tẽpore in vſu frequenti fuerit. Eſt enim diuina inſtitutio, quum Chriſtus in ſacratiſsima ſua cœna primùm obtulerit, quando panem in ſuas ſanctas manus accepit, & gratias egit. Poſteà verò dedit Apoſtolis corpus & ſanguinem ſuum, mandans vt hoc facerent in ſui commemorationem, quod fecerat.

Deinde patrem rogauit pro toto mundo (vt nomen eius mundo manifeſtaretur) & pro omnibus in ipſum credentibus. Atque hinc facilè perſpici poteſt, Chriſtum non modò inſtituiſſe, vt corpus & ſanguis ipſius ſumerentur in memoriam ſuæ mortis & paſsionis, ſed verbi etiam ſui virtute conſecrarentur, & myſticè offerrentur. Quare diuus Auguſtinus diligenter iſta duo diſtinguit, Offerre & ſumere. In altari (inquit) offertur & datur, & peracta pietatis celebratione ſumitur. Cùm igitur ſacroſancta miſſa à Chriſto Domino inſtituta fuiſſet, ſanctus Petrus (vt fideles patrum hiſtoriæ nobis tradunt) primùm eam publicè in Antiochia Syriæ celebrauit: deinde in Vaticano, in Europa, addens verbis conſecrationis huius myſterij precationem Dominicam, qua quidẽ precatione & cæteri Apoſtoli vſi fuerunt in ſuis miſsis initio naſcentis eccleſiæ, ſicut teſtantur Gregorius in epiſtola quadam ad Ioannem Syracuſanum epiſcopum, & Remigius libro de diuinis officiis. Poſt id temporis, Petro Apoſtolo authore, ordinata eſt miſſa in eundem fermè modum quo hodie celebratur, teſte Iſidoro, qui floruit anno Domini 630. Ordo miſſæ, in-

Auguſt. li. de trinitate 3. cap. 10.

Epiſt. 63.

Iſidorus epi. Hiſpalenſis lib. 1. de offi.

ap. 15. quit, quibus oblata Deo ſacrificia conſecrantur, primùm à ſancto Petro eſt inſtitutus, cuius celebrationem vno eodémque modo vniuerſus peragit orbis. Hunc miſſæ ordinem à Petro inſtitutum legitur beatus Iacobus frater Domini in eccleſia Hieroſolymitana obſeruaſſe, ac mo-

Canon 32. numentis prodidiſſe, vt teſtatur canon ſextæ generalis ſynodi, his verbis: Iacobus frater Domini ſecundum carnem, cui primùm credita eſt Hieroſolymitana eccleſia & Baſilius Cæſarienſis epiſcopus, cuius claritas per totum orbem refulſit, in ſcripturis nobis addiderunt miſſæ celebrationem. Sed & Paulus poſteaquàm cum Petro & Iacobo contuliſſet Hieroſolymis, alium deinde miſſæ ac communionis ritum Corinthiis ſe traditurum promittit, dicens: Cætera, cùm venero, diſponam. Re vera autem non erat initiò mos Apoſtolorum ſacra fidei noſtrę myſteria ſcriptis tradere. Sed quia Chriſtus nouum teſtamentum non in litera, ſicut Moſes legem, ſed in cordibus fidelium

Refertur de conſecr. diſt. 1. cap. Iacobus.

Hier. 31. ſcripſerat, iuxta Hieremię vaticinium: Apoſtoli per manus tradiderunt myſteria, vt teſtatur S. Dionyſius B. Pauli diſcipulus, qui quidem D. Virginis interfuit obitui, ac memoriæ & literis prodidit formam celebrandæ miſſæ, quam obſeruarunt Apoſtoli. Is autem loquens de myſteriis fidei noſtræ per Apoſtolos traditis, ſubdit: Ac præterea quæ ab iiſdem ſanctiſsimis viris ſacratiore & purgatiore, & propinqua quodam modo cœleſti Hierarchiæ doctrina ſancti duces ac præceptores noſtri didicerunt, ex animo in animum (medio intercurrente verbo corporali quidem, ſed quod carnis penitus excedat ſenſum) ſiue literis transfuſa ſunt: & ipſi quoque ſanctiſſimi principes noſtri, dum ſacra publicè peragenda inſtituerunt, non apertis ac patulis ſenſibus, ſed ſignis auguſtioribus tradiderunt. Neceſſariò itaque primi illi noſtri ſacerdotalis muneris duces, cùm ex ſumma ſuperſubſtantialíque deitate ipſi ſancti muneris plenitudinem percepiſſent, & id ipſum deinceps proferre & propagare à diuina bonitate miſsi eſſent: ipſique (vt qui tranſiſſent in Deum) poſteros ad diuina prouehere affatim cuperent, viſibilibus ſignis cœleſtia ſacramenta texerunt, varietatéq; ac multitudine, quod vnicum eſt & collectum tradiderunt, & in humanis imaginibus res diuinas, materialibúſque

rialibúſque figuris ſpiritualium maieſtatem, atque in iis quæ nobis ſunt familiaria, ſumma illa & ſuperſubſtantialia partim ſcriptis, partim non ſcriptis conſtitutionibus ſuis (iuxta quod ſacræ definiunt leges) nobis tradiderunt, &c. Idem de celebrandæ miſſæ forma, ſic ait:

Itaque pontifex quidem, vbi orationem ſanctam ſupra diuinum altare peregit, ex ipſo incenſum adolere inchoans, omnem phani ambitum circuit: demum ad ſanctum altare iterum rediens pſalmorum incipit melos, concinentibus cum eo ſacra carmina omnibus eccleſiaſtici ordinis gradibus. Dein miniſtrorum officio ſanctarum ſcripturarum lectio ſuo ordine recitatur. Poſt hæc extra delubrum cathecumeni fiunt, & cum ipſis energumeni, & hi quoque qui in pœnitentia ſunt. Manent autem intus ſoli qui diuina ſpectare merentur atque percipere. Porrò miniſtrorum alij pro clauſis templi foribus adſtant: alij proprij aliquid muneris agunt. Qui verò ipſius ordinis præcipui ſunt, vnà cum ſacerdotibus ſanctum panem, & benedictionis calicem, ſacroſanctis altaribus imponunt: cùm antè præceſſerit ab omni clero vniuerſalis laus atque confeſſio. Ad hæc venerandus antiſtes orationem ſanctiſsimam peragens, pacem ſanctam omnibus nunciat, & cùm ſe mutuò omnes ſalutauerint, myſtica ſanctorum recitatio fit. Vbi verò manus tum antiſtes, tum ſacerdotes, aqua lauerunt, pontifex ad medium aſsiſtit altaris. Circunſtant autem ſoli cum ſacerdotibus electi quique ex miniſtrorum numero. At verò Pontifex cùm diuina munera laude proſecutus fuerit, ſacroſancta & auguſtiſsima myſteria conficit, & quæ antè laudauerat venerandis operta atque abdita ſignis, in conſpectum agit, diuináque munera reuerenter oſtendens, ad ſacram illorum communionem, & ipſe conuertitur, & reliquos vt communicent hortatur. Sumpta denique atque omnibus tradita communione diuina, gratias referens, finem myſteriis imponit: ac multi quidem ſola in ſigna diuina proſpiciunt: ipſe autem ſemper diuino ſpiritu ad excelſa ſignorum myſteria, fœlicibus, & intelligibilibus intuenda luminibus, pontificia dignitate ac merito, munditiáque ſingulari, diuini capacioríſque ſenſus attollitur. Hæc eſt miſſæ cele-

Eccleſ. hier. cap. 3.

Formula miſſæ, ex ritu Apoſtolorum.

ἐνεργούμενοι obſeſſi à dæmonibus appellãtur.

τελετὴ, myſteriũ ſignificat, & altaris ſacrificium Syneſ. quaſi arcanã et myſticã ceremoniã. Auguſt. cõſecrationẽ ſignificare ait.

brandæ forma, qua Apoſtoli conſtitutis eccleſiis vſi ſunt, quam vt noris aptiſſimè quadrare ad eam, qua hodie eccleſia catholica vtitur, breuiter altera cum altera comparanda venit.

	Apoſtolicus mos.	*Mos eccleſiæ præſentis.*
1	Pontifex orat ſupra altare.	Seruat.
2	Adolet incenſum.	Seruat.
3	Circuit.	Seruat.
4	Pſalmos canit cum eccleſiaſticis.	In eorum locum ſucceſſit Introitus & verſus.
5	Leguntur ſacræ ſcripturæ.	Epiſtola & Euangelium.
6	Catechumeni emittuntur.	Hodie hoc nihil opus eſt.
7	Miniſtri aliqui foribus aſtant.	Ordinem ſeruat.
8	Præcipui miniſtri panem & calicem imponunt altari.	Seruat.
9	Confeſsio & laus omnium.	Seruat in ſymbolo.
10	Pontifex orat.	Secretam ſeruat.
11	Pontifex pacem nunciat.	Obſeruat, ſed poſt conſe-
12	Oſculo ſe ſalutant.	crationem.
13	Sancti recitantur.	Memoria fit ſanctorum viuorum & mortuorum.
14	Lauant manus.	Seruat.
15	Pontifex ad medium altaris regreditur.	Seruat.
16	Circunſtant miniſtri.	Seruat.
17	Conficit pontifex.	Seruat.
18	Leuat ad videndum.	Seruat.
19	Communicat ipſe.	Seruat.
20	Cum aliis communicat Domini corpus.	Seruat ſuo tempore.
21	Gratias agit.	Seruat in complenda.

Viden' vt præſenti eccleſiæ conueniat in ritu celebrandæ miſſæ, cum Apoſtolica illa & primigenia eccleſia?

DORO-

DOROTHEA.

Aiunt officium miſſæ à per multis, idque diuerſis temporibus & compoſitum & adauctum fuiſſe: Cæleſtinum papam addidiſſe miſſæ introitũ, cuius initium eſt pſalmus, Iudica me Deus: Damaſum confeſsionẽ, quæ fit à ſacerdote, prius quàm altare conſcendat, licèt Pontiano quidam aſsignent: Gregorium primum, Antiphonam quæ introitum ſequitur: eundémque inſtituiſſe, vt nouies Kyrie diceretur, & antiphona poſt Epiſtolam, Euangelium & communionem: Teleſphorum, Hymnum, Gloria in excelſis Deo: Gelaſium primum orationes, id eſt, precum clauſulas quas vocant: Hieronymum, Epiſtolam & Euangelium: Anaſtaſium primùm conſtituiſſe, vt cùm legeretur Euangelium, cuncti qui rei diuinæ intereſſent, curui ac venerantes ſtarent, vti expeditiores ad Euangelicum dogma defendendum, vel animaduertendum, quod ſtando magis quàm ſedẽdo facere ſolemus. Alleluya ex Hieroſolymis trãſlatitiũ eſt. Symboli decantatio fuit Marci põtificis primi decretũ vt feſtis diebus poſt Euangeliũ decantaretur, ac idem recitaretur à populo, qui ſacrorum cauſa adeſſet. Innouauit & id decretum poſteà Damaſus. Antiphonam quæ ſymbolum conſequitur, Gelaſius fecit, ac prefationes quæ canonem precedunt, quæ nouem ſunt numero: decimam ad honorem deiparæ virginis Vrbanus addidit. Quòd thus adoletur ad altare, id ex Hebræorum ſumptum eſt ceremoniis, vt in Exodo noſſe quilibet poterit. Sixtus primò inſtituit, vt in præfationibus, Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus ſabaoth cantaretur, quod ab Eſaia propheta ſumptum eſt. Canonis partem, Te igitur clementiſsime pater, quæ dein initium eſſe cœpit, Gelaſius dedit: ſicuti ante eum Syricius, Cõmunicantes, quod nunc tertio loco ponitur. Alexãder primus, qui Gelaſium & Syricium longo temporis interuallo præceſsit, ob memoriam paſſionis Chriſti poſuit, Qui pridie quàm pateretur, vſq; ad illa verba, Hoc eſt corpus meum. Leo primus adiecit: Hanc igitur oblationem, vſque Placatus accipias. Gregorius treis ſubiunxit poſtulationes: Diéſque noſtros in tua pace diſponas, atque ab æterna damnatione nos eripi, & in electorum tuorum iubeas grege numerari. Eiuſdem quoque primi Leonis eſt, Sanctum ſacrim

Platina in vita Sixti primi.

Gulielmus Durãtus li. 7. diui. offi.

ficium,immaculatam hoſtiam.Gregorius precationis Dominicæ præfationem addidit, ſcilicet, Oremus præceptis ſalutaribus moniti: ſtatuítque vt illa precatio recitaretur, quemadmodum ipſemet ſcribit epiſtolarum libro ſeptimo. Mos,inquit,Apoſtolorum fuit,vt ad ipſam ſolummodò orationem, oblationis hoſtiam conſecrarent:& valde mihi inconueniens viſum eſt, vt precem (ſiue canonem) quam ſcholaſticus,id eſt,vir egregiè doctus & in rebus eccleſiaſticis apprimè exercitatus compoſuerat (hoc eſt,apto & conuenienti diſpoſitam ordine dictauerat) ſuper oblationem diceremus,& ipſam traditionem, quam redemptor noſter compoſuit, ſuper eius corpus & ſanguinem non diceremus. Sergius primus huius nominis pontifex inſtituit, vt Agnus Dei,ter decantaretur. Vt ſemel finiam, aiunt Chriſtum nihil horum omnium ordinaſſe,præter ſacramentum,& verba conſecrationis. Quod ſi ita eſt, támque multa à compluribus diuerſis temporibus adiecta miſſæ fuerunt,quî fieri poteſt,vt hæc diuina ſit inſtitutio?

Gregor.epi. 63.ad Ioan Syracuſ. epiſcop.

THEOPHILVS.

Subſtantia miſſę,quam Chriſtus inſtituit,non propterea mutatur, nec mutari poteſt ab eccleſia. Non enim poteſt eccleſia aliam inſtituere Euchariſtiæ (quæ in miſſa conficitur, ſumitur, & offertur) materiam aut formam, quàm Chriſtus inſtituit, neque vllo pacto diminuere, neque addere, neque mutare quicquam eorum quæ ſunt de ſubſtantia formæ ſacramentalis. Si enim aut materia mutaretur,aut forma,fieri non poſſet,quin & debitus verborum ſenſus tolleretur: quo ſublato inane ac ieiunum remaneret ſacramentum, imò nec poſſet perfici.Ipſa quippe verba in ſacramentis iuxta ſenſum quem faciunt operantur. Quando autem fit additio vel ſubtractio alicuius verbi abſque variatione ſignificationis debitæ formæ ſacramentalis,ſacramentum omnino perficitur. Quapropter talis ſubtractio vel additio minimè illicita eſt eccleſiæ: eccleſiæ, inquam,non cuilibet priuato è plebe.Quod verum eſſe indicat ipſa forma huius ſacramēti Euchariſtiæ,quam tres Euangeliſtæ deſcribentes Matthæus, Marcus, & Lucas, necnon Apoſtolus Paulus, non eiſdem tradunt verbis.

bis. Nam Matthæus, & Marcus, referunt Chriſtum conſecrando panem, dixiſſe: Hoc eſt corpus meum. Lucas verò & Apoſtolus ſcribunt eum addidiſſe, Quod pro vobis tradetur. Eccleſia verò dicit, Hoc eſt enim corpus meum, addens dictionem[Enim]& pretermittens, Quod pro vobis datur ſiue tradetur. Conſecrando autem vinum Chriſtus narrante Matthæo ait: Hic eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro vobis effundetur in remiſsionem peccatorum. Quam formam Marcus deſcribens, vltima verba, nempe, In remiſsionem peccatorum, tacuit. Sed & Lucas eandem tradens formam, hunc in modum Chriſtum dixiſſe teſtatur: Hic calix nouum teſtamentum eſt in meo ſanguine, qui pro vobis fundetur. Nec Paulus vltima hæc verba, Qui pro vobis fundetur, poſuit. Quum itaque diuerſis modis & verbis Euangeliſtæ & Paulus huius ſacramenti formam exprimant, & in diuerſis verbis eadem vis & ſignificatio permaneat, eccleſia adhuc hanc aliam formam tradidit: Hic eſt enim calix ſanguinis mei, noui & æterni teſtamenti, qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſsionem peccatorum. Et hæc dicta ſint de forma & materia, hoc eſt, de ſubſtantia miſſæ. Quod autem attinet ad ea quæ ad ſacramentum ſpectant, ritus, inquam, ceremonias, cantum, orationes, veſtes, & cætera id genus, qui dubitat eccleſiam potuiſſe eà ordinare, aut alia iis hodie poſſe ſuperaddere, dubitet etiam oportet Chriſtum Apoſtolis in cœna dixiſſe: Adhuc multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modo: quum autem venerit ſpiritus ille veritatis, docebit vos omnem veritatem, & que ventura ſunt, annunciabit vobis. Neque enim deſerere poteſt eccleſiam ſuam, qui in cœlum conſcenſurus promiſit ſeſe manſurum cum ea vſque ad conſummationem ſeculi. Hinc Apoſtoli recepto ſpiritu ſancto ordinem celebrandæ miſſæ tradiderunt. Quod autem à pluribus ſanctiſſimis pontificibus ei additum eſt poſteà, non vacat ratione: Nam cum in hoc ſacramento, vt beatus Thomas Aquinas, 3. part. quæſt. 83. art. 4. docet, totum myſterium noſtræ ſalutis comprehendatur, præ cæteris ſacramentis maiori debet ſolemnitate celebrari. Superius ordinem declarauimus, &

Mat. 26. e *Marc. 14. c* *Luc. 22.* *1. Cor. 11.* *Ioan. 16.*

rationem vniuſcuiuſque partis huius ſacroſancti ſacrificij celebrationi adiectæ. Haud abſurdum tamen erit hîc attexere, quæ de hac eadem re literis mandauit Rabanus archiepiſcopus quondam Moguntinus, qui floruit anno circiter 855. Principiò (inquit) Dominus conſecrauit ac dedit Apoſtolis ſuis corporis & ſanguinis ſui ſacramentum cum benedictione & gratiarum actione. Id quod pòſt inſequentes Apoſtoli fecerunt, ſuóſque ſucceſſores vt facerent, docuerunt. At hic canendi ritus qui hodie in eccleſia ante ſacrificium obſeruatur, initiò non vſurpabatur. Tamen aliquid ex Paulinis epiſtolis excerpum recitabatur. Enimuerò quia de ſacrificij celebratione loqui cœpimus, dicere etiam pergemus qua ratione totus hic ordo ſit inſtitutus. Primùm itaque in celebranda miſſa, dum ad altare ſacerdos accedit, cantatur antiphona, vt exaudiatur ſonus quando ſanctuarium ingreditur coram Domino, non ſecus ac in veteri teſtamento ſacerdotis ingreſſus tintinnabulorum ſonitu ſignificabatur. Hoc igitur bonum eſt, vt ingrediente ſacrifico vtrinque chori concordent, ibíque diuinæ laudis audiatur melos: quò ſuauis miniſtrorum concentus & harmonia celebrationem myſteriorum Domini cum pio mentis affectu antegrediatur: dignæque laudis ſacrificium antecedat venerabile corporis & ſanguinis Chriſti ſacramentum. Eſt enim chorus, multitudo ad rem diuinam faciendam in vnum coacta. Poſtquàm autem ſacerdos acceſſit ad altare, clerus litanias concinit, vt omnes generatim orent prius quàm ſacerdos ſpeciatim Deo ſupplicet. Poſt id locorum orat ſacrificus ac primò populum pacifica impertiens ſalute, à populo etiam ſimile reſponſum accipit: vt vera omnes concordia & charitate conciliati, puráque deuotione congregati, facilius, quod poſtulant ab eo qui corda inſpicit & de internis iudicat, auferant. Ibi tum lector canonicam lectionem legit, vt auditorum animi ea ipſa inſtituti, attentius quæ ſuperſunt audiant. Poſt hanc lectionem præcentor reſponſorium inchoat, vt auditores ad compunctionem incitet, eorúmque animos vegetos reddat & alacres.

Rabanus lib. 2. inſtit. cap. 32. & 33.

Reſponſorium autem appellatur, quoniam alio deſinente cantum, reſpondet alius. Nonnulli hoc canticum

graduale

graduale vocant, quod iuxta gradus ſuggeſti decantetur. Poſt reſponſorium Alleluia canitur vt populus animos ad cœleſtia & ad Dei contemplationem attollat. Exinde Euangelium diaconus cum grauitate recitat, ita vt audire queat populus: vt ibi eius audiatur doctrina, in quem omnis coniecta eſt attentio, ac vt Euangelio, ejus vis & poteſtas intelligatur, cuius tam ſanctum celebratur myſterium. Per idipſum populus donaria ſua offert, ac clerus offertorium concinit: quod nomen inoleuit, quaſi canticum dicas offerentium. Atque altari ſuperponitur corporalis operimentum, quod quidem ſindonem ſignificat, qua ſeruatoris corpus obuolutum fuit. Id autem texi debet ex primo lino, non ex ſerico, neque byſſo, neque linteo tincto, vt à Sylueſtro papa conſtitutum reperimus. Tum etiam ſacra vaſa altari ſuperponuntur, calix ſcilicet & patena, quæ aliquo modo Chriſti ſepulchrum figurant. Quemadmodum enim tunc Chriſti corpus aromatibus condîtum ab hominibus piis ſepulcro inditum fuit: ita & nunc corpus eius myſticum cum ſanctarum precum odoribus in eccleſia ſacris vaſis imponitur, & à ſacerdotibus fideli populo ſubminiſtratur. Poſt hæc ſacerdos rem diuinam facit, atque vbi populum monuit vt animum erigat ad Deum, exhortatur etiam ad agendas gratias, oſq́ue implens hymnis & laudibus precationem dirigit ad patrem cœleſtem & omnipotentem Deum, cui cœleſtes obediunt poteſtates: rogátq; vt pro ſua bonitate confeſſiones humanas angelicis cantibus aſſociare velit.

Hac precatione adhibita, ſtatim decantari hymnus incipit compoſitus ex Angelorum & hominum canticis, nimirùm, Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Deus ſabaóth, &c. His peractis ſacerdos corpus & ſanguinem Domini conſecrat, & preces ad Deum omnipotentem ardentiſſimas fundit, inter quas precatio etiam Dominica adhibetur, & clariſſima voce recinitur. Vbi enim ventum eſt ad communionem & perceptionem corporis, oſculum pacis ſibi qui aſtant mutuò dant cantantes, Agnus Dei, &c. Idq́ue vt ſumentes in pace & animorum concordia ſácramentum, aſcribantur in numerum filiorum Dei, impetrata ſcelerum atque peccatorum venia. Poſt

communionem & canticum quod ei reí ſubſeruit, ac Dei benedictionem à ſacerdote populo optatam, diaconus miſſæ officium peractum eſſe denunciat, populo abeundi poteſtatem faciens. Hæc ferè Rabanus.

DOROTHEA.

Iſthæc audiuiſſe lætor. Nunc te declarare velim doctrinam catholicæ eccleſiæ, quod ad applicationem attinet huius ſacrificij altaris, & opus, quod operatum vocant. Etſi enim ſuprà his de rebus ſermonem habuiſti, ſummatim tamen etiamnum audire aueo, quid de iis ipſis credendum ſit, ac mordicus tenendum, ne res tanti momenti è memoria mea vnquam excidat.

THEOPHILVS.

Eccleſia catholica ſemper docuit, Chriſtum Ieſum eſſe vnicum ſacrificium, vnicum precium & redemptionem
1. *Cor.* 6. vnicam, qua meruit nobis in cruce, & precio ſanguinis e-
& 7. mit peccatorum remiſſionem. Docet prætereà ſacerdotem
Tit. 2. & communicantem in miſſa aſtantem, myſtica & pia o-
Apoc. 14. blatione iſtius ſacrificij ſibi eius fructum applicare, ſeque participem facere remiſsionis peccatorum per Chriſtum. Adhæc quòd apud ſacrificium iſtud poſsit & debeat orationis quoque ſacrificium offerri: quo precatur Deum fieri propitium peccatis, non tantùm præſentium, verùm & abſentium: imò non viuorum modò, ſed & mortuorum per mortem filij ſui dilectiſsimi. Atque ita docet orationem huiuſmodi per fidem applicari, & commodare poſſe vniuerſis. Eſt quidem verum, Chriſti paſsionem plus quàm abunde ſufficere peccatis omnium hominum, oportet ramen vt fide propria & deuotione nos faciamus eius participes, precemúrque Deum, vt per ipſum totius mundi miſereatur. Ac vt in ſumma dicamus, Chriſti ſacrificium eſt meritorium remiſsionis: repræſentatiuum miſſæ ſacrificium eſt promeritæ remiſsionis applicatorium, quòd eo applicet ſibi quiſque per fidem remiſsionem illam: quod & in defunctis obtinet, qui dum viuerent ſibi hoc meritum per fidem propriam compararunt, vt ipſis hæc poſt mortem prodeſſe poſſent. Sacrificium verò precum in miſſa fit pro omnibus, & quibuſlibet: applicatur etiam malis, quanquam non pro ſacrificantis, ſed pro Dei bona

volun-

voluntate. Neque verò vnquam docuit eccleſia catholica, ſicut aduerſarij calumniantur, miſſam eſſe opus tantùm externum ſolius ſacerdotis, quo ſecundum ſuam deſtinationem viuis aut defunctis quibus voluerit, promereatur remiſsionem peccatorum, licèt opus etiam illud ſine fide peragat, applicetque iis qui neque per fidem accipiunt, neque mentis bonum motum habent. Verùm longè aliter docuit eccleſia, ſcilicet, miſſam non priuatum, ſed commune eſſe ſacrificium ſacerdotis, publici eccleſiæ ſeu populi miniſtri (nam quod ſacerdos agit miniſterio, populus agit voto, vt Innocentius tertius ait) ipſumque miſſæ ſacrificium illis tantùm prouenire ad ſalutem, qui aut ipſi propria fide illud apprehendunt, aut prius apprehenderunt, aut cum beata Monica ſancti Auguſtini matre piè deſiderauerũt, vt pro ipſis ad altare Domini offerretur. Quis verò neſcit, cõmunis cuiuſque ſacrificij proprietatem eſſe, vt omnibus, qui in ea ſocietate ſunt applicetur? Quod ad orationem attinet, docuit ſemper eccleſia ſacerdotem poſſe eam cuilibet, tam fideli quàm infideli, tam bonis quàm malis applicare. Atque huiuſmodi ſacerdotis orationem, dum tamen in fide & pia deuotione fiat, efficaciorem eſſe apud hanc ſacratiſsimam actionem & oblationẽ quàm alias, vt iam antè ex verbis beati Cypriani docuimus. Nunc venio ad opus operatum, quo quidem Innocentius tertius, & omnes ſcholaſtici doctores in 4. Sententiarum intelligũt, non externas ſacerdotis actiones, ſed opus Dei in cõſecratione & ſanctificatione ſacramẽti, quod non à merito ſacerdotis, ſed à Chriſti potentia dependet, qui ſacramẽtum ſuũ veraciter ipſe conſecrat, conficit, & fidelibus diſpenſat, quanquã miniſterio ſacerdotis, licèt mali nõnunquam & indigni. Hanc ergo illi differẽtiam ſtatuunt inter opus operatũ & operans. Prius illud dicunt, cũ ſit opus ſolius Dei & Chriſti non cõſiſtens in oblatione, ſed in ſacramenti cõſecratione & ſanctificatione, ſemper purum eſſe & ſanctũ, licèt permittat nonnunquam Deus externè tractari illud manibus ſacerdotis impuri. Sicut enim (ait Hieronymus) hic eſt qui baptizat Chriſtus, ita hic eſt qui ſanctificat ad altare. Alterum verò, opus operans, quod non conſiſtit in ſacramenti cõſecratione, ſed in oblatione

Lib. 5. de altaris miniſterio cap. 2

De cœna domini.

Lib. 3. de ſacr. altar. miniſt. ca. 5.

Contra Luciferianos.

ſacrificij, in gratiarum actione, orationibus, &c. Dicunt nonnunquam eſſe impurum, nec idem valere vtrùm fiat per religioſum, an ſacrilegum, per bonum, an per malum, imò ſacerdoti malo magis cedere in damnationem, licèt præſentibus (vt fit aliquando) proueniat ad bonum: non quidem ratione ſacerdotis, ſed propter attentionem propriam, quam ex auditu orationum concipiunt: præſertim quum oratio per ſacerdotem tanquam publicum miniſtrum, omnium nomine dicatur. Quod & beatus Auguſtinus teſtatur: Certum eſt (inquit) quòd Deus etiam peccatores audit. Propheta Balaam, non de populo Iſrael, ſed alienigena, conductus ab inimico, vt populo malediceret, conuerſus à Domino ad benedicendum eſt: & cùm aliud haberet in voto, verba tamen precantis, & bona ſunt, & pro populo exaudiuntur à Domino. Vnde non mirum eſt, verba bona, quæ pro populo dicuntur in precibus, etiam ſi à malis dicantur epiſcopis, exaudiri tamen, non pro peruerſitate præpoſitorum, ſed pro deuotione populorum. Vt vt autem hæc ſeſe habeant, nunquam docuit eccleſia, externum mali ſacerdotis opus promereri alicui ſine fide & attentione remiſſionem peccatorum: quin potius docuit, opus illud in ſe quale eſt conſideratum, nemini conferre. Quapropter malitioſè nonnulli aſſeuerant hactenus in eccleſia prædicatum fuiſſe, ſacrificium ſacerdotis valere coram Deo ex opere operato, ſiue bono motu vtentis, per opus operatum intelligẽtes, opus ſacerdotis qualecunque ſit, non conſiderata mentis cogitatione. Cæterùm nemo veridicus negare poſſit, oblationem & applicationem miſſæ, eo quo fit in canone modo (ſi tamen canon rectè intelligatur) verbis Chriſti conſonam, traditioníque per Chriſtum inſtitutæ conſentaneam eſſe & conformem. Chriſtus enim in cœna ſua, & cœna facta, orat, non tantùm pro Apoſtolis præſentibus, ſed & pro omnibus qui credituri erant per verbum ipſorum in eum. Similiter & ſacerdos precatur pro omnibus fidelibus. Chriſtus accipit panem & calicem in manus ſuas, tanquam offerens, gratias agit, porrigit diſcipulis, & dicit: Hoc eſt corpus meum. Et, Hic eſt meus ſanguis, qui pro vobis, & pro multis effunditur: præcipitque Apoſtolis, idem vt faciant in

Lib. 2. cont. epiſt. Parmeniani, cap. 8.

ſui com-

ſui commemorationem. Quæ quidem omnia ita in miſſa fiunt, vbi ſacerdos cum populo Deo gratias agit, non ſolùm pro aſtantibus, ſed pro omnibus etiam, pro quibus ſanguis Chriſti effuſus eſt, idque in memoriam eius.

DOROTHEA.

Verùm dic ſodes, cur Euchariſtiæ ſacrificium miſſa appellatur? vnde hoc ſumptum eſt vocabuli?

THEOPHILVS.

Vox hæc Miſſach, neque Latina neque Græca eſt, ſed Hebraica, ſignificans oblationem quæ fit ſuperiori Domino propter debitũ perſonale munus ac obligationẽ, vt ex decimoſexto capite Deuteronomij intelligi poteſt. Celebrabis diem feſtum hebdomadarum domino Deo tuo oblationem ſpontaneam manus tuæ, quam offeres iuxta benedictionem domini Dei tui. Vbi autem Latinè oblationem legimus, in Hebræo Miſſach ſcriptum eſt. Quare Chriſtiani in eccleſia Latina in hodiernum vſque diem retinuerunt hoc nomen iam inde à primitiuæ eccleſiæ tempore impoſitum ſacrificio, quod Chriſtus Dominus eccleſiæ ſuæ commendauit: Græci λειτουργίαν vel ἱερουργίαν dicunt, Hoc eſt, ſacrum miniſterium. Quanquam non deſunt qui dicant hoc Latinos nomen ex moribus inſtitutíſque priſcorum eſſe mutuatos, qui in ſuis ſacris poſt cuncta celebrata myſteria, audiebant hæc verba ab eo prolata, cui hæ partes tributæ erant, λαοῖς ἄφεσις, populis miſſio eſt, vel datur, quibus quidem verbis ſignificabatur, tum demum omnibus fas eſſe abire. Ac eorum ſententia idem mos etiamnum à noſtris ſeruatur, adeò vt peractis ſacris, per diaconum pronuncietur, Ite, miſſa eſt, quod idem eſt ac Ilicet, hoc eſt, ire licet: ita miſſa, pro alia eiuſdem ſignificationis voce, miſſio, poneretur, quomodo diuus Cyprianus aliquando hac voce, remiſſa pro remiſſione vtitur. In aquæ, inquit, baptiſmo percipitur peccatorum remiſſa. Hinc ergo totum quoque ſacrificium miſſa eſſet nominatum. Vt vt res habeat, hoc verbum miſſa, in frequenti erat vſu in primitiua eccleſia, vt intelligi poteſt ex beato Clemente.

Cyprianus ad fortunatum de exhortatione martyrij.

Clemens epiſt.3.ad Iacobum fratrem Domini. In aliis,inquit, locis ſacrificare & miſſas celebrare non licet,niſi in iis in quibus epiſcopus proprius iuſſerit,& cæte. Hæc Apoſtoli à Domino accepere, & nobis tradiderunt. Sanctus quoque Alexander papa & martyr, qui anno florebat 119.huius rei meminit. In ſacramentorum,inquit,oblationibus, quæ inter miſſarum ſolennia offeruntur, paſſio Domini miſcenda eſt, vt eius,cuius corpus & ſanguis conficitur,paſsio celebretur. *Refertur de conſec.diſt.1.cap Hic ergo.* Beatus etiam Ignatius S. Ioãnis Euãgeliſtæ diſcipulus, Nõ licet (ait) ſine epiſcopo neque offerre,neque ſacrificium immolare, neque miſſas celebrare. *Epiſt.10. ad Smyrnenſes.* In hiſtoria quoque eccleſiaſtica, quam tripartitam vocant,ipſum nomen miſſę apertè legitur:nam libri quarti capite decimo tertio dicitur,quòd Conſtantius Conſtantini magni filius Conſtantinopolim venit, & Paulum epiſcopum ciuitate expulit.Macedonum autem diſtulit ſtatuere vrbis epiſcopũ, & permittens eum miſſas facere ſolùm in eccleſia,in qua fuerat ordinat⁹,denuo profectus eſt Antiochiam.Haud equidem ignoro,patres nomen miſſę non ſemper accipere pro altaris ſacrificio,verùm interdum pro qualibet ſpirituali oblatione,quæ mediãte ſacerdote,quaſi collecta & adunata pro omnibus Deo offertur.Græci appellarunt Synaxim, quod Latini aliâs collectam reddunt, aliâs conciliationem ſeu communionem.Ita vt patribus idem propemodũ fuerit celebrare vel agere miſſam, quod celebrare vel agere Synaxim ſeu collectam. Præcipuè tamen altaris oblatio nomine miſſæ ſeu Synaxis ſignificatur.Hoc enim myſterio confirmatur arctiſſima coniũctio myſtici corporis cum capite,hoc eſt, Chriſti & eccleſiæ,& omnium Chriſti membrorum Chriſti nomen verè profitentiũ,inter ſe. *Lib.de eccl. hierar.ca.3* Teſtatur etiam beatus Dionyſius diuinum hoc myſterium (quam & hoſtiæ ſalutaris oblationem appellat) peculiariter vocari communionem, ſiue ſocietatem,& Synaxim,aut collectam: & addit hanc orationem, quòd collectionem in vnum, illud vnicum ſacratius operetur.

DOROTHEA.

Qua tandem lingua miſſam conuenit celebrari? An non ſolennes &publicas omneis preces oportet vulgari lingua & populo cognita accurari?

THEO-

THEOPHILVS.

Conſtat Chriſtum in miſſa in memoriam oblationis in cruce factæ offerri pro tota eccleſia congregata ex Iudæis & gentibus, virtutémque paſſionis eius deriuari in omnes Chriſti fideles, qui ſunt numero & merito eccleſiæ membra. Quemadmodum autem Iudæis peculiaris eſt lingua Hebraica: ſic Græca & Latina gentibus conueniunt. Vt igitur fructus paſsionis Domini applicari in miſſæ ſacrificio omnibus verè Chriſtianis ſignificetur, quódque horæ canonicæ & publicæ preces pro tota eccleſia dicantur & decantentur, rationi conſentaneum eſt, vt in Latina occidentali eccleſia, lingua Latina in diuina re facienda retineatur: perinde ac eccleſia orientalis Hebraica, Hebraicis verbis, Græca Græcis Deum laudat. Quod vt apertius eccleſia ſignificet, Latini Græcas quaſdam voculas Latinis immiſcent miſſis & horis canonicis, nempe, Κύριε ἐλέησον, id eſt, Domine miſerere: Similiter & Hebraicas, vt eſt Alleluya, id eſt, Laudate Dominum: Et Amen, id eſt, verè, ſiue fideliter, vel fiat: Sabaoth, id eſt, Dominus virtutum, aut exercituum: Hoſanna, id eſt, O Domine ſaluum me fac. Græci quoque à Latinis Latinas voces mutuantur. Vbi enim dicimus Κύριε ἐλέησον, quod à Græcis accepimus, ipſi dicunt, Domine miſerere, quod habent à Latinis: idque, vt in vtroque populo fidei vnitas ſignificetur, cùm vnus eiuſdem Domini populus ſimus, vnumque Deum & credamus & adoremus, iuxta illud Apoſtoli: Non eſt diſtinctio Iudæi & Græci. In precationibus itaque publicis & ſolennibus eccleſiæ, Deus triplici laudatur lingua, Hebraica, Græca, & Latina. Id quod futurum eſſe, titulus Dominicæ crucis his ſolùm tribus linguis inſcriptus ſignificabat, fore etiam indicans vt paſſionis Chriſti myſterium his ipſis celebraretur, vt diuus Auguſtinus luculenter oſtendit, quum de ſeptuaginta duabus linguis loquens, hunc in modum ſcribit: Harum omnium linguarum non teſtamenti tempore, tribus linguis, Hebraicæ vtique, Latinæ & Græcæ principatus cōmittitur, quia in eis crucis Chriſti titulus literis Hebraicis, Græcis & Latinis ſcript⁹ authoritate euāgelica perhibetur.

Rom. 10.

Lib. 1. de mirabilibus ſcripturæ, cap. 9.

Lib.9. etymolog. Ac Iſidorus Hiſpalenſis epiſcopus idem teſtatur, cùm ait: Tres ſunt linguæ ſacræ, Hebræa, Græca, Latina, quæ toto orbe maximè excellunt. His enim tribus linguis ſuper crucem Domini à Pilato fuit cauſa eius ſcripta. Vnde manifeſtum euadit miſſam atque horas canonicas Hebraicè tantùm, Græce, & Latinè dici oportere. Quod multò decẽtius ac cõuenientius fit, quàm ſi vernacula lingua diuinus peragereturcultus. Cõueniunt ſiquidem in Latina lingua omnes Galli qui callẽt linguam Latinam, nec Galli ſolùm, ſed & Itali, Hiſpani, Germani, Angli, & reliquæ omnes nationes. Ideoque fit vt omnia, quæ fiunt in cultu diuino, ſiue legatur, ſiue cantetur, optimè conſonent. Ac miſſa quidem Latino idiomate celebrata eſt in Gallia & Germania ante mille annos, quando primùm regiones illæ Chriſtianam doctrinam amplexę ſunt. Quamuis autem vrgentior tum ratio appareret, pro nouella fidei plantatione, ob quam miſſæ & horæ canonicæ Gallica aut Germanica lingua legerẽtur aut dicerentur: tamẽ ſanctiſſimi illi viri, qui primi Gallos & Germanos Euãgelicam doctrinam Chriſtianóſque mores edocuerũt, miraculis etiam clari, in publicis & ſolemnibus precibus vſum eccleſiæ Latinæ obſeruarunt. Quàm magnam verò confuſionem id pareret, ſi ad nos aduentantibus Italis, Hiſpanis, Germanis, Anglis, Hungaris, Boëmis, & exteris aliis, miſſæ noſtræ actio non intelligeretur, ſed omnes omnibus barbari eſſe viderentur. Nónne miſſa inde contemptui haberetur? Vt igitur tanta abſurditas atque offenſio tolleretur, operam ſedulò nauauit eccleſia, cauitque ne diuini cultus penſum linguis adeo confuſis ac diſſonantibus in eccleſia Latina perageretur, ſed lingua Latina duntaxat accuraretur.

DOROTHEA.

Cap.14. Diuus Paulus priore ad Corinthios epiſtola docet, in eccleſia ea loquendum eſſe lingua, quæ ab omnibus poſſit intelligi. Itaque vernacula lingua accommodatior videtur precibus publicis ac ſolemnibus, quàm Latina, quæ à pauciſſimis intelligitur: quò vnuſquiſque eius ſit particeps, quod omnium nomine peragitur.

THEOPHILVS.

Sanctus Paulus ibi loquitur de concionatore, qui verbum Dei

bum Dei docet,& ſcripturas interpretatur, quem conſtat fruſtra loqui peregrina lingua,quæ à vulgo, apud quē orationē habet, non intelligatur. Quod vel ex eo liquet quod dicit: Qui prophetat,hominibus loquitur ad ædificationē, & exhortationem,& conſolationem. Qui loquitur lingua, ſeipſum ædificat: Qui autem prophetat,eccleſiam Dei ædificat. Et rurſum addit: Gratias ago Deo meo, quòd omniū veſtrûm lingua loquor. Sed in eccleſia volo quinque verba ſenſu meo loqui, vt alios inſtruam, potius quàm decem millia verborum in lingua. Dicit Apoſtolus malle ſe quinque verba loqui quæ intelligantur,quàm decem millia verborum lingua peregrina & incognita auditoribus. Quod verò ait[vt alios inſtituam]eo ipſo ſatis innuit ſe de eo loqui qui populo eſt à concionibus, hoc eſt, qui alios docet, & diuina ſcripta interpretatur. Niſi enim is intelligatur, erit populo,cui loquitur,barbarus. Quare concionatores, qui populum inſtituunt Chriſtiana pietate,ſi quas authori tates vel ex ſacris literis,vel ſanctorum patrum ſcriptis interdū Latinè in publicis concionibus citāt, vulgari lingua ſtatim interpretantur. Id quod Apoſtolus probare videtur. dicēs: Maior eſt qui prophetat,quàm qui loquitur linguis, niſi fortè interpretetur, vt eccleſia ædificationem accipiat. Et iterum: Qui loquitur lingua,oret vt interpretetur, ſcilicet verba quæ populo non intellecta profert. At longè alia ratio eſt de iis,qui vel pſallunt,vel orant,ſacramenta adminiſtrant,vel alio quouis pacto diuinum cultum in miſſa & horis canonicis perſoluunt, vbi rudi & imperitæ multitudini ſatis eſt ſcire & intelligere omnia quę in officio eccleſiaſtico dicuntur, leguntur, cantantur,aut aliis ceremoniis peraguntur, fieri ad laudem Dei,& hominum ſalutem. Scit enim plebs ipſa precationes ab eccleſia dirigi ad Deum patrem per Chriſtum. Audit etiam ſubinde in concionibus publicis,quid ſibi velint ea quę & in ſacramētis & in miſſę celebratione geruntur, diligenterque admonetur à paſtoribus,vt vnicuique actioni conſenſum præbeat,pioque deſiderio apud Deum ambiat vt publicis eccleſiæ votis aurē ſuæ pietatis accommodet: vt interim taceam,quòd Dominicis diebus, præter pomeridianas conciones,in ſacro etiā, quod epiſtolæ nomine,& quod ex Euāgelio recitatur, lin-

gua ipſi intellecta familiariſſimè explicatur. Quare nulla vrget neceſſitas, vt miſſa & preces publicæ vernacula lingua dicantur.

DOROTHEA.

1. Cor. 14. cap. Verùm nónne loco ſuprà dicto docet Apoſtolus, quod auditur aut legitur ſine verborum intellectu, ſine fructu legi & audiri? Si orem (inquit) lingua, peregrina ſcilicet & incognita, ſpiritus meus orat: at mens mea fructu vacat.

THEOPHILVS.

Populus vtique Chriſtianus, qui vel miſſæ, vel ſacris horis canonicis intereſt, nullo pacto alienus eſt à fructu miſſæ aut precationum publicarum. Licèt enim plurimi Latina verba nec ſonare nec intelligere valeant, ſciunt tamen quis ſit finis & ſcopus eorum, quæ in eccleſia à miniſtris Dei leguntur. Dicam rudius, ſed explanatius: Non intelligit indoctum vulgus ſenſum verborum, quibus miſſa celebratur: at non ignorat omnia in eccleſiaſticis officiis fieri ad Dei honorem & ſalutem eccleſiæ: ac in miſſa repræſentari dominicam paſſionem, Euchariſtiam conſecrari, & eos, qui animo contrito & ſpiritu humiliato ſacris miſſę myſteriis interſunt, meriti Chriſti participes fieri per fidem. Quamuis igitur ſimplex plebecula verborum ſignificationem non aſſequatur, & mens eius, id eſt, intellectus ſit ſine fructu ſenſus verborum: non tamen ſpiritus, id eſt, ardor ſpiritus eius in Deum, pium illud deſideriũ Deo ſeruiendi, eius laudandi & reuerendi, quo totus flagrat, fructu & merito apud Deum vacat: ſed quo maiori affectu, operante ſpiritu ſancto, diuinis intereſt officiis: eò maiorem fructum percipit. Hoc verum eſſe vſus atque experientia teſtatur. Sunt enim Latinæ linguæ quidam rudes & ignari, qui mouente ſpiritu ſancto, dicunt pſalmum, Miſerere mei Deus, quorum ſpiritus, hoc eſt, animus & verus cordis affectus, orat: quia piè ad Deum accenditur. Mens autem, hoc eſt, intellectus, quia nõ meditatur ſenſum verborum, nec contemplatur ſignificata per illa, cùm eò non penetret, fructu vacat, hoc eſt, nihil ædificatur, nihil vtilitatis habet, nec ſenſu paſcitur & intelligentia precationis, cùm orationis & verborum vim nõ intelligat. Qui tamen hunc in modum precatur, haudquaquam vacuis manibus

domum

domum redit:ſed plus fructus ex oratione ea percipit, qua mens feruore ſpiritus inflammata, in Deum tendit, quàm capiat plerunque orans theologus, cui quidem abſtruſi huius precationis & pſalmi ſenſus omnes perſpecti ſunt & cogniti. Atque in hāc ſententiam Chriſtus Iudæis dicebat, qui linguam qua precabantur intelligebant: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè eſt à me. Quia verò ſuperiori loco Paulus his verbis vtitur [Si ego orem, ſpiritus meus, mens mea, ſiue intellectus] oſtendit ibi ſe potiſsimùm loqui de priuata precatione. Quare cæteris omnibus æqualibus, ſatius eſſet vt priuatæ eiuſmodi preces lingua intellecta funderentur, vt non modò ſpiritus, id eſt, affectus cordis, ſed intellectus etiam precationis ſenſu paſceretur. Intellecta enim oratio vehementius precantis pium affectum atque deuotionem incēdere poteſt ac permouere, quàm non intellecta. Vnde ſubiicit Paulus: Orabo & mente: pſallam ſpiritu, pſallam & mente. *Eſai.19.* *Mat.15.*

DOROTHEA.

Idem etiam addit: Alioqui ſi benedixeris ſpiritu (hoc eſt, ſi Deum laudaueris lingua peregrina & auditoribus incognita, ex dono ſpiritus) is qui implet locum idiotæ ſiue indocti, quomodo dicturus eſt, Amen, ad tuam benedictionem gratiarumque actionem? quandoquidem quid dicas neſcit. Nam tu quidem bene gratias agis, verùm alius non ædificatur. Nōnne Apoſtolus, dum hoc dicit, loquitur de oratione ſiue benedictione publica, cui rudis plebecula conſenſum præbere non poteſt, nec Amen reſpondere, hoc eſt, fiat, vel ita ſit, niſi ea proponatur lingua, quam intelligat? Quod ſi ita eſt, publicæ & ſolemnes precationes adhiberi debent & accurari lingua populari & omnibus cognita. Qua tandem igitur ratione in Gallanicas, Hiſpanicas, & Germanicas eccleſias lingua Latina inuecta eſt? An non hoc planè aduerſatur expreſſo ſancti ſpiritus mandato?

THEOPHILVS.

Ex verbis Paulinis cōcludi non poteſt, Deū prohibuiſſe tāquam peruerſum quippiam ac ſibi ingratū, ne preces publicæ & ſolēnes adhiberētur peregrina lingua. Diuus enim Paulus eū laudat, qui lingua populo nō intellecta precatur,

dicẽs quòd gratias agat, Deoq; loquatur: quamuis multò vtilius & commodius eſſe exiſtimet, ſi & hac oratione aſſidentes ædificauerit. Quòd ſi directò iſtud Dei voluntati repugnaret, certiſſimum eſt, quòd ſanctus ſpiritus multò antè ſuggeſſiſſet iis, quos poſt nongentos, & eo amplius, annos eccleſiæ ſuæ paſtores & miniſtros dedit. Licèt autẽ ab initio eccleſiæ, cùm omnes eſſent dociles & myſteriorum capaces, ac multitudinis credentium cor eſſet vnum & anima vna in Domino, aſſiduæque lectioni, meditationi, & precationibus incumberent frangẽtes panem ſalutis, aliter obſeruaretur: id tamen hoc tempore ad imitationem minimè trahendum eſt, cùm aucto fidelium numero, in tanta multitudine charitatem refrixiſſe videamus. Ac experientia quidem compertum eſt, magis hoc ad deſtructionem quàm ad ædificationem valiturum, impiis ac malè inſtitutis per compita, cauponas, tonſtrinas, popinas, officinas, & tabernas ſancta myſteria in canticum & prouerbium vertentibus. Atque ita impingeretur in id quod inhibuit Chriſtus, ne ſcilicet ſanctum canibus daretur. Neque verò eſt quicquam eccleſiæ detrimenti, ſi ſinguli nequeant reſpondere Amen, ad benedictionem ſacerdotis. Prouidit enim ſapienter eccleſia, vt miniſtri vice totius populi reſpondeãt ſacrifico finem orationis facienti.

DOROTHEA.

1. Cor. 7. Tu quicquid dicas, nondum mihi planè ſatiſfacis. Si enim Paulus, qui ſpiritum Dei ſe habuiſſe teſtatur, tanto illuſtratus habitatore, docuit orationes & benedictiones publicas lingua toti populo nota dicendas, & hoc ipſum in primitiua eccleſia obſeruatum fuit: non videtur eccleſia hoc mutare potuiſſe.

THEOPHILVS.

Idem ſpiritus ſanctus, qui in exordio naſcentis eccleſiæ
Ioan. 16. per Paulum & Apoſtolos, fideles docuit, nunc quoque eoſdem docet eccleſia per præfectos & doctores. Datus enim ſpiritus ſanctus eccleſiæ doctor veritatis, nunquam non docet eam omnem veritatem. Qui ſicut eccleſiam nunquã
Ioan. 14. deſeruit, ita nunquam deſeret, ipſo Chriſto teſtante, dum ait: Rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt vobiſcum æternùm maneat, ſpiritum veritatis. Hinc ſe-

quitur

quitur, quòd eccleſia in his quæ inſtituit & ordinat, aut prius ordinata pro qualitate & conditione temporũ mutat, id faciat ſpiritu veritatis docente ac eam dirigente: & propterea in huiuſmodi rebus nec errat, nec errare poteſt. Et quia quod vno tempore conuenit & expedit eccleſiæ, id alio quandoque tempore minus congruit, maximè in ritibus & ceremoniis diuini cultus, eccleſiæ ordinationi in huiuſmodi rebus ſtandum eſt. Argumentum huius rei eſt, quòd Apoſtoli initio naſcentis eccleſiæ intermiſſa ad tempus forma baptiſmi à Chriſto tradita, baptizabant in nomine Ieſu, ex familiari forſan inſtinctu ſpiritus ſancti, vt dulciſsimum illud Ieſu nomẽ, quod inuiſum odioſumque erat gentibus & Iudæis, honorabile redderetur, per hoc quòd ad eius inuocationem ſpiritus ſanctus dabatur in baptiſmo. Licèt ergo in primitiua eccleſia Chriſtianis nondũ ſatis edoctis eccleſiaſtica myſteria, orationes & benedictiones publicę ac ſolẽnes lingua vulgari dicerẽtur: poſteà tamen ſat inſtitutis fidelibus, vt ſaltem generatim intelligant ea quæ in diuino gerũtur officio fieri ad laudem Dei & ſalutem hominum, ordinatum eſt ab eccleſia ex Iudæis & gentibus collecta, vt his tribus linguis, Hebræa, quæ Iudæis peculiaris eſt, Latina & Græca, quæ gentibus communes ſunt, diuina peragerentur officia. Quod conſtat eſſe longè melius, ornatius, & honorificentius, quàm ſi tot barbaris, peregrinis, exoticis ſtridentibus linguis & vocibus eccleſia perſtreperet. Hinc Sclaui olim Sclauonicè miſſas ſuas celebrantes, id impetrante diuo Hieronymo, huic priuilegio ceſſerunt, & ſe Latinæ accommodarunt eccleſiæ. Indi tamen auſtrales, permittente ſede Apoſtolica, rem diuinam lingua populari faciunt. At priuilegia paucorum non debent eſſe leges vniuerſorum. *Act. 8.*

DOROTHEA.

In omnibus, quæ adhuc à me non ſatis intellecta, in medium adducta ſunt, animo meo perbellè ſatiſfeciſti, quæque in ſacrificio altaris obſcura difficiliaque videbantur mirè illuſtraſti, qua lingua celebrari illud oporteat inſuper aperiens. Iam, ſi placet, ad ſacramentum ipſum reuertere, ac doce quomodo ad ſacram menſam, id percepturus fidelis, accedere debeat. THEOPHILVS.

1.*Cor*.11. Diuus Paulus hoc declarat. Probet, inquit, ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim indignè manducat & bibit, iudicium ſibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini.

DOROTHEA.

Quid in hac probatione Dominus poſtulat?

THEOPHILVS.

Vt verè probemus nos ipſos, ac periclitemur an vera ſimus Chriſti membra, hoc eſt, an veram habeamus fidem, qua non ſolùm credamus veritatem corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia, ſed & per redēptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, peccata (de quibus pœnitentia ducti confeſſi ſumus, diligenter excuſſis omnibus animorum noſtrorum latebris) gratuitò nobis remiſſa & cōdonata eſſe: qua fide videamus Chriſtum quaſi pendentem adhuc de cruce pro nobis, & ſuo nos perfundentem ſanguine in remiſſionem commiſſorum, & ſumma laude proſequamur hoc ſacrificiũ ſemel pro nobis immolatũ: qua intelligamus nos accipere tãquam de manu Chriſti, corpus eius pro nobis traditum, & ſanguinem ipſius effuſum in ablutionem ſcelerum noſtrorum: breuiter qua nō aliter afficiamur quàm ſi Chriſtũ pręſentem videremus, atque ita diuinam & ſpiritualem ipſius carnem adoremus (quam nobis dat in ſalutem) prius quàm comedamus. *August. in pſal.* 98. Neceſſe etiam eſt, vt nō ſolum peccata noſtra nobis diſpliceant, ſed vt in poſterum ſanctè ac iuxta Dei volũtatem viuere cupiamus, nullam de cætero peccādi voluntatem habentes: vt proximos ſyncera charitate complectamur, omnibus inimicitiis, odio, maleuolentiæ, ſimultatibus nuntiũ remittentes: vt nihil ardētioribus votis optemus, quàm vt in pace & fraterna concordia viuamus: vt animum habeamus carnis ſordibus purum & immunem. Denique vt fiduciam noſtram in Dei miſericordia collocemus, vitã ſalutemque omnino quærentes in Chriſto Ieſu, eumque vnicam noſtram iuſtitiam exiſtimemus.

DOROTHEA.

An Dominus perfectionem tam abſolutam numeris omnibus exigit, vt in ea nihil deſideretur?

THEOPHILVS.

Fidem charitatemque noſtrã integram & ab omni fuco vacuam

vacuam eſſe cõuenit:ſed hęc tã perfecta eſſe nihil eſt opus. Nam ſi perfecti eſſemus, non opus eſſet ſacramentis. Ideò enim inſtituta ſunt, vt ſubleuandæ noſtræ imbecillitati adminicula ſint ac imperfectionis ſubſidia. Quum ergo firmam malè antè actæ vitæ diſplicentiã & in omnia peccata odium in nobis ſentiemus, quod à Dei timore proficiſcatur, melioriſque & correctioris vitæ deſideriũ vt Domino obſequamur, capaces ſumus (non obſtantibus infirmitatis reliquiis, quas in carne circunferimus) huius ſpiritualis cõuiuij, in quo contemplabimur tanquam in ſpeculo Dominum Ieſum pro delendis noſtris delictis affixum cruci, & à mortuis excitatum, vt à corruptione & morte nos liberet, in cœleſtemque immortalitatem transferat.

DOROTHEA.

Quid de iis cenſes, qui charitate vacui, pollutaque conſcientia ad has cœleſtes accedũt epulas? An eos Chriſti corpus (quod ab eius ſpiritu diuelli nõ poteſt) accipere credis, cùm Chriſti ſpiritũ non percipiãt inſtrumẽto deſtituti quo ſpiritualia ſuſcipiuntur? THEOPHILVS.

Boni & mali, id eſt, digni & indigni, quum Euchariſtiã accipiunt, idem ſubſtantia ſacramentũ ſumunt. Vnde Apoſtolus indignè mãducantes, corporis Chriſti reos facit: & catholici patres cõfitẽtur Dominũ idem Iudæ corpus dediſſe, quod reliquis Apoſtolis: mali autem polluto quidem & indigno ore ſacramẽtum excipiunt & manducãt: ſed nõ ad vitam, cùm in illis obſtet malitia, ne quod ſpirituale eſt, ſpiritualiter digeratur. Quare illis in exitium & cõdemnationem cedit. Licèt enim qui corpus Chriſti ſacramẽtaliter ſumunt, ſpiritum etiã Chriſti ſumant per concomitantiam eiuſdem corporis, ſcilicet in exteriorẽ hominẽ: in interiorẽ tamen hominẽ, eundem ſpiritum per gratiã non admittũt, ſecundum quam in illis operetur. Eſt ergo in illis ſpiritus Domini, qui replet orbẽ terrarũ, eſſentaliter: ſed nõ efficaciter per gratiã. Quòd autẽ in Euchariſtico ſacramẽto bonis pariter ac malis verũ Chriſti corpus & ſanguis verè omnibus ex æquo dentur, maliq; perinde ac boni in os admittãt, cõſentiẽs patrũ teſtimoniũ edocet. Prim' ergo prodeat Origenes. Is quidẽ ſic alicubi ſcribit: Iudiciũ Dei paruidendis, & cõmonentem eccleſiam deſpicis? Cõmunicare nõ ti-

Origenes in pſal.37.

mes corpus Chriſti,accedens ad Euchariſtiam quaſi mundus & purus,quaſi nihil in te ſit indignũ,& in iis omnibus putas quòd effugias iudiciũ Dei?non recordaris illud quod ſcriptũ eſt,quia propterea in vobis infirmi & ægri, & dormiunt multi? Quare multi infirmi?Quoniam non ſeipſos diiudicant,neque ſeipſos examinãt,neque intelligunt quid eſt communicare eccleſiæ,vel quid eſt accedere ad tanta & tam eximia ſacramenta. Patiuntur hoc quod febricitantes pati ſolent,quum ſanorum cibos præſumunt ſibimetipſis inferentes exitium. Idem alio quodam in loco: Quando,

Hom.5. in diuerſos.

inquit,ſanctũ cibum illudq́ue incorruptũ epulum accipis, quando vitæ pane & poculo frueris,mãducas & bibis corpus & ſanguinem Domini,tunc Dominus ſub tectum tuũ ingreditur:& tu ergo humilians temetipſum,imitare hunc Centurionem,& dicito,Domine non ſum dignus vt intres ſub tectum meum.Vbi enim indignè ingreditur,ibi ad iudiciũ ingreditur accipienti.Hactenus Origenes.Audiamus

Cyprianus de lapſis.

nunc Cyprianum.Iacẽs,inquit,ſtantibus,& integris vulneratis minatur, & quòd non ſtatim Domini corpus inquinatis manibus accipiat,aut ore polluto ſanguinem Domini

De cœna Domini.

bibat,ſacerdotibus ſacrilegus iraſcitur. Quomodo autem malos intelligat accipere in ſacramẽto,ipſemet alibi explicat.Sacramenta quidem (ait)quãtum in ſe eſt,ſine propria eſſe virtute non poſſunt,nec vllo modo diuina ſe abſentat maieſtas myſteriis:ſed quamuis ab indignis ſe ſumi vel cõtingi ſacramẽta permittant,non poſſunt tamẽ ſpiritus eſſe participes,quorum infidelitas vel indignitas tãtę ſanctitudini contradicit. Ideoq́ue aliis ſunt hæc munera,odor vitæ in vitam,aliis odor mortis in mortẽ,quia omnino iuſtũ eſt vt tanto priuentur beneficio gratiæ contẽptores,nec in indignis tantæ gratiæ puritas ſibi faciat mãſionem.Hæc ille.

Baſilius de baptiſmo cap.vlt.

Sed huc Baſilius quoque accedat.Debemus itaque(ait)attẽdere,quid ſit iudicium eius,qui indignè edit ac bibit.Nam ſi qui fratrem quoque per cibum contriſtat,à charitate excidit,ſine qua magna quoque chariſmata & iuſtificationes quoque operantia,nihil proſunt:quid de eo dicendum eſt, qui ocioſè & inutiliter edere audet corpus & bibere ſanguinem Domini Ieſu Chriſti,& hac ratione plus aliquanto contriſtat ſpiritum ſanctum, dum ſine ſocia charitate veſcitur?

citur?Conſentit his Hyſichius celebris author,ſic ſcribens: *Hyſichius*
Siquis Dei tẽplum violauerit, diſperdet illum Deus. Pro- *in Leuiticũ*
pter quod ſanctuarium eius paueamus, vt nec corpus no- *lib.6.c.26.*
ſtrum polluamus, neque ad corpus Chriſti, in quo eſt omnis ſanctificatio(in ipſo enim omnis plenitudo diuinitatis inhabitat) ſine ſubtili diiudicatione noſtri temerè accedamus,ſed prius noſmetipſos probemus, reminiſcentes eius qui dixit:Quicũque comederit panem,aut biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini. Hęc Hyſichius,qui corpusChriſti ab indignis accipi ſentit ex illis verbis Pauli,Quicunque comederit indignè,&c.Ab hoc videamus quid ſentiat Ambroſius. Et quomodo (ait) *Ambroſius*
conculcat quiſquam filium Dei?Quando enim eò indignè *in epiſt.ad*
participatur per ſacramenta,nónne grãde peccatum com- *Heb.10.ca.*
mittit? nónne illum conculcat? nónne ipſum contemnit?
Veniamus iam ad Chryſoſtomum. Is quadam homilia ſic *Chryſoſt.in*
ſcribit:Cogita quanta indignatione aduerſus proditorem, *Mat. hom.*
aduerſus eos qui crucifixerunt ipſum mouearis:& caue ne *83.*
tu quoque corporis & ſanguinis Chriſti reus efficiaris. Illi acerbiſſimè trucidarũt,tu poſt tot tantaque beneficia,ſordida ſuſcipis anima.Quàm grauiter autẽ idem tulerit indigno dari corpus Domini, illa ſententia eius oſtendit, dum
ſacerdotẽ ſic alloquitur:Quòd ſi ipſe pellere nõ audes,mihi *Idem eadem*
dicas.Non permittam iſta fieri:animam prius tradã,quàm *homil.*
Dominicum corpus alicui indignè:ſanguinemq́ue meum effundi potius patiar,quàm ſacratiſſimum illum ſanguinẽ præterquam digno concedã.Hæc Chryſoſtomus, qui alibi
quoque ſic ſcribit:Nemo ſit Iudas in menſa.Hoc ſacrificiũ *Idem homi.*
cibus ſpiritualis eſt.Nã ſicut corporalis cibus,quum ventrẽ *de prodit.*
inuenerit aduerſis humoribus occupatum, amplius lædit, *Iudæ.*
magis nocet,& nullũ præſtat auxiliũ:ita & ipſe ſpiritualis cibus,ſiquem repererit malignitate pollutum, magis eum perdet,nõ ſua natura,ſed accipiẽtis vitio. Pura igitur mens in omnibus,pura cogitatio,quia & ſacrificium purum eſt.
Nũc accedamus ad Hieronymum.Polluimus,inquit,panẽ, *Hieronym'*
id eſt,corpus Chriſti,quando indigni accedimus ad altare, *in Malachi*
& ſordidi mundum ſanguinem bibimus,& dicimus,Mẽſa *am cap.1.*
Domini deſpecta eſt:non quòd hoc aliquis audeat dicere, & quod impiè cogitat, ſcelerata voce proferre: ſed opera

In pſal.54. peccatorum deſpiciunt menſam Dei.Idem tradit Iudam in cœna corpus & ſanguinem Domini cũ cæteris ſumpſiſſe, dum illud enarrat,Qui ſibi mecum dulces capiebat cibos. Cũ mãdatis,inquit,vitæ,& voluntate patris plerunque,refectus es.Cibus enim dulcis eſt,patris facere voluntatẽ:vt illud,Qui intingit mecũ manũ in paropſide, leuabit cõtra me calcaneum ſuum:vel cibus dulcis,id eſt, corpus & ſanguis Chriſti,quod ipſe accepit indignus. Quod autem ab immũdis ſuſcipi poſſit corpus Chriſti,& tamen à ſolis mũ-
In epiſt.1. Cor.cap.11. dis ſuſcipi oporteat,idem iis verbis docet:Si in linteum vel vas ſordidum , non illud mittere audet, quanto magis in corde polluto?quam immunditiam Deus ſuper omnia execratur,& quæ ſola iniuria eſt eius corpori . Nã & Ioſeph ille iuſtus propterea ſindone munda inuolutũ,in ſepulchro nouo corpus Domini ſepeliuit,pręfigurãs corpus Domini accepturos tam mundam mentem habere quàm nouam. Hæc Hieronymus. Supereſt vt audiamus Auguſtinum. Is
Auguſtinus epiſt. 162. epiſtola quadam ita ſcribit:Tolerat ipſe Dominus Iudam, diabolum, furem & venditorem ſuum:ſinit accipere inter innocentes diſcipulos quod fideles norunt precium no-
Idem cõtra Creſconiũ lib.1.ca.25. ſtrum. Idem alibi: Quid de corpore ipſo & ſanguine Domini,vnico ſacrificio pro ſalute noſtra , quamuis ipſe Dominus dicat, Niſi quis manducauerit carnem meam,& biberit ſanguinem meum , non habebit in ſe vitam.Nónne idem Apoſtolus docet,etiam hoc pernicioſum malè vtentibus fieri?Ait enim: Quicunque manducauerit panem , & biberit calicem Domini indignè,reus erit corporis & ſanguinis Domini. Ecce quemadmodum obſunt diuina & ſancta malè vtentibus. Cur non & hoc modo baptiſmus?
In Apoca. hom.2. Alio quoque in loco corpus Chriſti malos accipere docet, dum ſic loquitur : Vincenti dabo mãducare de manna abſcondito,id eſt,de pane qui de cœlo deſcendit,cuius figura fuit manna in eremo,quam,ſicut ipſe Dominus dixit,multi
De baptiſmo lib.5. cap.8. manducantes mortui ſunt: ſed & nunc quicunque manducat indignè , iudicium ſibi manducat. Et alibi : Et tamen corpus Chriſti nihilominus iis eſt,qui indignè accipiunt,
De ciuit. Dei lib.21. cap.25. & idem odor:ſed quia nõ eodem ſuſcipitur modo ab omnibus,& eſt modus quidã mãducationis,quẽ vita ſequitur, & benedictio. Quum verò alicubi dicit Auguſtinus illum

non

non verè manducare, aut non manducare re vera corpus & ſanguinem Domini, qui non manet in eo: illa verba [verè] & [re vera] determinant veritatem modi manducationis deeſſe, non veritatem eius quod manducatur. Ideóque de malo rectè dicitur, quòd nec verè comedit, nec re vera mãducat, quia non rectè manducat: nec vero modo manducat ad vitam, licet veram carnem mãducet ad condẽnationem. Quis autem ſit ille modus ſecundũ quem ſi manducauerimus, manet in nobis Chriſtus, & nos in illo, idem Auguſtinus docet: Videte, inquit, fratres, panem cœleſtem ſpiritualiter mãducate, innocentiam ad altare apportate, peccata et ſi ſint quotidiana, vel non ſint mortifera. Antequam ad altare accedatis, attendite quòd dicatis, Dimitte nobis debita noſtra, &c. Hæc ille, Cui Oecumenius aſtipulatur hæc Pauli verba explanans, Reus erit: Quod ait, Reus erit corporis & ſanguinis Domini, hoc indicat, quòd quemadmodum Iudas eum tradidit, Iudæi verò in ipſum debacchati ſunt: ita ipſum ignominia afficiunt, qui ſanctiſſimum ipſius corpus manibus impuris ſuſcipiunt, veluti tunc Iudæi eum tenuerunt, & execrando admouent ori. Non in alia eſt ſententia venerabilis ille Beda, cuius piam eruditionem & doctam pietatem eccleſia merito ſuſpicit. Quid ergo (inquit) miraris, ſi datus eſt Iudæ panis Chriſti, per quem mancipasetur diabolo, quum videas datum Paulo angelum diaboli, per quem perficeretur Chriſto? Ita & malo bonum obfuit, & bono malum profuit. Recordamini vnde ſit ſcriptum, Quicunque manducauerit panem, aut biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini: & de iis erat ſermo quum hoc Apoſtolus diceret, qui Domini corpus veluti quemlibet alium cibum indiſcretè negligentérque ſumebant. Hic ergo ſi corripitur qui non diiudicat, hoc eſt, non diſcernit à cæteris cibis, Dominicum corpus: quomodo damnatur qui ad eius menſam fingens amicum, accedit inimicus? Si reprehenſione tangitur negligentia conuiuantis, qua pœna percutitur venditor inuitantis? Hæc Beda. Cur malis autem ita noceat indignè manducare Chriſti carnem, Theophylactus his verbis explicat: Qui enim (inquit) manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit.

Auguſt. in Io. tract. 26

Oecumeni⁹ in epiſt. 1. Cor. 11.

Beda in Io. & Aug. in Ioan. tract. 62.

Theophyl. in Paulum, 1. Cor. 11.

Nec ſanè ob myſteriorum naturam id dixerim, quippe quæ vitam in ſe & habent & largiuntur, ſed ob myſteria adeuntium indignitatem, quibus haud ſecus illa officiunt, ac ſolet oculorum valetudine laborantibus ſol ipſe obiectus officere. Poſſem his complures alios annectere locos eodem pertinentes, quos breuitatis cauſa prætermiſſos volo. Iam ad inſtitutum ſermonem reuertamur.

DOROTHEA.

Agedum igitur, dic mihi: Ecqua vis eſt & efficacia huius ſacramenti?

THEOPHILVS.

Principalis huius ſacramenti virtus, eſt quòd qui illud ſumit ita cum Chriſto per viuificatricem eius carnem coniungitur, vt non ſolùm ſpiritualiter per fidem & charitatem, ſed vera etiam corporis vnione, vnum ſit cum illo, quemadmodum ipſemet teſtatur dicens: Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in illo. Perceptione enim huius ſacramenti, quæ recta fide fit, ipſum filium Dei ſuſcipimus, ac Chriſti corpus & membra efficimur. Atque hæc quidem coniunctio non modò nos cum Chriſto arctius copulat, ſed etiam cum ſanctis omnibus vt abundantius eorum fruamur communione, & ipſorum precibus iuuari poſſimus. Quia verò Chriſtum ſuſcipimus, theſaurum illum percipimus, in quo omnia peccata remittuntur, in quo mors aboletur, in quo vita nobis communicatur. Viuificat quidem Dei verbum: ſed non minus viuificat Chriſti corpus omnipotenti verbo (à quo vniuerſa viuificantur) coniunctum. Caro enim ſaluatoris verbo Dei (quod naturaliter vita eſt) coniuncta viuifica effecta eſt. Ergo quando eam in fide & charitate comedimus, tunc vitam habemus in nobis, illi carni coniuncti quæ vita effecta eſt. Hac de cauſa Chriſtus in exuſcitandis mortuis non tantùm verbo, vt Deus vtebatur, verùm etiam carnem ſuam veluti cooperatricẽ adhibebat, ac tactu mortuos excitabat, vt oſtenderet corpus quoque ſuum viuificare poſſe. Quòd ſi ſolo tactu eius, corrupta redintegrãtur: quomodo non viuemus, qui carnem illam, & guſtamus & manducamus? Reformabit enim omnino ad immortalitatem ſuam participes ſui. Porrò autem oportuit

Ioan. 6.

Cyrillus in cõcil. Ephe.

vt non

vt non ſolùm anima per ſpiritum ſanctum in beatam vitam aſcenderet, verùm etiam vt rude atque terreſtre hoc corpus, cognato ſibi guſtu, tactu, & cibo ad immortalitatem reduceretur: non quidem vt qui corpus Chriſti ſumerent iam temporali quidem morte non morerentur, ſed ne morerentur in æternum. Propterea cùm dixiſſet Chriſtus: *Auguſt in* Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem, *Io. tract. 26* habet vitam æternam: continuò ſubiecit, Et ego reſuſcita- *Ioan. 6.* bo eum in nouiſſimo die: vt habeat interim ſecundum ſpiritum vitam æternam in pace & requie conſcientiæ, ac tandem caro etiam eius vita æterna non fraudetur, nimirùm reſuſcitanda in nouiſsimo die. Habemus ergo per huius ſacramenti carnis & ſanguinis Domini perceptionem, certum pignus ac velut arrhabonem reſurrectionis corporum noſtrorum, remiſsionis peccatorum, immortalitatis ac vitæ æternæ. Qui verò per fidem intelligit quomodo Chriſtus ſe totum ei impertiat, & ineffabili charitate adiungat, is non poteſt non viciſsim ſe totum Chriſto conſecrare. Itaque quàm maximè cauẽdum ducit, ne iam factus templum Chriſti, corpus ſuum & animam, corpori Chriſti iam coniuncta, rurſus inquinet, polluat, ac peccatis proſtituat. Curat etiam vt voluntati Chriſti ſe totum accommodet, accepta in ſacramento virtute reſtinguendi concupiſcentiam membris inhærentem, adhæc fidei & charitatis acceſsione ſibi facta, aduerſus omnes peccati, mundi, & diaboli inſidias. Quò fit vt in Chriſtum ſit transformatus, ac valere iuſsis omnibus terrenis cupiditatibus in *Epheſ. 5.* Chriſto maneat & in ipſo Chriſtus, effectus os de oſsibus eius, & caro de carne eius.

Alter Euchariſtiæ finis eſt, vt manducantes & bibentes corpus & ſanguinem Domini, tanti beneficij (quod noſtra cauſa moriens nobis impetrauit) nempe remiſsionis peccatorum, & vitæ æternæ memores ſimus, & ſemper ad gratiarum actionem conuertamur, prædicantes, anũciantes, ac interno cordis gaudio ſumma cum laude commemorantes corpus Chriſti pro nobis traditum, & ſanguinem eius in cruce in remiſsionem peccatorum noſtrorum effuſum: confitentes inſuper hoc eſſe vnicum precium redemptionis animarum noſtrarum, ſicut Paulus ait; Empti enim *1. Cor. 6.*

eſtis precio magno: exultate & portate Deum in corde & corpore veſtro. Poſtremò hoc ſacramentum inſtitutum eſt vt ſit efficax ſignum eccleſiaſticæ vnitatis & fraternæ charitatis, extra quam nemo ritè accipit hoc ſacramentum.

1. Cor. 10. Hoc nimirùm eſt quod dicit Apoſtolus: Quoniam vnus panis, & vnum corpus multi ſumus, qui de vno pane & de vno calice participamus. Myſterium ergo pacis & vnitatis noſtræ Chriſtus in menſa ſua conſecrauit: ideóque per cibum & potum ſocietatem ſui corporis & membrorum ſuorum intelligi voluit, quæ eſt eccleſiæ vnitas. Qui ergo eſt in eius corporis vnitate, id eſt, in Chriſtianorum compage membrorum, ipſe verè dicendus eſt manducare corpus

Auguſt. de ciuit. Dei li. 21. ca. 25. Chriſti, & bibere ſanguinem Chriſti. Proinde hæretici, & ſchiſmatici ab huius corporis vnitate ſeparati, poſſunt quidem idem percipere ſacramentum, ſed non ſibi vtile, imò verò ſibi noxium. Accipiunt enim id in teſtimonium contra ſe, qui non ſunt in eo vinculo pacis, quod in illo exprimitur ſacramento. Diuiſionem enim quærunt, cùm panis

Cryſoſt. ho. 51 tom. 4. in Matth. hom. 33. ille cœleſtis indicet vnitatem. Vna menſa omnibus eſt poſita, idem cibus porrigitur, non diuiti amplius, non pauperi minus, quòd Chriſtus omnes æqualiter vocarit. Idque in propatulo fit, vt ſcilicet nos vnum corpus agnoſcamus, & mutua charitate complectamur. Atque vt panis ex multis granis ſic mixtis inter ſe & confuſis conficitur, vt alterum ab altero ſecerni nõ poſsit: ac vinum itidem ex multis racemis defluit: ita debemus alij aliis tanta animorum concordia & conſenſione coniungi, vt nullum oboriatur diſsidium, amantes inuicem, vnam tenentes fidem, vnam ſpem, & indiuiduam charitatẽ. Debet vtique impreſſa inſculptáque animis noſtris hæc eſſe cogitatio: non poſſe quẽquam ex fratribus noſtris lædi à nobis, traduci, rideri, contemni, aut vllo modo offẽdi, quin ſimul in eo Chriſtum lædamus, traducamus, rideamus: non poſſe nos à fratribus diſſidere, quin ſimul à Chriſto diſsideamus: Chriſtum à nobis diligi nõ poſſe, quin diligatur in fratribus: qualem corporis noſtri curam gerimus, talem fratrum quoque gerendam, qui membra ſunt corporis noſtri: quomodo nulla corporis noſtri pars aliquando doloris ſenſu tangitur, qui non in alias omnes diffundatur: ita nõ ferẽdum eſſe fratrem malo

aliquo

aliquo affici, cuius non & ipſi commiſeratione permoueamur. Quamobrem non abs re Auguſtinus toties ſacramentum hoc appellat charitatis vinculum. Nullus enim acrior admoueri ſtimulus poterat, ad excitandam mutuam inter nos charitatem, quàm dum Chriſtus ſeipſum nobis donās non modò ſuo nos exemplo, vt alter alteri nos mutuò deuoueamus ac tradamus, inuitat: ſed quatenus ſe facit omnium communem, nos quoque omnes vnum in ſeipſo eſſe facit.

DOROTHEA.

Ecquis eius ſacramenti miniſter eſt?

THEOPHILVS.

Vniuerſalis eccleſiæ conſenſu ſacerdos, qui pro Chriſto legatione fungitur, & à Chriſto miniſterium reconciliationis accepit, huius miniſter eſt myſterij: qui etſi malus ſit, nihilominus tamen corpus & ſanguinem Domini conficit, conſecrat, & diſtribuit. Nihil enim à bono maius, nihil à malo minus perficitur ſacerdote. Quia non in merito conſecrantis, ſed in verbo efficitur creatoris. Siquidem credendum eſt quòd in verbis Chriſti ſacramenta conficiantur: ſicut ipſe eſt qui baptizat, ita ipſe eſt qui per ſpiritum ſanctum ſuam efficit carnem & ſanguinem. Non ſacerdos, ſed ſpiritus ſanctus eſt, qui viuificat, qui vnus idémque in tota eccleſia inuiſibiliter ea myſteria & operando ſanctificat & ſanctificando benedicit. Ergo diuina ſolummodo eſt hæc virtus ſiue poteſtas, non humanæ efficaciæ, vt non ſit mirum, ſacramentum nec bonorum diſpenſatorum meritis ampliari, nec malorum attenuari, quamuis interim malus miniſter ad iudicium & condemnationem ſuam tanto miniſterio fungatur. Sed iam ſurgamus, nóſque curemus, & pauliſper ab hac contentione diſputationis animos noſtros curámque laxemus.

FINIS.

PETRI BVLENGERII TRECENSIS INSTITVtionum Chriſtianarum liber octauus.

DOROTHEA.

SVPERIORVM dierum diſputationibus perbellè, mi frater, de Baptiſmo, Cōfirmatione, Pœnitētia, & Euchariſtia diſſeruiſti. Quare ex ſeptem eccleſiæ catholicę, quę enumeraſti, ſacramentis, tria tantùm reſtant explicanda, nimirùm Ordo, Extrema vnctio, & Matrimonium. Age igitur, aggredere iam, ſi commodum videtur, ad ordinis ſacramentum.

THEOPHILVS.

De ſacramento ordinis.

Hoc ſacramentum ſignificat in eccleſia Dei diuerſa eſſe miniſteria & officia, ne perturbatio confuſioque in republica Chriſtiana ſuboriatur. Quantò autem maiora ſunt miniſteria, tantò magis dono Dei & ſpirituali gratia indigent, quæ viſibili quodam ſignaculo baptizatis infunditur, quum per manus impoſitionem ad munus aliquod in eccleſia publicè gerendum ritè ordinantur. Quanquam autem Chriſtiani omnes ſunt ſacerdotes, quatenus ſpirituales hoſtias Deo offerre, & nomen item eius in omni loco vtiliter inuocare poſſunt: non omnes tamen ſunt eccleſiæ miniſtri: ſed iam inde ab ortu eccleſiæ ſegregati ſunt quidam in miniſterium eccleſiæ, qui huius muneribus fungerentur: & eoſdem ita diſtinxit Deus, ne iidem omnia poſſent, néve ex promiſcua illa ratione perturbatio naſceretur. *1. Cor. 14.* Neque enim Deus eſt confuſionis author. Ordinis autem ſacramentum firmiſſimus nexus eſt & aptiſſimum vinculum ad retinendam eccleſiæ vnitatem. Dum enim miniſterium eccleſiæ per ordinationem ad certos homines aſtringitur, apud quos certitudo doctrinæ, & legitima ſacramentorum diſpenſatio reſidere commonſtratur, facilè plebs à

plebs à ſeparatione reuocatur, & à ſchiſmate eccleſia defenditur.

DOROTHEA.

Quo verbo nititur hoc ſacramentum? Anne promiſſionem habet gratiæ Dei aſsiſtentis miniſterio?

THEOPHILVS.

Verbis illis Chriſti nititur, quibus nos de authoritate miniſtrorum & miniſterij efficacia certiores facit: Sicut, inquit, miſit me pater, & ego mitto vos: Accipite ſpiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Item: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, &c. Et, Euntes in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Item cùm ait, Hoc facite in meam commemorationem. *Ioan. 20.* *Mat. 28.* *Marc. 16.* *Mat. 26. & Luc. 22.*

DOROTHEA.

Quænam materia eſt, quódve elementum huius ſacramenti?

THEOPHILVS.

Elementum eſt impoſitio manuum epiſcopalium, qua ſignificatur electos confirmari in opus miniſterij, & accipere poteſtatem prædicandi verbi, conſecrandi Euchariſtiam, adminiſtrandi ſacramenta, ordinandi omnia in eccleſia ad ædificationem, ac coercendi rebelles, ſceleſtos, ac nefarios.

DOROTHEA.

An ſcriptura docet inauguratos cõſecratóſque ad munia & officia eccleſiæ, gratiam accipere, qua ad eadem adminiſtranda apti, habiles, atque idonei efficiantur?

THEOPHILVS.

Id vel apertiſsimè declarat. Sic enim Apoſtolus Timotheum admonet: Noli negligere gratiam quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per prophetiam cũ impoſitione manuum presbyteri. Et iterum: Admoneo te vt reſuſcites gratiã Dei quæ in te eſt per impoſitionem manuum mearum. Operatur autem hęc gratia non tantùm in bonis, ſed & in malis ſacerdotibus. Nam etſi mali ſacerdotes ſpiritu careãt, quo ipſi ſancti ſint, ſpiritum ſanctum tamen habent, qui miniſteriis, quæ per eos aguntur aſsiſtit. *1. Tim. 4.* *2. Tim. 1.*

DOROTHEA.

Nullámne huius ſacramenti mentionem fecerunt antiqui eccleſiæ doctores?

THEOPHILVS.

Clemẽs lib. 3. Diony. eccleſ. Hiera. cap. 5. Iren. lib. 4. cap. 20. Euſeb. lib. 7 cap. 8. Trip. hiſt. lib. 1. cap. 12 lib. 9.

Sanctus Clemens, S. Dionyſius Areopagita, Irenæus, Euſebius, & tripartita hiſtoria ex profeſſo meminerunt. Ac Leo quartus de ordine loquens: Ne tantæ, inquit, benedictionis ſacramentum negligenter videatur impletum. Similiter Auguſtinus lib. 2. contra epiſt. ad Parmenianum de ordine & baptiſmo diſſerens: Vtrumque, inquit, ſacramentum eſt, & quadam cõſecratione vtrumque homini datur: illud cùm baptizatur, & illud cùm ordinatur: ideò non licet in eccleſia catholica vtrumque iterari. Nam ſi quando ex hæreticorum parte venientes, etiam præpoſiti, pro bono pacis (correcto ſchiſmatis errore) ſuſcepti ſunt: & ſi viſum eſt opus eſſe, vt eadem officia gererent quæ gerebant, non ſunt rurſus ordinandi, ſed ſicut baptiſmus in eis, ita manſit ordinatio integra: quia in præciſione fuerat vitium, quod vnitatis pace correctum eſt non in ſacramentis, quæ vbicunque ſunt, ipſa vera ſunt. Et paulò poſt: Neutri ſacramento facienda eſt iniuria Et addit de ſacramento ordinis: Sicut non rectè habet qui ab vnitate recedit, ſed tamen habet: ſic etiam non rectè dat, qui ab vnitate recedit, & tamen dat. Et rurſus ad vtrumque reuerſus, adiecit: Non ergo ideò non ſunt ſacramenta Chriſti & eccleſiæ, quia eis illicitè vtuntur non modò hæretici, ſed etiam omnes impij, ſed illi corrigendi ſunt & puniendi: illa autẽ ſunt agnoſcenda & veneranda. In eandem ſententiam Gregorius ait: Quòd dicitis, (inquit) vt qui ordinatus eſt, iterum ordinetur, valde ridiculũ eſt. Vt enim baptizat' ſemel, iterum baptizari nòn debet: ita qui conſecratus eſt ſemel, in eodem ordine non valet iterum conſecrari. Ac myſterium impoſitionis manuum hunc in modum explicat Ambroſius. Homo (inquit) imponit manus, Deus largitur gratiã: ſacerdos imponit ſupplicem dexteram, & Deus benedicit potẽti dextera, epiſcopus initiat ordinem, & Deus tribuit dignitatem. Et alibi, Manus impoſitionis verba ſunt myſtica, quibus confirmatur ad opus electus, accipiens poteſtatem, teſte conſcientia ſua, vt audeat vice Domini ſacrificium Deo offerre..

Ambr. de dignit. ſacerdo. cap. 5.

DORO-

DOROTHEA.

Quæ tandem huius ſacramenti virtus eſt?

THEOPHILVS.

Poteſtatem ordinis & iuriſdictionis complectitur. Poteſtas ordinis, miniſterium verbi, adminiſtrationem ſacramentorum, & eccleſiarum ordinationem ad ædificationē: iuriſdictio verò, poteſtatem excommunicandi cõtumaces, & reſipiſcentes abſoluendi continet. Prior omnibus Apoſtolis ex æquo data eſt, poſterior propriè toti eccleſiæ collata eſt, idq; in perſona Petri.

DOROTHEA.

Quando certi ſumus, miniſterium verbi & ſacramentorum non eſſe ex perſonis miniſtrantium æſtimandum, ſed ex diuina authoritate, non videtur priuato iudicio abrogãda miniſtris authoritas ob ſceleratam duntaxat viuendi rationem, quandiu doctrinam Chriſti & ſacramenta vitę adminiſtrant, & ab eccleſia tolerantur.

THEOPHILVS.

Hoc veriſſimum eſt, vnde etiam ſcriptum legimus, Super cathedram Moſis ſederunt ſcribæ & phariſæi, quæcunque dixerint vobis facite. Ac Chriſtus ipſe miniſtros alloquens ait, Qui vos audit, me audit, qui vos ſpernit, me ſpernit.

DOROTHEA.

Quot ſunt ordines?

THEOPHILVS.

Eccleſia catholica ſeptem ſemper agnouit, ſcilicet ordinem presbyterorum, diaconorum, hypodiaconorum, acoluthorum, lectorum, exorciſtarum, & oſtiariorum: quibus diſtincta munera, eáque aut neceſſaria eccleſiis aut vtilia aſſignantur, vt facilè appareat eum de eccleſia Chriſtiana malè mereri, quicunque ordines hos vel ſpernit, vel tollit. Horum meminit in quadam epiſtola ſãctus martyr Ignatius Antiochenus epiſcopus. Saluto, inquit, ſanctum veſtrum ſacerdotem, ſaluto ſanctos diaconos, ſaluto, hypodiaconos, lectores, cantores, oſtiarios, acoluthos, exorciſtas, & confeſſores. Vide concilium Laodicenum cap. vigeſimo tertio & vigeſimo quarto, Chalcedonenſe & Carthaginenſe quartum, cui Beatus Auguſtinus interfuit, *Epiſt. 8. ad Antioch.*

cap.4.5.6.7. & ſequentibus. Braccarenſe primum ca.28.& 29.Toletanum primum cap.4. Toletanum quartum cap. 40.Beatus Ambroſius in epiſt.ad Epheſ.cap.4.ſingulis ordinibus ſuam functionem ex Apoſtolo Paulo aſsignat, indicans quo in munere & officio deſcriptis in Paulo gradibus ſinguli ordines ſuccedant.Et in epiſt.1.Cor.cap.12. dicit in lege Dominica gradus eſſe chariſmatum, in officiis eccleſię.In loco ordinis officij eccleſiaſtici poſit*, gratiam habet,qualiſvis ſit,nō vtique propriam,ſed ordinis, per efficaciam ſpiritus ſancti.

DOROTHEA.

Ecquis huius ſacramenti miniſter eſt?

THEOPHILVS.

Cap.1. Et Pauli,& vniuerſalis eccleſiæ ſententia,epiſcopus eſt. Ait enim Apoſtolus ipſe ad Titum epiſcopum ſcribēs:Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea quæ deſunt, corrigas, & conſtituas per ciuitates presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi.

DOROTHEA.

De ſacramēto extremæ vnctionis. Accede iam ad extremæ vnctionis ſacramētum. A quo quæſo,inſtitutum eſt,& ad quid adhibetur?

THEOPHILVS.

A Chriſto quidem, ſicut & alia ſacramenta, inſtitutum eſſe credimus,vt homo,dum ægrotat, etſi aliorū ſacramentorum vtilitas latiſsimè per omnem vitā patet, ſubſidium tamen peculiare non deſideret, quod hoc eius periculoſiſſimo tempore, vel corpori ipſius ſubuenire, vel animam *Marc. 6.* cōtra ignita Satanæ tela munire valeat.Accedit autem vnctioni ſacræ oratio eccleſiæ,ad fidem opémque Dei ægroto implorandam.Atque hanc vnctionem primi exercuerūt Apoſtoli,qui mandato Domini ad prædicandum Euangelium miſsi, dæmonia eiiciebant, & oleo vngebant multos infirmos, & ſanabantur. Hæc ipſa verò vnctio (quæ non præſumptione Apoſtolorum,ſed authoritate,mandato,& inſtitutione Chriſti Ieſu adhibebatur, cùm data tantū poteſtate vterentur, nec quicquam in tanta legatione præter eius præſcriptum aggrederentur) ſacramentalis vtique & myſtica erat,non medicinalis,aut corporalis.Neque enim Apoſtoli in hac vnctione ciuile quoddam officium exercuerunt:

cuerunt:

cuerunt: cùm Chriſtus diſcipulos ſuos minimè chirurgos fecerit, ſed Apoſtolos & præcones Euangelij. Ad illam autem inter initia fidei, externa etiam corporis ſanitas, quaſi quoddam internæ ſanationis pignus cõſequebatur, quemadmodum in aliis ſacramentis, ad cõmendationem & confirmationem rudis adhuc fidei, interna virtus externis & ſenſibilibus ſignis ac miraculis demonſtrabatur. Nunc verò adulta & corroborata fides ſigna, quæ infirmis dantur, non requirit. Hui⁹ myſticæ & ſalutaris vnctionis à Domino fundatæ ritum, quo adminiſtrari eam conueniat, Apoſtolus Iacobus promulgauit, non ſuo quidem nomine, ſed tãquam Chriſti ſeruus. Infirmatur quis (ait) inter vos? accerſat presbyteros eccleſiæ, & orent ſuper eũ, vngẽtes eum oleo in nomine Domini. Et obſecratio fidei ſaluum reddet laborantem, & eriget eum Dominus: & ſi in peccatis fuerit, remittentur ei. Quanti autem eſſe debet in eccleſia teſtimoniũ fratris illius Domini, aut promulgatio potius? Quam cùm fecit legatus atque Apoſtolus Chriſti, Chriſtus vt à ſe factam proculdubio ratam habuit. Qui igitur contemnit hoc ſacramentum, Chriſtum ipſum contemnere, & gratiam quam hîc per vnctionem ſacram nobis quodammodo porrigit, aſpernari videtur. Quod tantò periculoſius eſt, quantò grauius eſt diſcrimen, non modò corporis, ſed etiam animæ, in quo verſatur ægrotus. Cùm enim aduerſarius noſter per totam vitam obſeruet hominẽ, & in omnem occaſionem intentus aduigilet, vt deuoret ac perdat, multò magis calcaneo hominis ſtruit inſidias, id eſt, vltima eius obſeruat, & in extremo vitæ tempore, totius malitiæ & tentationum ſuarum machinis eum oppugnat, ac tunc acrioribus ſtimulis & ſpe auidiore dimicat aduerſus hominem, cuius animum incredibilibus modis frangere, & in deſperationem impellere conatur, extinguendę ſalutis eius cauſa. Tunc ei omnia peccata in memoriam redigit, eáque commemorando exaggerat: tũc quoque appropinquantis iudicij Dei cogit hominem reminiſci iram Dei & diros inferni cruciatus ob oculos ponit, & vndique ad euertẽdam ægroti fiduciam, terrores accumulat. DOROTHEA.

Iacob. 5.

Gene. 3.

Quod verbum eſt huius ſacramenti? quæ promiſſio?

THEOPHILVS.

Iam verbum ex Iacobi epiſtola oſtēdimus, in qua præcipit vt ægroti in nomine Domini oleo vngantur. In eo igitur ſuſcepto ex fide & apprehenſo, ſacramentum ſitum eſt. Promiſſio ſignificatur iis quæ ſequuntur, & obſecratio fidei laborantem ſaluum reddet, & eriget eum Dominus, & ſi in peccatis fuerit, remittentur ei.

DOROTHEA.

Ecquod verò eſt elementum?

THEOPHILVS.

Oleum, quod appellatur infirmorum, quo ſignificatur ægroto, quòd morbo infirmitatis ſuæ delaſſatus reſpirare debeat & acquieſcere in vno Chriſto, qui vnctus eſt oleo lætitiæ præ conſortibus ſuis omnibus, vt cogitet ſe veluti athletam aliquem in extrema pugna conſtituũ in nomine Domini inungi, ne vlla vi morbi vlliſve diaboli inſultibus ſuccumbat, ſed roboratus fide carnem, mundum, & ſatanā ſub pedibus velociter conterat, idq́ue in Chriſto, cuius nomine inungitur. Hæc igitur vnctio adhibetur cum precatione, vt infirmus in fide per eccleſiæ obſecrationem confirmatus confidat ſe à Deo velut viuum eccleſiæ mēbrum reſpici & exaudiri: vtq́ue velut fortiſſimus miles inuictam ſpem ſumat de aduerſis omnibus in Chriſto triumphādi: vt denique certa fiducia, ſiue moriatur, ſiue conualeſcat, ſalutem æternam expectet ac complectatur, promiſſioni veraciſsimi Dei, nō ſecus ac certiſsimæ anchorę innixus. Atq; hanc vnctionem ſacram ſolis infirmis adhibendam Iacobus Apoſtolus inſinuat, quod reliqui etiam Apoſtoli ſeruauerunt: non tamen in omni, ſed periculoſa modò infirmitate valetudinis, & vbi vitæ huius interitus timetur.

DOROTHEA.

Quænam eſt verborum forma, quibus hæc myſtica vnctio adhibetur?

THEOPHILVS.

Eiuſmodi eſt: In nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti, vngo te oleo cōſecrato ſiue ſanctificato, ac per ſacrā iſtam vnctionem, & piiſſimam miſericordiā ſuam condonet tibi Deus quicquid auditu, viſu, olfactu, tactu, & guſtatu deliquiſti: Per Chriſtum Dominum noſtrũ. Amen. Pax tecum.

DORO-

DOROTHEA.

Ego necdum intellectu aſſecura ſum, quænam ſit huius ſacramenti vis atque efficacia.

THEOPHILVS.

Ea illius eſt virtus, vt recta fide & debita intentione illud ſuſcipienti gratiam conferat, deleat peccata, præſertim leuia & venialia, morbíque corpus infeſtantis leuamētum; ſi ita expediat, aut certè incolumitatem animæ præſtet. Breuiter in laborantis animum gaudium lætitiámque inducat, ac eius fiduciam conſolatione erigat. Eluit enim peccatorum reliquias, quatenus illæ quietem mētis interturbāt, & aſcenſum animæ ad Deum impediunt: turbatam ægrotantis mentem ſolatur & confirmat, & alacritatem reddit animo: ſimulq́ue aduerſus omnia malorū ſpirituum terriculamenta confidentiam adfert, maximè ſi ęgrotus ad promiſſionem huic ſacramento à Chriſto per Apoſtolum additam reſpiciat, & cogitet ſe in tutelam totius eccleſiæ per huius vnctionis vſum recipi, ac iam totum ſanctorum cœtum pro ſua ſalute curam agere, & precibus pro ſe Deum ſollicitare.

DOROTHEA.

Nunc audire velim, quid hac de re ſenſerint priſci illi & catholici doctores.

THEOPHILVS.

Dionyſius Areopagita capite ſeptimo de eccleſiaſtica hierarchia, huius vnctionis meminit. Diuusquoque Ioānes Chryſoſtomus libro tertio de ſacerdotio, huius ſacramēti & eius miniſtri mentionē facit, de ſacerdotibus loquēs in hæc verba: neque enim ſolùm quū nos regenerant, ſed poſtmodùm etiam cōdonādorū nobis peccatorū facultatē obtinent. Infirmatur, inquit, inter vos aliquis? accerſat presbyteros eccleſię, & orēt ſuper eū, vngentes eū oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſaluū reddet laborantē, & eriget eū Dominus, & ſi in peccatis erit, remittētur ei. Hactenus ille. Hieronymus explanans ſextū caput Marci: Cùm vngunt (inquit) oleo ęgrotos, infirmitatem virtute fidei corroborant. Corroborant autem interceſſione & oratione fidei, quam Dei clementia exaudiet, & ſe exorabilem præſtabit. Cuius ſacramentum eſt oleum conſecratum.

Beatus Auguſtinus de viſitatione infirmorũ: Nec præ-
Lib.2.ca.4 termittendũ eſt (inquit) illud Apoſtoli Iacobi præceptum: Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros eccleſiæ, vt orent ſuper eum, vngẽtes eum oleo ſancto, in nomine Domini Ieſu, & oratio fidei ſaluabit infirmum. Ergo ſic roges de te & pro te fieri, ſicut dixit Apoſtolus Iacobus, imò per Apoſtolum ſuum Dominus: ipſa videlicet olei ſacri delibutio, intelligitur, ſpirit' ſancti typicalis vnctio. Et alibi: Qui
Idem de rectitudine catholicæ conuerſationis. ægrotat in ſola Dei miſericordia confidat, & Euchariſtiam cum fide & deuotione accipiat, oleũque benedictum fideliter ab eccleſia petat, vnde ſuum corpus vngatur.

Innocentius eius nominis primus (quem concilium Aphricanum, cui & beatus Auguſtinus interfuit, vti Papam præcipuo diuinæ gratiæ munere in ſede Apoſtolica præſidentem, cum ſummi honoris delatione venerari non dubitauit) is inquam in decretis ſuis ad Decentium, epiſcopum Eugubinum, vnctionem quam Iacobus tradit Apoſtolus, ſacramentum eſſe indicat, & ritum eius miniſtrãdi, & qui-
Cap. 8. bus cõferri debeat edocet. Vnde Ambroſius & Gregorius (à quibus etiam inungendi formulas & preces accepimus & retinemus) luculenter docent, quibus reliqua ſacramenta negãtur, iis ne hoc quidem concedi poſſe. Scribit etiam Euſebius libri noni hiſtoriæ eccleſiaſticæ capite quarto, de diſcipulis beati Antonij, quòd cùm iis oblatus fuiſſet homo iam pridem membris omnibus, & præcipuè pedibus aridus, vnxerunt eum in nomine Domini oleo, ſtatimque cõfirmatæ ſunt plantę eius. Cui ſimile eſt quod ſcribit Sulpitius Seuerus in vita ſancti Martini cap.21. Qui oleo ſanctificato puellam quandam dura paraliſis ægritudine correptam, vt iam nullo ad humanos vſus corporis officio fũgeretur, ſanitati reſtituit.

Theophylactus in ſextum caput Marci hoc idem ſacramentum teſtatur, & huius vnctionis myſterium pulchrè explicat. Quòd vnxerint (ait) Apoſtoli, ſolus Marcus narrat, quod & frater Domini Iacobus in catholica epiſtola dicit. Infirmatur (inquit) quis inter vos? aduocet ſeniores eccleſiæ, & orent ſuper illum, vngentes eum oleo, &c. Eſt igitur oleum, & ad labores vtile, & lucis fomentum, & hilaritatis effectiuum, ſignificãtque miſericordiam Dei &

gratiam

gratiam ſpiritus, per quam à labore liberamur, & lucem, & gaudium, hilaritatémque ſpiritualem accipimus. Beda ſupradictum Marci locum enarrãs, eandem eſſe vnctionem, cuius Marcus & Iacobus meminerunt, & hoc ſacramẽtum à Chriſto inſtitutum, à Iacobo verò Apoſtolo promulgatum eſſe affirmat.

DOROTHEA.

Iam agnoſco hoc ſacramentum non ab humana inſtitutione fluxiſſe, ſed à Chriſti ordinatione & traditione Apoſtolica. Supereſt vt quis ſit huius ſacræ vnctionis miniſter, intelligam.

THEOPHILVS.

Miniſtrum ſacræ huius vnctionis ſacerdotẽ eſſe monſtrat Apoſtolus: Inducat (inquit) presbyteros eccleſiæ. Sacerdos verò in eiuſdem ſacramẽti miniſtratione, nõ ſuam, ſed Chriſti perſonam gerit: in ipſis autẽ precationibus totius eccleſiæ perſonam ſuſtinet, communi omniũ fidelium voce pro alleuatione infirmi orãs Dominum. Sic enim Apoſtolus vocat obſecrationem fidei, quæ ſaluum reddat laborántem, non vngẽtis miniſtri ſolùm, ſed totius eccleſiæ, in cuius fide omnia adminiſtrantur ſacramenta, cuius vicẽ ſacerdos, vt publicus eius miniſter, ſuſcipiens, vocis ſuæ organo publicas eccleſię preces fundit ad Dominum. In omnibus enim ſacramẽtis, poteſtatem & virtutem ad ſalutem ſuſcipientium ille ſolus exercet, de quo cœleſte teſtimoniũ perſonuit. Hic eſt qui baptizat, ſacerdos verò tãtummodò ad externum miniſterium, manu & lingua deſeruit. Miniſterium itaque, ſacerdotis: donũ autem, ſolius Chriſti eſt. *Ioan. 1.*

DOROTHEA.

In ſupradictis ſacramentis animũ meum expleuiſti. Iam accede, niſi quid aliud ſuperiori diſputationi adiiciendum putas, ad vltimum quod reliquum eſt, ſacramentum. Ecquis, amabo te, author eſt matrimonij? *De ſacramento matrimonij.*

THEOPHILVS.

Inſtituerat Deus in paradiſo matrimonium, quo mas & fœmina ad perpetuam & indiuiduam vitæ ſocietatem cõiungerẽtur, iuxta verbum Domini: Quamobrem relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna. Quãquam autem matrimonium ad tam arctam hominum ſocietatem inſtitutum erat: tamen ſub *Mat. 19.*

lege patrum matrimonia à prima inſtitutione duobus modis degenerauerant, videlicet vt & vnus plures vxores duceret, & ductam, aliquando dato libello repudij, à ſe dimitteret. Quorum prius ex diſpenſatione Dei permiſſum, futuri temporis myſterio ſeruiebat, vt per plures vnius viri vxores inſinuaret, Chriſtum tam ex ſynagoga quàm ex multitudine gẽtium, eccleſiam ſibi collecturum, & ſponſam ſibi adiuncturum. Et vt fœcunditate plurium vxorum, Chriſto ſeruatori ex eodem ſemine naſcituro ſeruirent. Repudium verò Moſes populo ob duritiam cordis permiſit, leuius ducens vxorem à viro odio habitam dimitti, quàm occidi, vt eius cæde nouis nuptiis locum aperiret. Verùm poſtquam plenitudo gratiæ venit, vt alia, quæ vel in cœlo, vel in terra eſſent, reſtaurauit Chriſtus, ſic
Mat.19. etiam matrimonium reſtituit. Hinc illud Chriſti, Qui fe-
Marc.10. cit hominem ab initio, maſculum & femellam fecit eos Deus. Et dixit, Propter hoc dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna. Itaque non iam ſunt duo, ſed vna caro. Quos igitur Deus coniunxit, homo non ſeparet. Et paulò poſt: Moſes ob duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere vxores veſtras: ab initio autem non fuit ſic. Quamobrem quicunque dimittit vxorem, niſi ob fornicatio-
1.Cor.7. nem, & aliam duxerit, mœchatur. Quod Apoſtolus interpretatur, dum ait: Iis, qui matrimonio iuncti ſunt, præcipio, non ego, ſed Dominus, vxorem à viro non diſcedere: quòd ſi diſceſſerit, manere innuptam, aut vi-
Can.17. ro ſuo reconciliari. Ex qua quidem interpretatione fluxit hoc Milenitani concilij (cui diuus Auguſtinus interfuit) decretum: Placuit vt ſecundum Euangelicam & Apoſtolicam diſciplinam, neque dimiſſus ab vxore, neque dimiſſa à marito, alteri coniungantur, ſed ita maneant, aut ſibimet reconcilientur. Quod ſi contempſerint, ad pœnitentiam redigantur. In qua cauſa legẽ imperialem petendam cenſuerũt, qua videlicet prohiberetur, ne quis aduerſ⁹ cõcilij decretũ aliquid aggrederetur. Hæ itaq; chriſtiani matrimonij ſingulares cõditiones manifeſtis ſcripturę ſacrę teſtimoniis cõprobãtur: vna, vt ſit matrimoniũ duorũ tantũ, hoc eſt, viri vnius cũ vna muliere coniunctio.

Duo,

Duo,inquit,erunt in carne vna. Nec ſe iunctis liceat, defraudato coniuge ſuo,alicui tertio corporis ſui poteſtatem permittere,prohibēte Apoſtolo & dicēte:Mulier poteſtatē corporis ſui non habet,ſed vir: ſimiliter & vir non habet poteſtatem ſui corporis,ſed mulier. Altera conditio eſt, vt vinculum coniugij inter duos ſemel colligatum, nullo amplius diuortio,ſed ſola alterutrius morte diſſoluatur. Nam quòd Chriſtus ob ſcortationem vxorem dimitti poſſe inſinuat,hæc ſeparatio tori & menſæ conſuetudinem inter coniuges ſcindit,vinculum coniugij non ſoluit,ita vt adulterium committat,non ſecus ac qui alienam permolit & violat vxorem,quiſquis ſic dimiſſam dixerit. Qui dimiſerit (inquit Chriſtus) vxorem ſuam,& duxerit aliam,mœchatur. Similiter,& qui dimiſſam duxerit,mœchatur: nam viro obnoxia mulier, viuenti viro alligata eſt (ait Apoſtolus Rom.7.) per legem. Quòd ſi mortuus fuerit vir, liberata eſt à lege viri. Proinde viuente viro adultera vocabitur,ſi ſe iunxerit alteri viro. Sin autem mortuus fuerit vir, liberata eſt à iure viri,vt non ſit adultera,ſi iuncta fuerit alteri viro. Quoniā igitur Chriſtus matrimonium ſua gratia melius fecit & arctiori quaſi vinculo conſtrinxit, vt quemadmodum Chriſtus vnius eccleſiæ vnus eſt ſponſus, idque indiſſolubili nexu, ſic vnius vxoris vnus ſit maritus, idque perpetua coniunctione,& ſimiliter atque Chriſtus cum eccleſia ſponſa ſua iungitur: ideo matrimonium non ſolùm coniunctio eſt maris & fœminæ,ſed etiam ſacramentum, ob gratiā Chriſti,quæ nunquam ei deeſt, vt illius ope vir vxorem ſuam diligere poſſit perinde ac Chriſtus eccleſiā, & indiuiduam cum ea colat ſocietatem,ſic vt vnus in perpetuum ſit conſenſus,nec inter iunctos diuortium oboriatum,dum iis vita ſuppeter,exceptis cauſis, quæ iure diuino explicantur. Ac quoniam Deus matrimonium gratia ſua fouet,idemque approbat,quatenus coniuges matrimoniū inter ſe contrahunt,ſignum datur illuſtre, ad ſperandam conſuetudinem ipſorum,cùm bonam per ſe eſſe,tum Deo gratam. Et quanquam prolis procreandæ cauſa matrimonium potiſſimùm contrahi debet,tamen qui contrahit etiā vitandæ ſcortationis cauſa, non peccat. Admonet enim

1.Cor.7.

Marc.10.

Luc.16.

Paulus, vt vnuſquiſque ſuam vxorem habeat, propter vitanda ſtupra.

DOROTHEA.

Quid tibi velis, iam aſſequor. Ais matrimonium inſtitutum eſſe, vt expreſſum & illuſtre ſignum eſſet ſanctiſſimæ Chriſti cũ eccleſia cõiunctionis, quæ quidẽ patribus veteris teſtamenti futura erat, nobis autem præſens adeſt: habere præterea ipſum in lege noua, quemadmodum & reliqua ſacramenta, gratiam, quæ certiſſimè ei aſſiſtat.

THEOPHILVS.

Iſtud ipſum affirmo, ac diuus Paulus id apertè docet, dum ait: Myſterium ſiue ſacramentum hoc magnum eſt: ego autẽ dico in Chriſto & in eccleſia. Quibus verbis aliud nihil innuit, quàm matrimonium, hoc eſt, eam coniunctionem maris & fœminæ, quæ Deo eos copulante coit, ſacramentum eſſe ſiue ſacrum ſignum illius ſanctiſſimæ cõiunctionis, qua Chriſtus eccleſiæ ſuæ coniunctus eſt. Cæterùm in matrimonio, quod viri & mulieris cõſenſu mutuo conciliatur, Deus per gratiam ſuam, quam ſacramẽto adhibet, duos arctiſſima quadam copula, & indiſſolubili fœdere in eandem carnem compingit: ita vt neutri coniugum altero viuente liceat coniugẽ ſuum deſerère, aut coniuge defraudato, cuipiam alij ſui corporis facere copiam, quod vtique iam nõ ſuum eſt, ſed totum in ius & poteſtatem cõiugis ex vi coniugalis nexus conceſſit. Et hanc indiſſolubilem copulam, hocque inuiolabile fœdus ſic ſignificat & efficit mutuus ille contrahentium conſenſus, vt viciſſim illa coniunctio maris & fœminæ aliud ſublimius ſacramẽtum inſinuet, nempe arctiſſimam coniunctionem & ſanctiſſimam vnionẽ, qua Chriſtus eccleſiæ ſuæ non modo ſpiritu & charitate, ſed etiã natura per aſſumptionẽ carnis vnitus, velut caput membris ſuis perpetuo & inſolubili nexu cohæret.

DOROTHEA.

An orthodoxi patres, matrimonium Chriſtianorum in numerum ſacramentorum retulerunt?

THEOPHILVS.

Retulerunt ſanè magno conſenſu, cùm viderent coniugium, admirandæ iſtius & ſanctæ coniunctionis Chriſti cũ eccleſia ſignũ, in diuinis ſcriptis prædicari, ac ſimul ex verbis Chriſti

bis Chriſti inſeparabilem coniugum copulam ſignificare & efficere,atque adeò eos,qui matrimoniũ vera fide inirẽt, memores iſtius ſanctæ coniunctionis,quam ipſorum copulatio ſignificaret,non vulgarem à Deo gratiam,iuxta multiplices ſcripturæ promiſsiones,cõſequi.Hinc in tota Chriſti eccleſia perpetua & vniformis cõſuetudo tenuit,vt nuptiæ fidelium in facie eccleſiæ ſub ſacramenti nomine conſecrarentur.Hinc diuus Auguſtinus:Nõ ſolùm,inquit,fœcunditas cuius fructus in propaganda ſobole cernitur:nec caſtitas ſolùm,cuius vinculum fides eſt: ſed ſacramentum etiam matrimonij Chriſtianis coniugibus commendatur. Quamobrem ait Apoſtolus:Viri diligite vxores veſtras,ſicut & Chriſtus dilexit eccleſiam.Atque iterum: Matrimonij fœdus,cuiuſdam ſacramenti ſubſtantia eſt, atque adeo talis,vt ne ſeparatione quidem diſſolui poſſit. Præter Auguſtinum de nupt.& concupiſc.cap.10.& de bono coniugali cap.7.vbi hæc eius verba léges:Quem nõ faciat intentum quid ſibi velit tanta firmitas vinculi coniugalis?Quod nequaquam puto tantum valere potuiſſe, niſi alicuius rei maioris ex hac infirma mortalitate hominum, quoddam ſacramentum adhiberetur,quod deſerentibus hominibus atque adeò diſſoluere cupientibus nihilo ſecius tamen incõcuſſum illis remaneret ad pœnam.Præter hoc,inquam, ſanctiſſimum & eruditiſſimum eccleſiæ lumen, legere poteris quæ de hac quæſtione ſcripſit Beatus Ambroſius.Ait enim dum hæc Apoſtoli verba explanat,Myſterium hoc magnum eſt:ego autẽ dico in Chriſto & eccleſia.: Myſterij ſacramentum grande in vnitate viri & fœminæ eſſe ſignificat.Nec hoc prodit,ſed aliam cauſam,quæ nõn diſcordet à memorato myſterio flagitat,quam ſcit ad profectum humani generis pertinere,hoc eſt,eccleſiæ & ſaluatoris, vt ſicut relictis parentibus homo vxori ſuæ adhæret,ita & relicto omni errore eccleſia adhæreat, & ſubiiciatur capiti ſuo,quod eſt Chriſtus.In hanc ſententiam, Gregorius Nazianzenus(ait Hieronymus)cùm de hoc mecum tractaret loco,ſolebat dicere,Vide quantum iſtius capituli ſacramẽtum ſit,vt Apoſtolus in Chriſto illud & in eccleſia interpretans non ſe ita aſſerat, vt teſtimonij poſtulabat dignitas, expreſsiſſe,ſed quodam modo dixerit, Scio quia locus iſte

Epheſ.5.

Hieronymus in 5. cap. Epheſ.

Ineffabilis plenus ſit ſacramentis, & diuinum cor quærat interpretis. Ego autem pro puſillitate ſenſus mei in Chriſto interim illud, & in eccleſia, intelligendum puto, non quòd aliquid Chriſto & eccleſia maius ſit, ſed quòd totũ, quod de Adam & de Eua dicitur, in Chriſto & in eccleſia interpretari poſſe ſit difficile. Theophylactus etiam matrimonium ſacramentum eſſe ex iiſdem Pauli verbis affirmare non dubitauit. Myſterium hoc magnum eſt: dico autem ego in Chriſto & in eccleſia: hoc eſt, ait, Magnum quiddam & admirandum diuus Moyſes iudicauit. Re vera myſterium eſt, parentes, qui adeo fuerunt afflicti pro liberis, qui etiam tot tantaque beneficia in eos contulerint, relinquere, agglutinarique ei quam nunquam anteà conſpexeris, neque quicquam boni anteà ſit orſa, vel in te contulerit. Ingens enim re vera hoc myſterium eſt, quatenus ad Chriſtum ego hoc refero, quippe quòd prophetico ſpiritu de eo dictum ſit. Etenim & ipſe dimiſit patrem, non locali tranſitu, ſed condeſcenſu ad carnem, venitque ad puellam, ad ſponſam, quæ ipſum nunquam agnouerat, factusque eſt cum ipſa vnus ſpiritus. Qui enim Domino agglutinatur, vnus ſpiritus eſt. Qua igitur ratione nuptiæ, adeoque matrimonium culpantur, vbi Paulus ad huius confirmationem & laudem de Chriſto myſterium producit, ipſum myſterium vel ſacramentum nominans? Hæc ille, cui ſubſcribit Oecumenius dicens: Myſterium hoc magnum eſt. Quomodo magnum? Quia cùm Chriſto in propria gloria manere licuiſſet, ſeipſum aſſumpta humanitate demiſit, vt adhæreret ac adiungeretur eccleſiæ, factique ſunt duo vnus ſpiritus. Nam qui agglutinatur ſiue adhęret Domino, vnus ſpiritus eſt.

DOROTHEA.

Ecquod igitur huis ſacramenti verbum eſt?

THEOPHILVS.

Sermo ille, quo ſponſus & ſponſa legitimum cõſenſum exprimunt quacunque lingua, & ita coniunguntur in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti.

DOROTHEA.

Quodnam verò huius ſacramenti eſt elementum?

THEOPHILVS.

Exterior

Exterior illa & viſibilis viri ac mulieris coniunctio, qua in eccleſia copulatur in Dei & Chriſti nomine, profitentes ſe poſthac duos in vna carne futuros, ſibique mutuò coniugalem fidem perpetuò ſeruaturos, cui cùm ſexuum commixtio acceſſerit, tum demum perfectum huius ſacramenti elementum efficitur. DOROTHEA.

Quæ vis & efficacitas eſt huius ſacramenti?

THEOPHILVS.

Vis ſacramenti eſt, vt intelligant coniuges ſe non humana, ſed diuina authoritate cõiunctos gratiam accepiſſe, qua mutuò ſeſe complectantur amore, ac ita diligant, vt Chriſtus eccleſiã dilexit: quáque ipſis legitimus cõgreſſus nõ imputetur ad culpam: qua item Chriſtianus vxorẽ gentilem cum eo manere volentem ſanctificet, & ſanctos, hoc eſt, Deo dicatos, filios procreet: qua denique perpetuam fidẽ ſeruet coniugi, vt ſint duo in carne vna, & qua mulier fidelis ſalua fiat in liberorum procreatione, ſi permanſerit in fide, & dilectione, & ſanctificatione cum ſobrietate. Itaque matrimonium honorabile eſt, in eoque torus immaculatus eſſe poteſt. Quod cùm Manichæi & Tatiani (qui & Eucratitæ) ignorarent, matrimonium reprehẽdere nõ dubitarunt ac prohibere: quam eorũ ſceleratam temeritatẽ à doctrina dæmoniorũ profectã Apoſtolus Paulus damnat. *1.Tim.2.*

DOROTHEA.

Quæ igitur in matrimonio ſunt ſpectanda?

THEOPHILVS.

Tria, fides, proles, & ſacramentum. In fide ſpectatur, ne vlla fiat iniuria honorabili connubio, & toro immaculato. In prole obſeruandum eſt, vt amanter ſuſcipiatur, benignè nutriatur, & religioſè inſtituatur. In ſacramento, vt maris & fœminæ ſacrum connubium indiuiduum permaneat, nec liceat alteri ab altero diſcedere. *Heb. 13.*

DOROTHEA.

An omnia hæc ſacramenta, quæ publico miniſterio in eccleſiam exhibentur, quibusque gratia fidelibus diuino munere confertur, æqualia ſunt?

THEOPHILVS.

Hoc inter ea diſcriminis eſt, quòd quędam auguſtiora ſunt & magis principalia, veluti baptiſmus, ordo, Euchari-

ſtia & abſolutio,ſine quibus eccleſia non cõſiſtit. Quædã verò in hoc data & inſtituta ſunt,vt ſint ſacra ſymbola, in ſubleuationem & medicinã humanæ infirmitatis: at non neceſſaria, vt illa priora: quanquã valde vtilia & ſalubria, modò tamẽ religioſè & piè adminiſtrẽtur & accipiantur.

DOROTHEA.

In ſalutari,quam hactenus tradidiſti,doctrina animus meus planè acquieſcit. Si de toleranda cruce ſeorſum, ac ieiunio item Chriſtiano diſputaſſes, nihil prætereà deſiderare poſſem. Sed iam iſtud à te petere non audeo, cùm locum,quo hæc commodè pertractari poterant, prætериimus. THEOPHILVS.

Nullus parum idoneus locus eſſe poteſt ad rem adeò neceſſariam explicandam, ſi attentè audire libet, quid hac de re ſentiendum & tenendum ſit mordicus.

DOROTHEA.

Age igitur, de cruce tollenda diſſeramus, pòſt de ieiunio verba facturi.

THEOPHILVS.

De toleranda cruce. Quoſcunque Dominus cooptauit, ac ſuorum conſortio dignatus eſt, ij ſe ad duram,laborioſam,inquietam, plurimíſque ac variis malorum generibus refertam vitam præparare debent. Sic eſt cœleſtis patris voluntas, vt certum de ſuis experimentum capiat,eos talem in modum exercere. A Chriſto primogenito ſuo exorſus,erga filios omnes ſuos hunc ordinem proſequitur. Nam cùm eſſet ille filius præ aliis dilectus, & in quo patris animus acquieſcebat:videmus tamen quàm non indulgenter ac molliter habitus fuerit,vt verè dici queat,eum nõ modò perpetua cruce exercitatum fuiſſe,quãdiu terram incoluit,ſed totam ipſius vitam nihil aliud fuiſſe,quàm perpetuę crucis ſpeciem. Cur nos ergo ab ea conditione eximamus, quam ſubire Chriſtũ caput noſtrũ oportuit? præſertim quũ noſtra cauſa ſubierit, vt nobis in ſeipſo patiẽtiæ exẽplar exhiberet.Quãobrẽ Apoſtolus omnibus filiis Dei hunc eſſe deſtinatũ finẽ docet,vt conformes eius fiant. *Rom. 8.* Vnde etiã inſignis conſolatio ad nos redit,in rebus duris atque aſperis, quæ aduerſæ malæque exiſtimantur,nos Chriſti paſſionibus cõmunicare:vt quemadmodum ille à malorum omniũ labyrintho in

gloriam

gloriam cœleſtem ingreſſus eſt: ita in eandem per varias tribulationes deducamur. Sic enim loquitur alibi Paulus ipſe: Quòd dum communionem diſcimus afflictionum eius, ſimul apprehendimus potētiam reſurrectionis: ac dum conformes reddimur morti eius, ita præparamur ad glorioſæ reſurrectionis conſortium. Quantum hoc valere poteſt ad leniendam omnem crucis acerbitatem? quòd quò magis rebus aduerſis affligamur, eò certius confirmatur noſtra cum Christo ſocietas, cuius communione paſſiones ipſæ non modò nobis benedictæ fiunt: ſed ad promouendam quoque noſtram ſalutem, multum afferunt adiumenti? Adde quòd Dominus noſter crucem ferendam ſuſcipere nihil neceſſe habuit, niſi ad teſtādam approbandámque patri ſuam obedientiam. Nobis verò multis rationibus neceſſe eſt, ſub aſſidua cruce vitam degere. Primùm, vt natura nimiùm propenſi ſumus ad omnia carni noſtræ tribuenda, niſi nobis imbecillitas noſtra velut oculo demonſtrata fuerit, facilè virtutem noſtram ſupra iuſtum modum æſtimamus: nec dubitamus, quicquid eueniat, contra omnes difficultates infractam fore & inuictam. Vnde in ſtolidam & inanem carnis confidentiam euehimur: qua freti contumaciter deinde ſuperbimus in Deum ipſum, perinde acſi propriæ nobis facultates citra eius gratiam ſufficerent. Hanc arrogantiam melius retundere non poteſt, quàm dum experimento nobis comprobat, quanta non modò imbecillitate, ſed etiam fragilitate laboremus. Ergo vel ignominia, vel paupertate, vel orbitate, vel morbo, vel aliis calamitatibus nos affligit, quibus ſuſtinendis longè impares quantum ad nos attinet, mox ſuccūbimus. Sic deiecti, diſcimus inuocare eius virtutem, quæ ſola ſub pondere afflictionum conſiſtere nos facit. Quinetiam ſanctiſſimi, vtcunque Domini gratia, non propriis viribus ſtare ſe nouerint, de ſua tamen fortitudine & conſtantia plus iuſto ſecuri ſunt, niſi eos crucis probatione in penitiorem ſui notitiam Dominus adducat. Quòd ergo rebus tranquillis, maioris conſtantiæ & patientiæ opinione ſibi blandiebantur, rebus aſperatis humiliati, hypocriſin fuiſſe diſcunt. Talibus, inquam, documentis admoniti ſuorum morborum fideles, proficiunt ad humilitatem: vt praua carnis

Phil. 3.

confidentia exuti, ad Domini gratiam ſe conferant. Porrò vbi ſe contulerunt, diuinæ virtutis præſentiam, in qua ſatis ſupérque præſidij ineſt, experiuntur. Atque id eſt quod Paulus docet, tribulationibus generari patientiam, patientia probationem. Nã quod Deus promiſit fidelibus ſe adfuturum in tribulationibus, id verum eſſe ſentiunt, dum patienter ſubſiſtunt, eius manu ſuffulti, quod ſuis viribus nequaquam poſſent. Patientia igitur experimentum adfert ſanctis, quòd Dominus quam pollicitus eſt opem, re ipſa, dum opus eſt, exhibeat. Inde ſpes quoque eorum confirmatur: quando ingratitudinis nimiæ foret, non expectare in poſterum, quam conſtãtem ac firmam experti ſunt Dei veritatem. Videmus iam quot vno contextu bona ex cruce naſcantur. Illam enim, quam falsò de propria virtute præſumimus, opinionẽ euertens, noſtrámque hypocriſin, quæ delicias nobis facit, detegẽs pernicioſam carnis confidentiam excutit. Sic humiliatos, in Deum vnum reclinare docet: quo fit, vt non opprimamur, nec ſuccumbamus. Victoriam autẽ ſpes ſequitur: quatenus ſcilicet Dominus, quod promiſit præſtando, ſuam in futurum veritatem ſtabilit. Sanè vt ſolæ ſint iſtæ rationes, apparet quàm neceſſaria nobis ſit crucis exercitatio. Neque enim parui momenti eſt cæcum tui amorem abſtergi, vt imbecillitatis tuæ conſcius probè fias: imbecillitatis propriæ ſenſu affici, vt diffidere tibi diſcas: diffidere tibi, vt fiduciam in Deum trãſferas: cordis fiducia in Deum recumbere, vt ipſius auxilio fretus ad vltimum inuictus perſeueres: conſiſtere ipſius gratia, vt veracẽ eſſe in ſuis promiſsis intelligas: certitudinem promiſsionum eius habere compertam, vt ſpes tua inde roboretur.

Rom, 5.

Cyrillus in cõcil. Ephe.

DOROTHEA.

Nullúmne alium finem habet Dominus affligendi ſuos?

THEOPHILVS.

Habet ſanè. Nã vt ipſorũ patientiã exploret, & ad obedientiã erudiat, eos quandoque affligit: non ꝙ poſsint illi obediẽtiam præſtare, niſi quã ipſe dederit: ſed ita placet ei præclaris documẽtis teſtatas facere ac illuſtres, quas in ſanctos cõtulit gratias, ne intus otioſæ lateant. Ergo patiẽtiæ virtutẽ, qua ſeruos ſuos inſtruxit, in apertũ proferendo, dicitur

citur eorũ patientiam explorare. Vnde illę ſunt locutiones: Quòd tentauerit Deus Abrahã,& pietatem eius compertã habuerit ex eo, quòd non detrectaſſet propriũ filium & vnicum mactare. Quare Petrus, nõ ſecus fidem noſtrã tribulationibus docet probari, quàm aurum in fornacę igni examinatur. Quis autẽ non expedire dicat, vt præſtantiſsimũ patiẽtię donũ, quòd à Deo ſuo fidelis accepit, in vſum producatur vt certum manifeſtúmque fiat? Neque enim aliter vnquã homines ipſum pro merito æſtimabũt. Quod ſi Dominus (ne in obſcuro lateant, imò inutiles iaceant, ac depereãt, quas fidelibus ſuis virtutes contulit) iure facit, dũ illis excitandis materiam ſuppeditat: optimam rationẽ habent ſanctorum afflictiones, ſine quibus nulla foret eorum patiẽtia. Ad obedientiam quoque erudiri cruce dico: quia ſic non ad proprium votũ, ſed Dei arbitrium viuere docẽtur. Sanè ſi omnia illis ex ſentẽtia fluerent, neſcirent quid eſſet Deum ſequi. Atqui illud Seneca commemorat fuiſſe vetus prouerbiũ, quũ ad res aduerſas tolerandas quẽpiam hortarentur: Deũ ſequere: Quo ſcilicet innuebãt, tum verè demũ iugum Dei ſubire hominẽ, quum eius ferulæ manũ ac tergum prębere t. Quod ſi æquiſsimũ eſt, vt cœleſti patri nos per omnia obſequẽtes eſſe approbemus: nõ eſt certè detrectandũ, vt ad reddẽdã ſibi obedientiam modis omnib⁹ nos aſſuefaciat. Necdũ tamen perſpicimus quàm neceſſaria ſit nobis iſthæc obediẽtia, niſi ſimul reputamus, quanta ſit, ad excutiendum Dei iugũ, carnis noſtræ laſciuia, ſimul atque mollius aliquantiſper atque indulgentius habita eſt. Idem enim prorſus accidit illi, quod equis refractariis: qui ſi aliquot dies otioſi ſaginãtur, prę ferocitate poſteà domari nequeũt, nec ſeſſorẽ recognoſcũt, cuius imperio vtcũq; anteà obtẽperabãt. Atque omnino illud in nobis perpetuũ eſt, quod fuiſſe populo Iſraelitico cõqueritur De⁹, vt pinguefacti, & adipe obducti recalcitremus aduerſus eũ qui nos aluit & enutriuit. Debebat quidẽ nos Domini beneficẽtia ad reputandã ac deamãdam eius bonitatẽ allicere: ſed quãdo ea eſt nr̃a malignitas, vt perpetua eius indulgẽtia potius corrũpamur: plus quã neceſſariũ eſt, nos aliqua diſciplina cõtineri, ne in talẽ petulãtiã exultem⁹. Sic ne ĩmodica opũ abũdãtia ferociam⁹, ne honorib⁹ elati ſuperbiam⁹, ne inflati reliquis

Gen. 22. *1. Pet. 1.* *De vita beata, cap. 15.* *Deut. 32.*

vel animæ, vel corporis, vel fortunæ bonis inſoleſcamus, Dominus ipſe, prout prouidet expedire, occurrit: & carnis noſtræ ferociam, crucis remedio ſubigit ac refrenat. Idq́; variis modis, quantum ſcilicet vnicuique ſalubre eſt. Neque enim aut iiſdem morbis peræquè grauiter laboramus omnes, aut perinde difficili curatione indigemus. Inde videre eſt, vt alij alio crucis genere exerceantur. Quum autem alios leuius tractet, alios aſperioribus remediis purget cœleſtis medicus, dum vult omnium ſanitati conſulere, neminem tamen immunem ac intactum prætermittit: quia omnes ad vnum nouit eſſe morbidos. Adde quòd non modò infirmitatem noſtram præuenire, ſed præterita etiam delicta ſæpe corrigere neceſſe habet clementiſsimus pater, vt nos in legitima erga ſe obedientia contineat. Proinde quoties affligimur, ſubire potius in mentem debet anteactæ vitæ recordatio. Ita procul dubio reperiemus, nos admiſiſſe quod dignum eiuſmodi caſtigatione eſſet. Neque tamen à peccati agnitione præcipuè ſumenda eſt ad patientiam exhortatio. Nam ſcriptura meliorem longè

1.Cor.11. conſiderationem ſuppeditat: quum dicit rebus aduerſis nos ad Domino corripi, ne cum hoc mundo damnemur. Ergo in ipſa quoque tribulationum acerbitate patris noſtri clementiam erga nos ac benignitatem recognoſcere conuenit: quando ne tum quidem deſinit ſalutem noſtram promouere. Affligit enim non vt perdat vel perimat, ſed potius vt à mundi damnatione liberet. Ea cogitatio nos deducet ad id, quod alibi docet ſcriptura: Fili mi, ne reſ-

Prouer.3. puas correctionem Domini, neque afficiaris tædio, quum ab eo argueris. Quem enim diligit Deus, corripit: & eum, velut pater filium, amplectitur. Vbi ferulam patris agnoſcimus, an noſtrum non eſt, obedientes potius dociléſque filios exhibere, quàm cõtumacia deſperatos homines imitari, qui maleficiis induruerunt? Perdit Dominus, niſi à ſe

Heb. 1. delapſos, correptione reuocat: vt rectè ille dicat; nos ſpurios eſſe, non filios, ſi extra diſciplinam ſumus. Peruerſiſſimi ergo ſumus, ſi Dominũ ferre non poſſumus, dum ſuam nobis beneuolentiam, & quam habet de ſalute noſtra curam declarat. Hoc inter incredulos & fideles intereſſe docet ſcriptura, quòd illi velut inueteratæ recoctæque nequitiæ man-

tiæ mancipia, flagellis modò deteriores ac obſtinatiores fiunt: hi, ceu filij ingenuitate præditi, ad pœnitentiam proficiunt. Eligendum nunc, vtro numero eſſe malis.

DOROTHEA.

Quid ais de perſecutione, quam quis pro iuſtitia patitur?

THEOPHILVS.

Singularis vtique illa eſt conſolatio. Succurrere enim tum debet, quanto nos honore dignetur Deus, quòd ita nos peculiari militiæ ſuæ nota inſignit. Perſecutionem autem pati pro iuſtitia dico non tantùm qui pro veritatis Euangelicæ defenſione, ſed qui pro quolibet iuſtitiæ patrocinio laborant. Siue ergo in aſſerenda, aduerſus ſatanę mēdacia, Dei veritate, ſiue in ſuſcipienda bonorum atque innocentium contra improborum iniurias tutela, neceſſe eſt incurrere in mundi offenſiones & odia: vnde aut vitæ noſtræ, aut fortunis, aut honori periculum immineat: ne graue ſit nobis aut moleſtum, eatenus impēdere nos Deo: aut ne miſeros in iis nos putemus, in quibus ipſe ſuo nos ore beatos pronunciauit. Paupertas quidem ſi in ſe ipſa æſtimetur, miſeria eſt. Similiter exilium, contēpus, carcer, igno- *Mat. 5.* minia. Mors denique ipſa extremum eſt omnium calamitatū. Verùm vbi aſpirat fauor Domini, nihil eſt iſtorū quod non in fœlicitatē nobis cedat. Contenti ergo potius ſimus Chriſti teſtimonio, quā falſa carnis æſtimatione. Ita fiet vt Apoſtolorum exemplo gaudeamus, quoties nos reputabit *Act. 5.* dignos, qui pro ſuo nomine contumeliam patiamur. Quid enim? ſi innocentes ac nobis bene cōſcij impiorum ſcelere exuimur facultatibus, ad inopiam quidem redigimur apud homines: ſed veræ apud Deum diuitiæ ita nobis accreſcūt. Si penatibus noſtris extrudimur, eò interius recipimur in Domini familiā. Si vexamur & contemnimur, eò firmiores agimus in Chriſto radices. Si probris ac ignominia notamur, eò ampliore loco ſumus in regno Dei. Si trucidamur, ita nobis ingreſſus patefit ad beatā vitam. Pudeat nos minoris æſtimare, quibus tantum precium Dominus ſtatuit, quā vmbratiles & euanidas vitæ præſentis illecebras. Quū ergo his & ſimilibus monitis abūdè ſoletur ſcriptura, quas pro iuſtitiæ defenſione ſuſtinemus vel ignominias, vel ca-

lamitates,nimis ingrati ſim⁹,niſi libenter atq; hilariter eas
è manu Domini ſuſcipim⁹. Præſertim quum ſit hæc crucis
ſpecies,fidelium maximè propria:qua vult Chriſtus in no-
1.Pet. 4. bis glorificari,quemadmodũ & Petrus docet. Neque verò
ea requiritur à nobis hilaritas,quæ omnem acerbitatis do
lorísque ſenſum tollat.Alioqui nulla in cruce eſſet ſancto-
rum patientia, niſi & dolore torquerentur, & angerentur
moleſtia.Si nulla eſſet in egeſtate aſperitas, nullus in mor-
bis cruciatus,nulla in ignominia punctio,nullus in morte
horror,cuius foret vel fortitudinis, vel moderationis, ea
ſusq; dèque habere?Ac quum vnumquodque ipſorum inge
nita ſibi amaritudine noſtros omnium animos naturaliter
mordeat:in eo ſe profert fidelis hominis fortitudo,ſi eiuſ-
modi amaritudinis ſenſu tentatus vtcunque grauiter labo
ret,fortiter tamen obſiſtendo eluctatur. In eo ſe exerit pa-
tientia,ſi acriter extimulatus,timore tamẽ Dei refrænatur,
ne in aliquam intemperiem erumpat.In eo elucet alacritas
ſi triſtitia & mœrore vulneratus,in ſpirituali Dei cõſolatio
ne acquieſcit.Hũc cõflictũ,quẽ aduerſum naturalẽ doloris
ſenſum ſuſtinent fideles,dum patientię ac moderationi ſtu
2.Cor. 4. dent,eleganter deſcripſit D. Paulus his verbis:In omnibus
premimur,at non anxij reddimur:laboramus,at non deſti
tuimur:perſecutionem patimur,at in ea non deſerimur: de
iicimur,at non perimus. Vides vt patienter ferre crucem,
non ſit prorſus obſtupeſcere, & omni doloris ſenſu priua-
ri?Hoc ergo ſtudendũ eſt,ſi Chriſti diſcipuli eſſe volumus,
vt tanta Dei obſeruantia atque obedientia imbuantur ani-
mi noſtri, quæ contrarias omnes affectiones domare,ac
ſubiugare eius ordinationi queat.Ita fiet vt quocunque ve
xemur crucis genere,in ſummis etiam animi anguſtiis pa-
tientiam conſtanter retineamus. Res enim aduerſæ habe-
bũt ſuam aſperitatem,qua mordeamur. Sic morbo afflicti
& ingemiſcemus,& inquietabimur,& ſanitatẽ expetemus.
Sic egeſtate preſsi, & ſollicitudinis & triſtitiæ aculeis per-
ſtringemur.Sic ignominiæ,contemptus,iniuriæ dolore fe-
riemur.Sic in funeribus noſtrorum,debitas naturæ lachry
mas exoluemus:ſed hæc ſemper erit clauſula,Atqui Domi
nus ita voluit. Ergo eius voluntatem ſequamur.Imò inter
ipſas doloris punctiones, inter gemitus & lachrymas, ne

ceſſe eſt

ceſſe eſt interueniat hæc cogitatio, quæ animum ad ea ipſa, quorum cauſa ſic afficitur, alacriter ferenda inclinet.

DOROTHEA.

Iam intelligo præcipuam crucis tolerandæ rationem à diuinæ voluntatis conſideratione ducendam eſſe: in Dei autem voluntate conſiderandam eſſe iuſtitiam primùm & æquitatem: deinde ſalutis noſtræ curam. Chriſtianas itaque ad patientiam huiuſmodi eſſe exhortationes. Siue paupertas, ſiue exilium, ſiue carcer, ſiue contumelia, ſiue morbus, ſiue orbitas, ſeu quid aliud ſimile nos cruciet, cogitandum nihil iſtorum accidere, niſi nutu ac prouidentia Domini. Porrò Deum ipſum nihil niſi iuſtiſſimo ordine agere.

THEOPHILVS.

Sed an non innumera ac quotidiana noſtra delicta promerentur ſeuerius ac grauioribus ferulis caſtigari, quàm quæ nobis ab eius clementia infliguntur? An non æquiſsimum eſt carnem noſtram domari, & veluti iugo aſſuefieri, ne libidinosè pro ſuo ingenio ferociat? An non digna eſt iuſtitia & veritas Dei, cuius cauſa laboremus? Quòd ſi indubia Dei æquitas in afflictionibus apparet, non poſsumus ſine iniquitate vel obmurmurare, vel obluctari. Præclarè in hanc ſententiam ſcripſit Hilarius. Meminerimus (ait) eum, qui vniuerſorum Dominus eſt, iuſtum eſſe, & iudicia eius recta eſſe. Quur enim in ſuos iniquus ſit? Quur in eos, quos ipſe genuit, iniuſtus ſit? Bonitatis eius immenſitas non ſinit iſtud de eo exiſtimare. Genuit nos non ad iniuriam, genuit nos non ad originis noſtræ naturæ dolorem. Si quid eſt quod patimur, ex iudicio bonitatis eius accidit. Vinci diabolum patientiæ noſtræ virtutibus delectatur, & probari nos per luctus, & dolores, & damna deſiderat, vt nihil in ſeruos ſuos ſeculi poteſtas ſibi eſſe iuris & dominationis intelligat. Si quando ergo (vt idem diuus Hilarius paulò antè ait) morbi vexabunt, paſſiones & cruciatus corporum deſæuient, damna defatigabunt, luctus & orbitates affligent, ſemper vtemur hac, qua propheta vſus eſt, voce, Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum. Obtemperabimus, quia reſiſtere nefas eſt.

In pſal. 118 verſ. Iuſtus es domine, & rectum iudicium tuum.

Patienter feremus, quoniam impatientia, fit aduerſus iuſtitiam Dei contumacia. Iam verò quia illud demum amabile nobis eſt quod ſaluti ac bono eſſe nobis agnoſcimus, hac etiam parte conſolatur nos optimus pater, dũ aſſerit, ſe eo ipſo quòd nos cruce affligit ſaluti noſtræ conſulere.

In pſal. 118 verſ. Oĩa iudicia tua veritas.

Periculoſa nanque (vt idem ſcribit Hilarius) ocioſæ fidei pax eſt, & faciles ſecuris excubiis inſidię ſunt. Bellis autem exercitatum virum non citò doli capiunt, & glorioſo certamine opus eſt, vt corona victoriæ deferatur. Quòd ſi ſalutares nobis tribulationes eſſe conſtat, cur non grato placidóque animo eas ſuſciperemus? Quare eas patienter ferendo non ſuccũbimus neceſſitati, ſed bono noſtro acquieſcimus. Iſtæ, inquã, cogitationes faciunt, vt quantùm animi noſtri contrahuntur in cruce naturali acerbitatis ſenſu, tantùm ſpirituali lætitia diffundantur. Vnde & gratiarum actio ſequitur, quæ nulla ſine gaudio eſſe poteſt. Quòd ſi laus Domini, & gratiarum actio non niſi ab hilari lætóq; pectore emanare poteſt: nihil autem eſt quod eam *in nobis* interpellare debeat: hinc apparet quàm neceſſarium ſit, crucis amaritudinem ſpirituali gaudio temperari. Non ergo oramus eam à nobis remoueri, ſed adiuuari nos in ea poſtulamus, & opem atque auxiliũ miſericordiæ Dei precamur. Non petimus nobis adimi cauſam certandi, ſed tribui auxilium vincendi, Euangelici huius præcepti non immemores, Qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus.

DOROTHEA.

Quocunque igitur tribulationis genere premamur, ſentis hunc ſemper finem eſſe reſpiciendum: vt aſſueſcamus ad præſentis vitæ contemptum, indéque ad futuræ meditationem excitemur.

THEOPHILVS.

Sanè quidem. Quoniam enim optimè nouit Dominus quantopere in cæcum ac belluinum mũdi huius amorem ſumus natura inclinati, aptiſsimam rationem adhibet ad nos retrahẽdos, & torporem excutiendum, ne nimis tenaciter in eo amore inhæreſcamus.

DOROTHEA.

De ieiunio

Iam ad ieiunium veniamus. Idémne eſſe cenſes temperanter

peranter cibo & potu vti, quod ieiunare? *& ciborum delectu.*

THEOPHILVS.

Inter illa duo ſcriptura magnũ diſcrimen facit, cùm loquitur pluribus in locis de ieiuniis nõ tantùm à primoribus certo tẽpore ad obſeruandũ cõmuni populo impoſitis neceſsitate aliqua ingruente (vti ſi graſſari cœperit vel peſtilẽtia, vel fames, vel bellũ, aut ſiqua clades imminere aliâs regioni videatur, ꝑpter quæ ſuppliciter irã Domini deprecari, & ardenti obſecratione miſericordiã eius implorare cõueniat) ſed de his etiã quę ſtatis certisq́; tẽporib⁹ obſeruantur. Vnde tradit Auguſtinus libro 2. quæſtionũ Euangelicarũ duplex eſſe ieiunium: quoddã in tribulatione, alterũ verò in gaudio. Et de vtroque reſpondiſſe Dominũ cùm interrogaretur, cur diſcipuli eius non ieiunarẽt. Exigit etiã ſcriptura vt ad eũ modũ ieiuniũ ſeruetur, quomodo primores eccleſiæ ad obſeruandũ impoſuerũt. Et Chriſtus dũ dicit [Cũ ieiunatis] haud dubiè de ieiunio ad certa tempora inſtituto loquitur. Alioqui generatim docuiſſet vt ſemper tẽperatè viueretur, abſtinerẽtq́; hoĩes à ſuperuacaneo cibo & potu, quemadmodũ alibi facit dũ ait: Cauete autem vobis, nequando grauentur corda veſtra crapula & ebrietate. Sed apud Matthæũ dicit, Cũ ieiunatis, &c. Quo loco docet etiam Chriſtus ieiunium eſſe opus bonũ, quod Deus clementer reſpiciat, & remuneret. Ità enim ait: Tu verò cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne conſpicuum ſit hominibus te ieiunare, ſed patri tuo, qui eſt in occulto: & pater tuus qui videt in abdito, reddet tibi in propatulo. Non ergo ſimpliciter ieiunium, cõtinentiã ac parſimoniam in victu intelligimus: ſed quiddã aliud. Piorum quidem vita frugalitate & ſobrietate temperata eſſe debet, vt quandam ieiunij ſpeciem, quoad fieri poteſt, toto ſuo decurſu præ ſe ferat. Sed eſt præterea ieiunium aliud temporale, quum aliquid ex conſueta viuendi ratione retrahitur, vel ad diem vnum, vel ad certum tempus, & nobis continentiam indicimus in victu, ordinaria illa arctiorem ac ſeueriorem. Hoc in tribus ſitum eſt: in tempore, in ciborum qualitate & delectu, ac parſimonia. Tempus dico, vt ieiuni defungamur iis actionibus, quarum cauſa inſtituitur ieiunium, ſemel tantùm die cibum, hora eccleſiæ ſo-

Cap. 18. *Mat. 9.* *Luc. 5.* *Marc. 2.* *Luc. 21.* *Mat. 6.*

lemni & conſueta, ſumentes. Qualitas in eo ſita eſt, vt abſint carnes, omnéſque lautitiæ, ac non modò plebeis vilioribúſque, ſed etiam aridioribus cibis contenti, palatum delicatis non irritemus. Quantitatis ratio in hoc eſt, vt parcius ac leuius ſolito veſcamur, tantùm ad neceſſitatem, non etiam ad voluptatem.

DOROTHEA.

Cur tandem inſtituta ſunt ieiunia?

THEOPHILVS.

Auguſt. in Ioan. tract. 17. Refertur de cõſec. diſt. 5. ca. ieiunium autem magnũ.

In hunc finem ſcilicet, vt corpus per intemperantiam cibi & potus laſciuiens, fœdíſque ſe dedens voluptatibus caſtigetur, & in ſeruitutem redigatur, quò animus vegetior ac liberior laudibus diuinis inſiſtat, diuinæque ſeſe attemperet voluntati. Magnum certè & generale ieiunium eſt, abſtinere ab omnibus iniquitatibus, & ab illicitis voluptatibus ſeculi. Ad hoc perfectionis qui nondum peruenit, haud contemnere debet ieiunia, quæ eccleſia, huc nos vocans, indicit.

DOROTHEA.

Tu igitur hoc vis, ieiunia referri ad macerandam ac ſubigendam carnem, ne laſciuiat, ſed rationi potius dicto ſit audiens.

THEOPHILVS.

Prorſus. Cùm enim corpus delicatius molliúſque curatur, facilè ſeſe in omni effundit libidine. Quòd ſi bellum quis indicat ventri, ab omnibúſque cibis abſtineat, quibus proritari venus extimularíque poteſt, minore negotio libidinis æſtum comprimet, ad Deíque præcepta animum appellet.

DOROTHEA.

Eſt igitur (quantum video) per eſuriales ferias habendus ciborum delectus, qui indicto ieiunio nutriendo corpori conueniant, nec iis ſatis eſt temperatè vti cum gratiarum actione.

THEOPHILVS.

Eccleſia, ſtatis diebus cùm ieiunia quædam publica indixit, ante mille annos cõſtituit, veteris legis ac Apoſtolicorum virorum exemplum ſequuta, vt tum fideles à carnibus abſtinerẽt, cibiſq; aridis ac leuius nutrientibus veſcerẽtur,

qui

qui ieiunio congruerent, ſimul admonens non minus ſum ptuoſa & prolixa illa piſcium fercula, quàm carnium eſſe vitanda: bellaria item, magis quàm carnes inflammantia: vt intelligi poteſt ex canone 50. ſynodi Laodicenę, quę ſub Liberio papa circiter annum Domini 364. celebrata eſt, ac ex eo quod ſcribit Gregorius ad Auguſtinum Anglorum epiſcopum. Octauum etiam concilium Toletanum, tẽpore Martini huius nominis primi coactum, circiter annũ Domini 648. docet apertiſſimè carnium eſum tẽpore quadrageſimæ arctiſsimè prohibitum fuiſſe, vt nemini liceret hãc violare legem, niſi à legitimo paſtore facta ipſi poteſtate veſcendi carnibus vel propter extremam ſenectutem, vel ob manifeſtum lãguorem, vel aliquã aliam ineluctabilem neceſsitatem. Diuus quoque Auguſtinus, cùm loquitur de priſcorum ieiuniis, hanc regulam præſcribit, vt vnicuique ieiunandum eo modo & tempore eſſe doceat, quo in eccleſiis ieiunatur ad quas fortè peruenerit, niſi velit (quod nolle debet pius Chriſtianus, iuxta Domini præceptum) aliis eſſe offendiculo, & alios ſibi. Atque in eo ipſo loco mẽtionem facit ieiuniorum feriæ ſextæ & ſabbati.

Refertur de conſec. diſt. 3. ca. Non oportet.

Cap. 9.

Ad Caſul. epiſt. 86.

DOROTHEA.

Sed quo tandem pacto interdicit eccleſia quorundam ciborum eſu, cùm poteſtatem Chriſtus fidelibus permiſerit veſcẽdi quibuſlibet cibis temperatè, ac cum gratiarum actione, etiam iſtud aſſeuerans, quod ingreditur in os non hominem impurare: cùm Paulus quoque affirmet, abſtinere propter conſcientiam à cibis, Iudaicum eſſe, ac dæmoniorum doctrinam?

Mat. 15.
1. Tim. 4.

THEOPHILVS.

Non vtique nobis eccleſia aliquo cibi genere perpetuò interdixit, aut Iudaicum ciborum delectum contra Apoſtolicam doctrinam inuexit: quinimò ſemper cum Paulo docuit, doctrinam eſſe dæmoniorum, cibum aliquem immundum & ſuapte natura abominabilem iudicare, iuberéque vt eo abſtineãt fideles & qui cognouerũt veritatẽ, cũ Deus eum creauerit ad ſumendũ cum gratiarũ actione. Quicquid enim creauit Deus, bonum eſt, & nihil reiiciendum ſi cum gratiarum actione ſumatur. Sanctificatur enim per ſermonem Dei ac precationem. Quod autem eccleſia ieiuniorum diebus ſexta feria & ſabbato edicit vt à

carnibus abſtineatur, non id facit, quòd carnes ſint immũdæ, aut hominem cõſpurcent, ſed vt cibi & potus moderatione carnis laſciuia retundatur, animus à prauis cupiditatibus & motibus ratione vacuis auocetur, denique vt decẽtius humilietur ad ſeruiẽdum Deo viuenti, pro affectu audiendum Euangelium, & dignè participandum corporis & ſanguinis Chriſti ſacramentum. In quam ſententiam ait Auguſtinus contra Fauſtum Manichæum: Chriſtiani & nõ hæretici, ſed catholici, edomandi corporis cauſa, propter animam ab irrationalibus motibus amplius humiliandam, non quòd immunda illa eſſe credãt, non ſolùm à carnibus, verùm etiam à quibuſdam etiam terræ fructibus abſtinẽt, vel ſemper, ſicut pauci, vel certis diebus atque temporibus, ſicut per quadrageſimam ferè omnes, quanto magis quiſque vel minus, ſeu voluerit, ſeu potuerit. Vos autem ipſam creaturam negatis bonam, & immũdam dicitis, quòd carnes diabolus operetur feculẽtiori materia mali, ac per hoc eas tanquam immundiora & truculentiora Dei veſtri vincula exhorrentes abiicitis. Hæc ille. Non exiſtimat profecto eccleſia hominem ſola à carnibus abſtinentia Deo placere poſſe, cùm ſciat primos illos homines, qui carnem nõdum guſtauerant, cataclyſmo & diluuie horrẽda fuiſſe deletos ob ſceleratam vitam: ſed abſtinẽtiæ carnium quorũlibet aliorum ciborum moderationem vult coniunctam, ac perpetuam vitæ totius ſobrietatem. Ac concilium Gangrenſe damnat tum eos qui eſum carnium omnino ſuperſtitione quadam prohibent, perinde ac ſi caro cibus eſſet abominandus, & creatura qua Deus vti vetuerit: tum illos qui nulla neceſsitate adacti, ſed faſtu & arrogantia tumidi, communia totius eccleſiæ ieiunia putauerunt contemnenda, perfectam in ſua ſcientia rationem vendicantes, quos diro anathemate ſynodus illa percuſſit. Ob eam ſanè cauſam Epiphanius libro tertio aduerſus hæreſes Aërium dicit ideò condemnatum hæreſeos, quòd docuerit non eſſe ſtatis certiſque temporibus ieiunandum. Hæc enim voluit eſſe Iudaica & ſeruitutis iugo contineri, cùm non ſit iuſto lex poſita. Quamobrem dicere ſolebat, Si mihi omnino ac planè ieiunare libet, quemcũque diem arbitratu meo delegero, liberè ieiuno. Itaque apud Aërium & diſcipulos eius (vt

Lib. 30. cap. 5.

Can. 2. & 19.

Tom 1. hæreſ. 75.

ius (vt idẽ Epiphanius refert) maiori laudi ducitur, ſi quis die Dominico ieiunium ſeruet, quarta autem feria & ſexta comedat. Quanquam plærunque quarta feria ieiunant, ſed non lege, verùm (vt ait) priuato conſilio ſuóque arbitratu. Iis autem diebus qui diem feſtum Paſchę antecedũt, cùm ipſi nos humi abiicimus ac proſternimus, expiamus, affligimus, aridis cibis vtimur, precamur, vigilamus, ieiunamus, omnibuſque animi doloribus ac mœrore ſalutari ſanctoque conficimur & angimur, ipſi tum carnibus vinóque victitant, ſuáſque venas infarcientes & complentes, cachinantur, ridéntque eos qui ſanctum hunc hebdomadę Paſchæ cultum religionémque ſeruant. Quanquam enim ſolennem hunc morem habuerunt, tamen non eſt eis religio, neque eum ſeruant, ſed carnibus veſcuntur, & vinum bibunt. Quòd ſi fortè aliqui pauci inter eos, hoc ipſum ſuo arbitrio facere velint, at certè multò plures ſunt, qui quemadmodum ſæpe dixi, multa carne vinóque vtantur. Atque hæc quidem Epiphanius, qui Hieronymi fuit æqualis.

DOROTHEA.

Lubens equidem audierim quo ſit ieiunandum modo, vt Deo grati acceptíque ſimus. Nam vſu venire ſolet, vt ieiunemus, nec ieiuniis tamen noſtris oblectetur Deus. Vnde etiam ſcriptum eſt: Quare ieiunauimus, & non aſpexiſti, humiliauimus animas noſtras, & neſciſti? *Eſaiæ 58.*

THEOPHILVS.

Ieiunium quidem certè non magni per ſe æſtimatur à Deo, niſi adſit interior cordis affectus, vera peccati & ſui ipſius diſplicentia, vera humiliatio, verúſque dolor ex timore Dei. Nihil enim magis execratur Deus, quàm dum homines ſigna & externam ſpeciem pro cordis innocentia obiiciendo, fucum ipſi facere conantur. Itaque in hanc hypocriſim ſeueriſſimè inuehitur Eſaias, quòd Iudæi ſatiſfactum Deo putarent, vbi ieiunauerant duntaxat, vtcũque impietatem & impuras cogitationes in animo fouerent. Veram autem ieiunandi rationem in hoc ſitam eſſe docet, vt ieiunium ſeruantes propria nos abdicemus voluntate, eam planè Dei voluntati ſubmittentes, charitatis opera exercendo, eleemoſynam, inquam, & orationem. Ecce, in-

quit,in die ieiunij veſtri inuenitur volũtas veſtra,& omnes debitores veſtros repetitis. Ecce ad lites & cõtentiones ieiunatis,& percutitis pugno impiè.Nolite ieiunare ſicut vſque ad hãc diem,vt audiatur in excelſo clamor veſter.Nũquid tale eſt ieiunium quod elegi, per diẽ affligere hominem animam ſuam? Nunquid contorquere quaſi circulum caput ſuum,& ſaccum & cinerem ſternere? Nunquid iſtud vocabis ieiunium,& diem acceptabilem Domino? Nónne eſt hoc magis ieiunium quod elegi?Diſſolue colligationes impietatis,ſolue faſciculos deprimẽtes,dimitte eos qui cõfracti ſunt liberos,& omne onus dirumpe.Frange eſurienti panem tuum , & egenos vagóſque induc in domum tuã. Cùm videris nudum,operi eum,& carnem tuam ne deſpexeris . Tunc erumpet quaſi manè lumen tuum , & ſanitas tua citius orietur,& anteibit faciem tuã iuſtitia tua,& gloria Domini colliget te.Tunc inuocabis,& Dominus exaudiet : clamabis,& dicet,Ecce adſum.Vides quã apertè *propheta* declaret fruſtra corpus cibi & potus abſtin*entia* atteri & macerari,ſi prauis affectibus indulgens *frænóſque* remittens,ea facias quæ Deus auerſetur & oderit? Non enim hæc dicit Dominus,quaſi ieiunium reprobet, quod toties præcipit & commendat, ſed malitiam impietatémque ieiunantium arguit. Vnde Hieronymus verba prophetæ
Lib.13.in Eſaiam. explanans (Quare ieiunauimus & non aſpexiſti?) Iniuſtè, inquit, arguunt Dominum, quòd bona opera non reſpiciat, ſolámque ventris eſuriem abſque opere virtutum in-
Luc. 18. gerunt Deo.Et Phariſęus impietatis cibis ſaturatus,& iniquitatis vino inebriatus,inter cætera verba ſuperbię iactabat ſe bis ieiunare in ſabbato. Proptereà reſpondit Deus, quòd nõ ieiunia reprobet,ſed opera quæ in eis fiunt.Quid enim prodeſt ieiuniis ora pallere,& ad lites,& ad iurgia ie-
Eſai.1. iunare,dicẽte ſcriptura : Qui amat peccata,gaudet iurgiis? Huiuſcemodi ieiunia & in exordio huius prophetię Dominus arguit,dicens:Ieiunium & otium,neomenias & ſabbata,& alias veſtras ſolennitates odit anima mea. Vnde præ-
Ioel. 2. cipitur per Ioel,Sanctificate ieiunium, prædicate curationẽ,vt à vitiis ieiunemus,& bonis operibus,curatíſque peccatis,fiãt ſancta ieiunia.Denique ſequitur:Egrediatur ſpõſus de cubili ſuo,& ſponſa de thalamo ſuo , vt tempore ie-

iunij

iunij vacemus orationi, ne interior homo noſter draconis vesſcatur carnib⁹, qui datus eſt in eſcam populis Aethiopũ. Et hæc dicimus, non quò ieiunia reprobemus, per quæ & Daniel vir deſideriorum futura cognouit, & Niniuitæ irã placarunt Dei, & Elias ac Moſes quadraginta dierum eſurie Dei familiaritate ſaturati ſũt. Et ipſe Dominus totidem diebus in ſolitudine ieiunauit, vt nobis ſolennes ieiuniorũ dies relinqueret: ſed quòd non proſit vacuum portare ventrem, & alia facere quę Deo diſplicent. Vnde docet Dominus quomodo ieiunandum ſit. Nec ab hac ſententia diſcrepat Leo papa. Is concione quadam, quam in quadrageſima habuit de ciborũ diſcrimine, ita diſſerit: Vtilis eſt quidem continentia, quæ parco aſſueta victu, delitiarum cohibet appetitum. Sed væ illorum dogmati, apud quos etiam ieiunando peccatur. Damnant enim creatam naturam, in creatoris iniuriam, & contaminari edentes iis aſſerũt, quorum non Deũ, ſed diabolum conditorem eſſe definiũt, reſultantes dicenti Apoſtolo, omnia munda mũdis, coinquinatis autem & infidelibus, nihil mundum, ſed inquinata ſunt eorum & mens & conſcientia. Vos autem dilectiſſimi catholicæ matris generatio ſãcta, quos incola veritatis ſpiritus ſanctus erudiuit, libertatem veſtram congrua deuotione moderamini, ſcientes quia bonum eſt etiam à licitis abſtinere. Et cùm caſtigatius viuẽdum eſt, ita diſcernite cibos, vt vſus eorum remoueatur, non natura damnetur. Et rurſum: His igitur, dilectiſſimi, freti armis, impigrè atque intrepidè propoſitum nobis certamen ineamus, & in iſto ieiuniorum ſtudio, non eo tantùm ſimus fine contenti, vt ſolam ciborum abſtinentiam putemus eſſe ſectandã. Parũ enim eſt, ſi carnis ſubſtãtia attenuatur, & animæ fortitudo nõ alitur. Afflicto paululũ exteriori homine reficiatur interior, & ſubtracta carnis ſaturitate corporea, ſpiritalibus mens delitiis roboretur. Incontinẽtiã caſtitas procul pellat mẽdacij tenebras lux abigat veritatis: quia os, quod mẽtitur, animã mentiẽtis occidit. Detumeſcat ſuperbia, humilitas reaſſumatur, reſipiſcat iracundia, comminuantur iacula noxarum, & obtrectatio linguæ refrænetur, ceſſent vindictæ, & obliuioni dentur iniuriæ. Omnis poſtremò plantatio, quam non plantauit pater cœleſtis, radicitus auferatur.

Pſal. 37. *Daniel. 9.* *Ionæ 3.* *3. Reg. 19.* *Exod. 34.* *Mat. 4.* *Leo ſerm. 1. de quadrageſima.* *Ibidem.*

Tunc enim in nobis bene virtutum ſemina nutriuntur, quando de agro cordis noſtri omne germen exterminij
Hom. 64. euellitur. Non aliter ſenſit beatus Auguſtinus. Is enim in ea concione quam prima dominica in quadrageſima ad populum habuit, de ciborum delectu ac diſcrimine diſſerens: Quid enim prodeſt (ait) vinum non bibere, & iracundiæ veneno inebriari? Quid prodeſt abſtinere à carnibus ad edendum creatis, & malignis obtrectationibus fratrum membra lacerare? Quid prodeſt ſi abſtineamus ab iis quæ aliquando licent, & faciamus illa quæ nunquã licent? Deus enim illos honorat & diligit, qui illicita fugiunt. Sic ergo, vt dixi, ieiunemus à cibis, vt multò magis ieiunemus à vitiis. Cur autem hic delectus ciborum adhibendus ſit, proxima cõcione docet his verbis: Ceſſent lauacra, vina, vel carnes, non quòd creaturam Dei iudicemus eſſe damnãdam,
Homil. 10. in Leuiticum. ſed qui toto anno nobis viximus, ſaltem vel paucos dies viuamus & Domino. Sed & Origenes de ieiunio Chriſtianorum diſputans, eãdem prorſus ſententiam ſequitur. *Vis* tibi, inquit, adhuc oſtendam, quale te oportet ieiunare ieiunium? Ieiuna ab omni peccato, nullũ cibum ſumas malitiæ, nullas capias epulas voluptatis, nullo vino luxuriæ concaleſcas. Ieiuna à malis actibus, abſtine à malis ſermonibus, contine te à cogitationibus peſſimis. Noli cõtingere panes furtiuos peruerſæ doctrinæ. Non concupiſcas fallaces philoſophiæ cibos, qui te à veritate ſeducant. Tale ieiunium Deo placet. Abſtinere verò à cibis quos Deus creauit ad percipiẽdum cum gratiarum actione fidelibus, & hoc facere cum iis qui Chriſtum crucifixerũt, acceptum eſſe nõ poteſt Deo. Ac paulò pòſt: Verè Chriſtiana eſt libertas omni tempore ieiunare, non obſeruationis ſuperſtitione, ſed continentiæ virtute. Nam quomodo apud eos intemerata ſeruabitur caſtitas, niſi continentiæ fulciatur auxiliis? Quomodo diuinis ſcripturis operam dabunt? Quomodo ſcientiæ & ſapientiæ incumbent ſtudiis? Nónne ventris atque oris continentia? Quomodo ſeipſum quiſpiam propter regnum cœlorum caſtrat, niſi eduliorum reſcindit affluentiam? Niſi ancilla vtitur abſtinentia? Chriſtianis igitur illa eſt ieiunandi ratio. Sed & alia eſt ſatis Chriſtiana, cuius laus Apoſtolorum quorundam ſcriptis prædicatur.

Nam

Nam in quodam libro de Apoſtolis dictum reperimus: Beatus qui ieiunat, vt alat pauperem. Illius ieiunium valde acceptum eſt Deo, ac re vera ſatis dignum. Hactenus Origenes, ex cuius verbis perſpici licet, vt verè ieiunetur, ab omni eſſe iniquitate abſtinendum. Quia verò ieiunamus, vt macerata afflictaque carne animos ad rerum cœleſtium contemplationem attollamus, ac ad preces & ſanctas meditationes melius ſimus comparati, ieiunio indicto, omnibus cupediis ac lautioribus cibis, qui vt plurimùm alunt, ita libidinem incendunt & irritant, planè abſtinendum eſt. Quo pacto enim carnē edomabit, qui ieiunij diebus, carnibus, vino delicatiſsimo, & arte conditis dapibus vtitur? Nunquid eum ieiunare dicemus, etiam ſi ſemel tātùm die iis veſcatur? Non opinor. Ac profectò longè alia fuerunt priſcorum hominum ieiunia, vt Daniel ipſe teſtatur dum ait: In diebus illis ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus, panem deſiderabilem non comedi, & caro & vinum non introierunt in os meum. Sed neque vnguento vnctus ſum, donec complerentur trium hebdomadarum dies. Helias etiam quadraginta diebus, quibus ieiunium ſeruauit, ſubcineritio tantùm pane & aqua, quæ illi Angelus miniſtrauit, vſus eſt. Filij ſimiliter Prophetarum, quos ieiunos hoſpitio ſuſcepit Helizæus, herbis agreſtibus victitabant. Dicit enim ſcriptura: Miſit Helizæus vnum in agrum, vt herbas agreſtes colligeret, inuenitque quaſi vitē ſylueſtrem, & collegit ex ea coloquintidas, quas decoxit: cumque illi clamarent, Mors in olla: eius amarorem farina dulcorauit. Atque vt à veteri teſtamento ad primigeniæ illius eccleſiæ Chriſtianos veniamus, eam illi abſtinentiam potionis & cibi in ieiuniis adhibebant, vt nullus eorum vinum aut carnem quācunque primoribus labris guſtaret, extremíſve, vt dicitur, digitis attingeret: at omnium eduliorum vice, pane cum ſale aut hyſſopo, pro omni potione, aqua ſimplici cōtenti eſſent, vt eccleſiaſtica refert hiſtoria. Ibidem etiam Blādina Attali nobiliſsimi viri coniux, cùm Lugduni propter Euangelij profeſsionem comprehenſa & in vincula coniecta eſſet, falſoque ſuſpecti haberentur Chriſtiani ſuper infantium tenerorum cæde, quaſi qui eorum laniatis carnibus veſcerentur, ſuſcepto innocentiæ ip-

Daniel. 10.

3. Reg. 19.

Lib. 2 c. 17.

Cap.1.lib. 5.eccleſ.hiſt.

ſorum patrocinio, maxima cum voce exclamaſſe dicitur: Vehementer erratis, ô viri, quòd putatis infantium viſceribus eos veſci, qui ne mutorum quidem animalium carnibus vtuntur. Quid, quòd in tripartita hiſtoria fit mentio

Caſsiodorus lib.1.eccleſi. hiſt.tripart. cap.10.

peregrini cuiuſdam, qui tametſi inedia vehemẽter attritus eſſet ac debilitatus, tamen, quòd ſe Chriſtianum profiteretur, ſuilla carne per quadrageſimam veſci noluit? Nónne hinc facilè intelligi poteſt, quàm auſtera & graui, ea tempeſtate Chriſtiani, ieiuniorum diebus vterentur abſtinentia? Sed audiamus ipſius hiſtoriographi verba. Inſtante iam quadrageſima, quidam ex itinere venit ad eum (loquitur de Spiridione ſanctiſſ. pontifice) quibus diebus cõſueuerat cum ſuis cõtinuare ieiunia, & die certo comedere, medios dies ſine cibo conſiſtens. Videns itaque peregrinum valde defeſſum: Perge (inquit ſuæ filiæ) laua peregrini pedes, & cibos appone. Cumque virgo dixiſſet, nec panem eſſe nec farinas (quarum rerum nihil ſolebat habere reconditum propter ieiunium) orans primùm veniamque petens, filiæ iuſsit, vt porcinas carnes, quas domi ſalitas habebat, coqueret: quibus coctis, ſedens cum peregrino poſitis carnibus comedebat, & rogabat, vt vnà ſecum ederet peregrinus. Quo renuente, Chriſtianumque ſe profitente, Propterea (inquit) minus recuſare debes. Hæc Caſſiodorus, ex cuius verbis liquet, ſanctiſſimum illum epiſcopum charitate eximia impulſum, hortatum eſſe peregrinum, cùm eum laſſitudine extrema penè confectum videret, vt vitæ conſulturus, ſuilla carne appoſita veſceretur, de qua & ipſe prior comederat, vt omnem illi ſcrupulum, vrgente ea neceſſitate, eximeret. Refert Hieronymus monachos AEgypti & Syriæ, quum ieiunarẽt toto anno, nihil præter panẽ, olera, & legumina tantummodò ſale condita comediſſe, frigidamque bibiſſe. Philo etiam Iudæus in eo libro, quo vitam & mores Chriſtianorum deſcribit, apertiſſimè docet, quan tæ abſtinentiæ fuerint Chriſtiani initio naſcentis eccleſiæ. Cibum, inquit, potúmque nullus eorum capit ante ſolis occaſum, videlicet tempus lucis cum philoſophiæ ſtudiis, curam corporis cum nocte ſociantes. Nonnulli autem etiam poſt triduum in communionem veniunt cibi, quos ſcilicet edacior ſtudiorum fames perurget. Iam verò hi, qui in

Philo Iudæus in lib. de vita noſtrorum, id eſt, de viris Apoſtolicis.

eruditionibus

eruditionibus ſapiētiæ, & in profundiore intelligentia ſacrorum voluminum verſantur, tanquam copioſis dapibus inbiantes, expleri nequeunt, & eo tuendo acrius inflammātur, ita vt nec quarto iam, nec quinto, ſed ſexto demum die, non tam deſideratum, quàm neceſſarium corpori indulgeant cibum. Ac eodem libro eorum conuentus & ieiunia laudat, qui Apoſtolorum adhuc tempore viuebant. Ait enim: Quid autem addere his opus eſt, etiam de conuentibus eorum: qui tales erant, vt ſeorſum quidem viri, ſeorſum autem in eiſdem locis fœminæ congregarentur, & vt vigilias, ſicut apud nos fieri moris eſt, peragerent, & maximè diebus illis, quum paſſionis Dominicæ ſolēnitas celebratur, quum in ieiuniis pernoctare & lectionibus ſanctis auditum præbere conſueuimus? Deinde explicat, quomodo paſſionis Dominicæ ſolemnitas peragebatur, dicēs: Et vt vnus ex omnibus cōſurgens in medio pſalmum honeſtis modulis concinat, vtque præcinenti ei vnum verſiculum, omnis multitudo reſpondeat, atque in ipſis diebus in terra recumbentes (ſicut antiqui moris fuiſſe dicitur) vinum quidem nemo omnino (vt ipſe ait) ne guſtu quidē contingat, ſed nec quamlibet carnem, tantùm autem aqua ſit eis poculum, & panis cum ſale vel hyſſopo cibus. Hic modus & ordo celebrandi ſolemnitatem paſſionis Dominicæ, nondum erat abrogatus tempore Euſebij Cæſarienſis, vt ipſe refert lib. 2. hiſt. eccleſi. Idem teſtatur Cyrillus libro ſeptimo contra Iulianum. Plurimi, inquit, apud nos fuere ſumma bonitate conſpicui, qui ad eam peruenere continentiam, & ita ſeipſos caſtigarunt, vt etiam iis, quæ ad vitam vtiliſſima, ſtrenuè abſtinere voluerint, nempe pane & oleo, & herbis & leguminibus ineuitabilem ventris neceſſitatem placarunt, vſi pura aqua, & exercitationis labore gaudētes, ita vt nihil illis eſſe cenſuerint melius, & reiectaneus quidem apud ipſos nullus cibus fuit. Abſtinuerūt autem à nōnullis, mentis ad deteriora propenſionē remorantes, & carnis laſciuiam cōpeſcentes, ita vt mētis oculum magis ſubtilē haberēt. Auguſtinus etiam ad Caſulanū ſcribens de moribus eccleſiæ catholicæ: Romæ, inquit, plures cognoui ieiunia incredibilia exercētes, nō quotidie ſemel ſub noctē, quod eſt vſquequaq; vſitatiſſimū, ſed cōtinuum

triduum vel amplius ſine potu ac cibo ducere. Nec hæc in viris tantùm,ſed etiam in fœminis.Iam ergo videre potes quāta abſtinētia primi illi Chriſtiani vſi fuerint ieiuniorū diebus,vt carnem ſuam cum vitiis & concupiſcentiis crucifigerent.Eam ob cauſam Chryſoſtomus quoque dicebat ciborum receptam fuiſſe abſtinentiam, vt ſcilicet carnis comprimatur rebellio, rectéque rationi morigera ea reddatur. Vbinam ergo iam ſunt qui noſtra hac ætate emerſerunt Epicurei? Nam eos Chriſtianorum nomenclatura dignari mihi religio eſt.Nō pudebit illos docere, homini Chriſtiano, dum ieiunat, nullam habendam eſſe dierum, horarum & ciborum rationem,perinde acſi liberum ſit ei omni ſublato delectu,iis veſci quæ Dei benignitas indulſerit?Non pudebit,iis ventrem cibis refercire,quos indicto ieiunio fideles capere nefas ſemper duxerunt? Non pudebit,contra veteris eccleſiæ diſciplinam, Chriſtianis vt abdomini natis,veſcendi carnibus ſancto etiā quadrageſimæ tempore,licentiam dare,occæcatos hoc pacto homines in perenne demergentes exitium?Quandiu verò perget conſuetudinem hanc non patrum noſtrorum memoria natam & inſtitutam, ſed penè religioni Chriſtianæ æqualem, vt diuinis præceptis ſcriptiſque alienam, atque adeò,ſi diis placet,repugnantem execrari?Aërianis certè multò ſe præſtant in hac re deteriores,inter quos (vti diximus) nonnulli erant,qui quæ noſtri ſeruabāt ieiunia,ipſi ſeruabant, adhibita etiā eadem parſimonia in victu, quam noſtri adhiberent, etſi hoc ſuo arbitratu & voluntate, non præcepti neceſſitate faciebant. Ecquis enim iſtorum viſus eſt vnquam tum ieiunare,cùm ieiunamus?

Homil. 7. in Geneſin.

DOROTHEA.

Quid ais? Túne ad eam nos abſtinentiam & in victu parſimoniam vis adigere,quam in ieiuniis ſuis veteres adhibebāt,vt quum deinceps ieiunabimus, non carne modò, ſed vino etiam nobis ſit abſtinendum?

THEOPHILVS.

In ieiunandi ratione,debet vnuſquiſque quid præſtare queat ſalua & incolumi valetudine ſpectare.Rigidiſſimum ieiunium eſt,vbi quis pane ac ſimplici aqua contentus,ieiunat.Sed non omnes eam auſteritatē ferre poſſunt.Quare

beatus

beatus Ignatius Heronē eccleſiæ Antiochenæ diaconum admonens: Ieiuniis (inquit) & orationibus vaca, ſed non vltra menſuram, ne te ipſum deiicias. Atque Hieronymus ad Nepotianum ſcribens: Tantum (ait) tibi ieiuniorum modū impone, quātum ferre poteris. Sint tibi pura, caſta, ſimplicia, moderata, & nō ſuperſtitioſa ieiunia. Auguſtinus quoque: Carnem veſtram domate ieiuniis & abſtinentiis, quantum valetudo permittit. Ieiuniorūm ergo diebus iis veſcendum eſt cibis, qui non multùm alant, naturam tamē ſuſtentare poſſint. Minus piſces alunt quàm carnes, & minus appetuntur. Itaque in eccleſia ſunt vſitati indicto ieiunio. Ieiunantibus minimè vino interdicitur, modo adhibito. Sed in primis danda eſt opera, vt carnalis concupiſcentiæ flamma reſtinguatur. Luxurioſa enim res eſt vinum, & tumultuoſa ebrietas. Quod Apoſtolus declarat, dum ait, Ne inebriamini vino, in quo luxus eſt. Caſtigantes ergo corpus, exemplo Pauli, ac in ſeruitutem redigentes, abſtinebimus carnibus, ne dum nimis nutriunt carnem, ſimul & carnis vitia nutriant. Si nos hauſto vino ſentiemus ad venerem inflammari, vino abſtinebimus. Si infirmo ac imbecillo ſumus corpore, modico vino vtemur, iuxta conſilium Apoſtoli. Breuiter, humilitatem animæ in victus quoque caſtigatione, vt Tertullianus loquitur, Deo immolabimus. Conſtitutio certè eccleſiæ haud ita nos ligare vult, vt vel charitati, vel neceſſitati libens nō cedat. Quinimò liberum facit, quolibet tempore quibuſlibet veſci, modò id vel charitas, vel neceſſitas ſuadeat, adhibito tamen vtriuſque medici (ſi præſto ſunt) aut ſaltem alterius, nimirùm animæ, conſilio.

Prou.20. *Epheſ.5.* *1.Cor.9.* *1.Tim.5.* *Lib.de cultu fœminarum.* *Cap.Conſilium, de obſeruatione ieiuniorum.*

DOROTHEA.

Ferre non poſſunt aduerſarij, quòd ad ſatiſfaciendum remittendumque peccatum ieiunium valere dicitur. Aiunt enim rem eſſe ſuperſtitioſam & veræ pietatis violatricem, velle ieiunare ad ſatiſfaciendum pro peccatis, aut aliquid à Deo promerendum.

THEOPHILVS.

Non defendimus ieiunium per ſe, id eſt, ſine gratia peccatum remittere: nec quiſquam noſtrum hoc dicit, aut profitetur. Quòd ſi fortè à nobis dicatur peccatum remittere, nunquam Dei gratiam excludimus, quemadmodum

nec Chriſtus, cùm ait, *Sicut aqua extinguit ignem, ita & eleemoſyna extinguit peccatum.* Extinguere peccatum & remittere aut tollere peccatum, idem valent. Quòd ſi in eleemoſyna eam vim Chriſtus eſſe ait, vt peccatum extinguat, id eſt, tollat & expiet, nec ipſe gratiam ſuam ſeiungit, cùm dixerit apud Ioannem, Sine me nihil poteſtis facere. Et Paulus in epiſtola ad Philippenſes, Deus eſt qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate: ne nos quidem eam ſeiungimus, ſiquando ieiunium aut aliquod aliud opus noſtrum peccatum remittere concedimus. Hoc enim cùm dicimus, idem quod Chriſtus intelligimus. Cùm multi alij & ſanctiſſimi & doctiſſimi viri eodem modo locuti ſunt de ieiunio, tum vel maximè Baſilius in priore de ieiunio concione: Ieiunium Nazaræum ſanctum facit, ſacerdotem perficit. Et paulò pòſt, Hoc Heliam magni miraculi ſpectatorem effecit. Cùm enim animum quadraginta diebus ieiunio expiaſſet, ita demum in ſpelunca, quæ eſt in monte Choreb, dignus fuit qui *Deum*, quantum conceſſum eſt homini, cerneret. An *hoc vult* hoc loco Baſilius, ieiunium ſine Dei gratia ſpectatorem feciſſe magni miraculi? aut eius animum purgaſſe atque expiaſſe, vt Deum videret? Certè non. Neque nos igitur hoc volumus. Quòd autem ieiunium rectè ſeruetur ad ſatiſfaciendum pro peccatis, indicat Dominus ipſe, dum peccatores

Ioel.2. ad pœnitentiam per Ioelem vocans dicit: Conuertimini ad

3.Reg.18. me in toto corde veſtro, in ieiunio & fletu & planctu. Sic Achab pœnitens ſcidit veſtimenta ſua, & operuit cilicio carnem ſuam, ieiunauitque & dormiuit in ſacco, & ambulauit demiſſo capite, & miſericordiam conſecutus eſt à Deo. Sic Niniuitæ ad prædicationem Ionæ prædicauerunt

Ionæ 3. ieiunium, & veſtiti ſunt ſaccis à minimo vſque ad maximum. Et vidit Deus opera eorum, quia conuerſi ſunt de via ſua mala, & miſertus ſuper malitiam quam loquutus fuerat, vt faceret eis, & non fecit. Atque vt nobis hîc repugnent aduerſarij, negare tamen non poterunt ieiunium, teſtimonium noſtræ eſſe coram Deo humiliationis, dum volumus reatum noſtrum coram ipſo confiteri (vbi enim animus afficitur vt debet, fieri vix poteſt quin erumpat in externam teſtificationem) idque tum maximè, ſi in cõmu-

nem ædificationem cedit, vt omnes ſimul peccatum ſuum palam confitendo, laudem iuſtitiæ Deo reddant, & ſe mutuo ſingulari ſuo exemplo cohortētur. Fit enim interdum, vt bello, vel peſte, vel calamitate aliqua gentem vnam percutiat Deus. In hac communi ferula, ream ſe tota plebs faciat oportet, ac peccatum profiteatur. Qua in re, quātum valeat ad impetrandam veniam ieiunium vnà cum oratione, ſatis indicant ſuperiora Achab pœnitentis & Niniuitarum exempla. Alacriores quidem certè (vt iam diximus) & magis expediti ad precandum ieiunio reddimur. Experimur enim, ventre pleno, mentem non ita eſſe in Deum erectam, vt & ſeriò ardētique affectu ferri in precationem, & in ea perſeuerare poſſit. Sic legimus Annam ſeruiiſſe Domino ieiuniis & obſecrationibus, cùm ſancta mulier ad precandi aſſiduitatem ſe exerceret. Tale fuit ieiunium Nehemiæ, quum intentiore ſtudio Deum pro liberatione populi ſui precaretur. Sic quum Paulo & Barnabæ manus imponunt Antiocheni, quò eorum miniſterium, quod tanti momenti erat, melius Deo commendent, orationi ieiunium coniungunt. Sic ambo ipſi poſteà, quum miniſtros præficerent eccleſiis, ſoliti ſunt orare cum ieiunio. Sic quoties de re aliqua magna Deo ſupplicandum fuit, ieiunium vnà cum oratione ſemper indixit eccleſia. Idque hodie optimum fidelibus adminiculum eſt, vt ſemper fuit, & vtilis admonitio, ad ſeipſos excitandos, ne ſua nimia ſecuritate & ſocordia, Deum magis ac magis prouocent, dum eius flagellis caſtigantur. Proinde Chriſtus quum Apoſtolos ſuos excuſat, quòd non ieiunent, calamitoſis temporibus ipſum deſtinat, & cum luctu coniungit. Veniet, inquit, tempus, quum auferetur ab illis ſponſus, & tunc ieiunabunt.

Luc.2. *Nehe.1.* *Act.13.* *Act.14.* *Matth.9.* *Luc.5.*

DOROTHEA.

Quid de quadrageſimæ obſeruatione ſentis? Video enim quoſdam ſuperſtitioſam illam dicere, nec bene pro ſancta Chriſti imitatione commendatam, quòd non ideò Chriſtus ieiunauerit, vt aliis exemplum præſcriberet. Non enim (aiunt) ſæpius ieiunat Chriſtus: quod fieri oportuit, ſi anniuerſarij ieiunij legem tradere vellet: ſed ſemel tantùm, quum ſe ad Euangelij promulgationem accingit.

Nec ieiunat humano more, vt par erat, ſi homines ad imitationem prouocare vellet: ſed magis exẽplum deſignat, quo in ſui potius admirationem omnes rapiat, quàm ad
*Exod.*24. & 34. æmulandi ſtudium excitet. Denique, non alia eſt iſtius ieiunij ratio, quàm eius quo defunctus erat Moſes, quum legem è manu Domini acciperet. Nam quum illud in Moſe editum eſſet miraculum ad ſtabiliendam legis authoritatem, non debuit in Chriſto prætermitti, ne legi Euangeliũ cedere videretur. Atqui ab eo tempore nemini vnquam venit in mentem, prætextu imitationis Moſis, talem ieiunij formam in populo Iſraelitico exigere. Nec vllus ex ſanctis prophetis ac patribus, id ſequutus eſt, quum tamen ad omnes pias exercitationes ſatis animi ac zeli haberent. Fuit igitur mera κακοζηλία & ſuperſtitionis plena, quòd titulo ac colore imitationis Chriſti ieiunium ornatum eſt.

THEOPHILVS.

Quadrageſimæ obſeruatio valde antiqua eſt, & ab *Apoſtolis* ad nos peruenit à Chriſto conſecrata atque *inſtituta*. Licèt enim Chriſtus potiſſimùm ieiunauerit quadraginta dies, vt Euangelij prædicationem ſic auſpicando, non humanam doctrinam eſſe, ſed è cœlo profectam re ipſa comprobaret, non ſecus ac Moſes, legem è manu Domini accepturus, ad ſtabiliendam eius authoritatem quadraginta dies ſine cibo & potu tranſegerat: non tamen ſequitur, quin etiam ieiunauerit (etſi ſemel tantùm, nec humano more) vt ſuis exemplum præberet, & fideles ad æmulandi pro virili parte ſtudium excitaret. Neque vllo modo ipſi neceſſe fuit, vt quadrageſimale hoc ieiunium conſecraret, ſæpius ieiunare, quum ſemel per quadraginta dies ieiunando, nos ad ſui imitationem prouocare, & anniuerſarij ieiunij legem tradere potuerit. Vnde præclarè alicubi beatus Gregorius, omnem Chriſti actionem noſtram eſſe inſtitutionem dixit. Quòd verò aiunt neminem in populo Iſraelitico prætextu imitationis Moſis, talem ieiunij formam exegiſſe: nec vllum ex ſanctis prophetis ac patribus
1.*Reg*.19. id ſequutum eſſe: ac Heliam ſine cibo & potu quadraginta dies exegiſſe, vt populus eum agnoſceret excitatum eſſe legis vindicem, à qua prope totus Iſrael deſciuerat: hæc ſanè non eam vim habent, vt fideles Chriſti diſcipulos à

Chriſti

Chriſti debuerint imitatione deterrere. Neque enim conſectarium eſt, nõ debuiſſe eos pro viribus Chriſti ieiunium imitari, quia nullus ſanctorum prophetarum ac patrum Moſis ieiunium eſſet æmulatus. Itaque primi illi Chriſtiani, qua flagrabant charitate, maximo ſtudio, ſummaque voluntate ad imitandum Chriſti ieiunium ferebantur. Sed operæpretium eſt audire, quid de hac re iam inde ab Apoſtolorum temporibus memoriæ proditum ſit. Ignatius epiſtola quarta ad Philippẽſes: Dies, inquit, feſtos nolite inhonorare. Quadrageſimam verò nolite pro nihilo habere: imitationem enim continet Dei conuerſationis: hebdomadam etiam paſſionis nolite deſpicere. Quarta verò & ſexta feria ieiunate, reliquias pauperibus erogantes. Origenes quoque homelia decima in Leuiticum: Habemus (ait) quadrageſimæ dies ieiuniis conſecratas: habemus quartam & ſextam ſeptimanæ dies, quibus ſolenniter ieiunamus. Cyprianus etiam in ſermone de ieiunio & tentationibus Chriſti: Forma ieiuniorũ, inquit, propoſita, fixóque exemplo quadraginta dierum abſtinentiam Dominus conſummauit. Hieronymus in epiſtola ad Marcellam aduerſus Montanum hunc in modum ſcribit: Nos vnam quadrageſimam ſecũdum traditionem Apoſtolorum toto anno, tempore nobis congruo ieiunamus. Illi (de hæreticis Montani ſectatoribus loquitur) in anno tres faciunt quadrageſimas, quaſi tres paſſi ſint ſaluatores: non quòd & per totum annum excepta Pentecoſte (ſic enim appellat interuallum, quod eſt inter Paſcha & diem Pentecoſtes) ieiunare non liceat: ſed quòd aliud ſit neceſsitate, aliud voluntate munus offerre. Verba iſta indicãt quadrageſimam non ſolùm ab Apoſtolis obſeruatam in memoriam ieiunij, ſed etiam paſsionis Chriſti. Et Auguſtinus: Quadrageſima, inquit, ieiuniorum habet authoritatem, & in veteribus libris ex ieiunio Moſis & Heliæ, & ex Euãgelio, quia totidem diebus Dominus ieiunauit, demonſtrans Euangelium non diſſentire à lege & prophetis. In qua ergo parte congruentius obſeruatio quadrageſimæ conſtitueretur, niſi confinis & contigua Dominicæ paſsioni? Idem ſentit Ambroſius, taxans eos, qui prætermiſſa deuotione quadrageſimæ quinquageſimam ſe facere mentiuntur, cùm id

Lib. 2. ad inquiſit. Ianuary, cap. 15.

Serm. 34.

neque diuinis literis iubeatur, neque traditum ſit authoritate maiorum. Vnde ait: Bonum quidem eſt cũctis diebus ieiunare, ſed melius quadrageſimam ieiunare cũ Chriſto. Hanc enim quadrageſimam nobis Dominus ſuo ieiunio conſecrauit. Quiſquis ergo Chriſtianus conſecratam ieiunando non impleuerit quadrageſimam, præuaricationis & contumaciæ reus tenebitur. Nam ſicut reliquo anno ieiunare præmium eſt, ita in quadrageſima non ieiunare peccatum eſt. Illa enim voluntaria ſunt ieiunia, iſta neceſſaria: illa de arbitrio veniunt, iſta de lege: ad illa inuitamur, ad
Serm. 25. de quadra. iſta compellimur. Atque idem alibi: Non enim fratres (ait) leue peccatum eſt fidelibus indictam quadrageſimam à Domino non ieiunare, & ieiunia conſecrata ventris voracitate diſſoluere. Et alio quodam loco: Ante dies deuotio-
Serm. 36. nem ſanctæ quadrageſimæ prædicantes, ſacrarum literarum exempla protulimus, quibus approbaremus hunc quadragenarium numerum non eſſe ab hominibus conſtitutum, ſed diuinitus conſecratum, nec terrena cogitatione inuẽtum, ſed cœleſti maieſtate præceptum. Atque ideo qui conſtitutum numerum vna die manducando præterit, non vt vnius diei violator accuſatur, ſed vt totius quadrageſimæ tranſgreſſor arguitur. Paulò pòſt. Hæc autem non tam ſacerdotum præcepta, quàm Dei ſunt. Atque ideo qui ſpernit, non ſacerdotem ſpernit, ſed Chriſtum, qui in ſuo loquitur ſacerdote. Baſilius ille magnus huius ieiunij mentionem facit multis in concionibus. In eius quidem initio quam in ebrioſos habuit, ſeptem hebdomadas ei attribuit his verbis: Si enim tot exhortationibus quibus & anteà vos adhortari non deſtitimus, & deinceps ſeptem his ieiunij hebdomadis diu noctuque finem non fecimus vobis teſtificandi Euangelij gratiæ Dei, nihil profecimus, quæ nos tandem ſpes ad dicendum hodiè excitabit? In priore autem de ieiunio, προσιούσας ἡμέρας, id eſt, dies qui adſunt & appropinquãt, appellat. Comparati igitur ſimus, eoque animo affecti, vt edocti ſumus, nec triſti, ſed hilari vultu eos dies qui inſtant, excipiamus, vt æquum eſt bonos viros & ſanctos. In poſteriore autem, ait cum omni tempore fructuoſum eſſe ieiunium, tum vel maximè in quadrageſima, cùm in orbẽ terrarum eius præconium & prædicatio

denunciatur.

denunciatur. Eſt ieiuniũ illud quidem vtile cùm omni tem pore, iis qui illud ſequuntur: nã nec dæmones eũ qui ieiunium ſeruat tentare audent, & cuſtodes vitæ noſtræ angeli ſtudioſius apud eos manent, qui animũ ieiunio purgarunt: tum multo magis nunc, cùm in totum orbem prædicatio denunciatur: nec vlla eſt inſula, non cõtinens, non ciuitas, non natio, non angulus, qui præconis vocem non audierit: ſed & milites, & viatores, & nautæ, & negotiatores omnes ex æquo & præceptum audiunt, & latis animis illud excipiunt. Chryſoſtomus homilia quadam in Geneſim: Volo, inquit, aduentus ſanctæ quadrageſimæ, remedij, inquam, animarum noſtrarum, vobis annunciator eſſe. Communis enim noſtri omnium dominus, veluti pater filios indulgenter amans, cupiens ea quæ vnquam peccauimus nobis abluere, quæ per ieiunium fit, curationem adinuenit. Nullus igitur ſit mœſtus, nullus etiam triſtis appareat, ſed omnes exultent & gaudeant, ac glorificent animarum noſtrarum curatorem, qui hanc optimã nobis aperuit viam, accipiant multa cum iucunditate illius aduentum. Sed quid in re non dubia teſtibus opus eſt parum neceſſariis? An non iſtud perſpici licet manifeſtiſſimè ex canonibus Apoſtolorũ? Caput enim hoc eſt ſexageſimũ nonũ: Si quis epiſcopus, ſacerdos, diaconus, hypodiaconus, lector, pſaltéſve ſanctæ quadrageſimæ, aut quarto hebdomadæ die, aut in paraſceue ieiunium non ſeruauerit, de gradu honoris deiicitor, niſi fortè per corporis infirmitatem non poſſit: laicus autem communionis ratione priuator. Hoc caput Conſtantinopolitanum concilium, quod generale ſexto loco fuit, approbat capite nono & viceſimo. Cùm igitur, ait, nemo nos cogat, ſummum ius atque id quod certum eſt omittere, ſtatuimus, Apoſtolorum patrúmque inſtituta traditionéſque ſecuti, non eſſe quintum diem poſtremæ hebdomadę tollendum, totámque quadrageſimam violandam. Ac in Laodicena quidem ſynodo celebrata anno Domini circiter trecenteſimo ſexageſimo quarto de hoc ita cautum eſt. Non oportet in quadrageſimæ quinta feria vltimæ hebdomade ieiunium diſſolui, & totam quadrageſimam inhonorari: ſed per totos hos dies ieiunare, & eſcis abſtinentiæ conuenientibus, id eſt, aridioribus vti.

Confirmatio autem eius rei in eo generali conuentu concilióque, quod Conſtantinopoli Iuſtiniano imperatore celebratum eſt, huiuſmodi reperitur. Eodem modo intelleximus eſſe nonnullos in Armenia aliíſque locis, qui in ſabbatis Dominicíſque ieiuniorum ſanctę quadrageſimę diebus oua & butyrum edant. Itaque hoc etiam placuit, vt eccleſia Dei, quæ in orbem terrarum propagata eſt, vno modo ieiunium ſeruet, abſtineátque, vt iis omnibus quæ immolantur, ſic ouis, & butyro, quæ fructus ſunt & germina, à quibus nos abſtinemus. Qui autem hoc non obſeruauerint, ſi ſint clerici, ordine mouētor: ſin laici, ex communione & ſocietate eiiciuntor. Breuiter conciliū Toletanum octauū de hac item re ſic cenſuit: Quiſquis ſine ineuitabili neceſſitate atque fragilitate, & euidenti lāguore, ſeu etiam impoſsibilitate ætatis, dieb⁹ quadrageſimę eſum carniū prę̨ſumpſerit attentare, nō ſolùm reus erit reſurrectionis Dominicæ, verùm etiam alienus ab eiuſdem diei ſācta communione: & hoc illi cumuletur ad pœnam, vt ipſius anni tempore ab omni eſu carnium abſtineat gulam, quia ſacris diebus abſtinentiæ oblitus eſt diſciplinam. Illi verò, quos aut ætas incuruat, aut languor extenuat, aut neceſsitas arctat, non antè prohibita violare præſumant, quàm à ſacerdote permiſſum percipiant.

Cap. 9.

DOROTHEA.

Quid de conſtitutionibus & conſuetudinibus eccleſiaſticis cenſes?

THEOPHILVS.

Hic ſanctorum patrum regula ſequęnda eſt, qui diligenter admonent, traditiones eccleſiaſticas, præſertim quæ fidei non officiunt, ita obſeruandas, vt à maioribus traditæ ſunt. Sunt autem illa, quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, non vnius generis, quemadmodum diuus Auguſtinus ſcribit. Nam alia ſunt quæ toto terrarum orbe obſeruantur à patribus accepta. Quæ quidem putanda ſunt, vel ab ipſis Apoſtolis, vel ex plenariis conciliis (quorum eſt in eccleſiis ſaluberrima authoritas) commendata atque ſtatuta retineri: veluti quòd paſsio & reſurrectio, & aſcenſio in cœlum, aduentus ſpiritus ſancti, & quadrageſima annua ſolennitate celebrantur: quòd die veneris à carnibus abſtinetur,

Augu. ad Ianuarium can. illam autem. 12. diſtinct.

netur, atque alia multa, quæ ab vniuerſis meritò obſeruantur. Has quidem certè & ſimiles conſuetudines ſeu conſtitutiones in ſanctum & pium finem inſtitutas, ac à tota eccleſia receptas nemo ſine reatu peccati violauerit, niſi vel magna neceſſitate vel vtilitate excuſetur. Quod non ideò dico, quia ſentiam ex eiuſmodi conſtitutionibus ſeu traditionibus eccleſiaſticis vim iuſtificandi pendere, aut ceremoniis externis quãtumlibet piis remiſſionem peccatorum aut ſalutem deberi (iſtud enim Chriſto ſoli competit) ſed quòd contumacia, rebellio, & inobedientia, quæ Deus exhorret & deteſtatur, nos peccati reos peragant. Nam ſi obediendum eſt magiſtratibus prophanis, nõ ſolùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiã, hoc eſt, ne cõſcientia polluatur peccato mortali, atque hoc obtinet in legibus ciuilibus, quæ tantùm ad retinendam ciuilem politiam, & rerum proprietatem muniendam ordinatæ ſunt: quanto magis ſcelere ſe obſtringunt, qui eiuſcemodi eccleſiaſticas conſuetudines tam ad conſeruationem & incrementum pietatis, quàm eccleſiæ decoram diſciplinam, & tranquillitatem proditas & receptas temere violant? Nec enim Deus minus nos ſubiecit eccleſiæ præſidibus quàm prophanis magiſtratibus, nec minori periculo Dei authoritas in eccleſiæ miniſtris quàm in magiſtratibus contemnitur, præſertim cùm horum miniſterium incomparabiliter maius ſit quàm illorum. Proinde vt non eſt conſequens eum non peccare capitaliter, qui magiſtratibus non obtẽperat, quòd leges ciuiles vim iuſtificandi non habeát: ita nõ ſequitur eum criminis reũ nõ eſſe, qui cõſtitutiones eccleſiaſticas temerè violat, etſi in eis baſim ſalutis conſtituere *Act. 14.* haud oportet. Certè non fruſtra Paulus Apoſtolus perambulans Syriam & Ciliciam, & confirmans eccleſias tanta grauitate præcepit cuſtodiri præcepta Apoſtolorum & ſeniorum, non abſolututus à crimine, quos reperiſſet preuaricaces tranſgreſſores. Atque vt in obedientię vel contemptus nota ceſſet, ſcandali tamen ratio non permittit, vt à crimine ſint immunes, qui conſtitutiones ſeu conſuetudines publicè receptas contemnunt ac irrident. Nam & Paulus paſſim iubet ne faciamus quippiam, in quo frater noſter offendi, ſcandalizari, aut infirmari poſſit, quin ſe carnes

potius in cæterũ non mãducatutũ conteſtatur,quàm offen dat fratrem. Prorſus vtique ſtupidiſunt,qui eccleſiæ præſidibus poteſtatem condendarum conſtitutionum ad pietatem conducentium abrogant,cùm Paulus iubeat omnia in eccleſiis ordine ac decenter fieri. Conſtat etiam ipſum Paulum eiuſmodi ordinationes complures feciſſe,quales erãt, vt mulieres velatæ eccleſiam intrarent,item vt ordo in lectionibus in eccleſia obſeruaretur. Quibus etiam tantum tribuit vt immorigerum aut contradicentem non videretur laturus. Si quis,inquit,vult contentioſus eſſe,nos talem conſuetudinem non, habemus neque eccleſia Dei. Atque hæc de conſtitutionibus ſeu moribus vniuerſalis eccleſiæ dicta ſunt. Sunt & aliæ conſtitutiones particulares,quę per ſingulas diœceſes à ſingulis epiſcopis ꝓmulgantur, quarũ finis ſi fuerit pietas ſeu eccleſiæ tranquillitas& honeſtas,eandem planè cum prioribus rationem obtinent,ſic ſcilicet vt ſine peccato in ea diœceſi, in qua promulgatæ ſunt, niſi tamen iuſta cauſa ſubſit, violari non poſſint. Aliæ porrò ſunt conſuetudines,quæ per loca terrarum regionéſque variantur: ſicut eſt, quòd alij ieiunant die mercurij, alij non: alij quotidie participant corpus & ſanguinem Domini,alij certis diebus accipiunt. Et ſiquid aliud huiuſmodi animaduerti poteſt,totum hoc genus rerum liberas habet obſeruationes. Quod enim neq; contra fidem catholicam, neque contra bonos mores eſſe conuincitur, indifferenter eſt habendum, & pro eorum inter quos viuitur ſocietate ſeruandum. Sic diuus ambroſius Auguſtinũ docuit de hoc altero genere interrogantẽ: Tu(inquit)ad quancũque fortè eccleſiam (nimirùm in vnitate catholicæ eccleſiæ permanentem)veneris,eius morem ſerua,ſi cuiquam non vis eſſe ſcandalo,nec quenquam tibi. Interim non negamus præſidibus eccleſiaſticis(ſiquid contra Dei mãdatum, quod abſit, præcipitur) non eſſe parendum, quòd oporteat magis obedire Deo,quàm hominibus.

DOROTHEA.

Tu cumulatiſſimè in omnibus,quæ adhuc pertrãctata ſunt & diſputata,animo meo ſatisfeciſti. Proinde recipiamus nos,ſi placet,in cœnationem. Tempus enim cœnæ(vt vides) hinc nos reuocat:ac mox apparati miſſus apponentur.

tur. Me autem in primis, illic, hodie præſertim, decori gratia, adeſſe oportet.

THEOPHILVS.

Recedamus, quando ita vis. Siquid autem ſuperſit quod nondum ſatis intelligas, id ſucciſiuis temporibus diligentius aliàs à nobis fuſiúſque explanabitur. Tu interim etiã atque etiam vide, vt ſummam diſputationis noſtrę animo inſculpas tuo. Ante omnia porrò danda nobis eſt opera, ne lux iſta Euangelij, quæ mentibus noſtris gratuita Dei bonitate affulſit, in nobis ſine fructu hæreat. Alioqui bonus ille pater familiâs rediens detrudi nos iubebit, velut ſeruos inutiles, ligatis pedibus & manibus in tenebras exteriores, vbi fletus erit & ſtridor dentium. Quòd ſi noctu atque interdiu in lege Domini meditemur, tandem ſimiles erimus arbori, quæ plantata ſecus decurſus aquarum, fructum ſuum dabit opportuno tẽpore. Tum certè quicquid moliemur, Dei benignitate & clementia proſperos exitus habebit, viámque ſternet ad immortalem perennémque vitam: quæ, gratia Dei & ſeruatoris noſtri Chriſti Ieſu, poſt durum iſtud exilium nobis contingat. *Mat. 24.*

DOROTHEA.

Amen.

Inſtitutionum Chriſtianarum
FINIS.

INDEX INSIGNIORVM locorum, qui in hac Chriſtiana inſtitutione ſparſim tractantur & explicantur.

DE Deo. Folio3.a.
De trinitate perſonarum vnius Deitatis. 3. a
De creatione mundi. 3.a
De prouidentia Dei in ipſius conſeruatione.ibidem.& 4.a
De Chriſto filio eius vnico. 4.b
De regno ipſius, quod ſpirituale eſt, ac de eiuſdem ſacerdotio. 5.a
De conceptu & natiuitate ipſius. 6.a
De perpeſſione eius, ac cur in crucem ſuffigi voluerit. ibidem.b
Quam ob cauſam hoc genus mortis elegerit. 7. a
Quòd non ſolùm corpore,ſed anima etiam paſſus ſit.ibid.
De eiuſdem ſepultura. 7.b
Quid fructus ex eius morte ad nos redeat. 8.a
De eius ad inferos deſcenſu. ibidem.b
De reſurrectione eiuſdem. 9. a
De eius aſcenſione,ac fructu quem inde percipimus. 9.b
Quòd dexter aſſideat patri. 10.a
Quomodo apud nos habitet. 10.b
Quòd tandem venturus eſt, vt iudicet viuos & mortuos: déque conſolatione,qua animi fidelium inde permulcẽtur. 11.a
De ſancto ſpiritu. 12.a
De eccleſia,& Dei donis in ipſam collatis. 12.b
De ſignis ac notis veræ eccleſiæ. 13. a
De authoritate ac poteſtate eccleſiæ. ibidem.b
De miniſtris eccleſiæ. 14.a
De ſummo pontifice atque epiſcopis. 14.b
De remiſsione peccatorum,quæ in vna ſanctorum communione accipitur. 14.a
De mortuorum reſurrectione. ibidem.
De vita poſt reſurrectionem perenni & æterna. ibidem.
De natura & vi legis, quáſque ob cauſas legem ſuã Deus

Moſi dederit. 26.b
De diſcrimine veteris & noui teſtamenti, legis & Euangelij. ibidem.
De libertate Chriſtiana. 31.a
De decem Dei mandatis. 31.b
De adoratione & inuocatione vnius Dei. 31.b
De imaginibus. 32 a
De honore & veneratione ſanctorum. ibidem.
Cur & quo pacto ſancti ſint venerandi. 33.
De reliquiis ſanctorum martyrum, quóque numero ac loco eſſe debeant apud fideles. 40.b
Quomodo intelligendus ſit Deus punire peccata patrum in filios in tertiam & quartam generationem. 42.a
De nomine Dei inaniter non adhibendo. 43.a
De votis perpetuæ continentiæ, paupertatis, & obedientiæ. 45.a
De ſabbati ſanctificatione. 53.a
De Dominico die, & aliis diebus feſtis. 55.a
Cur aqua luſtrali, quam benedictam vocant, populus fidelis die Dominico aſpergatur in eccleſia. ibidem.
De publicis ſupplicationibus, ſiue proceſsionibus. 55.b
De honore parentibus debito, quóque pacto eos honorari conueniat. 57.a
De non patrando homicidio, quótque iræ ſint gradus. 58
De vitanda ſcortatione. 59.a
De furto non faciendo. 61.a
De falſo teſtimonio contra alterum non dicendo. 62.a
De fugienda concupiſcentia 63.a
De amore Dei, & proximi. 64.b
De precatione & modo orandi Deum. 65.b
Quid ſit in Chriſti nomine petere. 66.a
Quas comites precatio habere debeat. 68.a
De templis ac aliis ſacris locis orationi deſtinatis. 69.b
De ceremoniis eccleſię. ibidem.
De oratione Dominica, & ſeptem eius partium explanatione. 70.a
De Angelica ſalutatione. 79.a
De inuocatione ſanctorum, vt pro nobis intercedant. 82.a
Quomodo ſancti vota & preces noſtras poſsint cognoſ-

cere. 86.b
De numero ſacramentorum,ac eorundem virtute. 92.a
De baptiſmo,forma,effectu, & miniſtro eius, déque ceremoniis in ipſo vſitatis. 93.b
De baptiſmo infantium. 96.b
De peccato originali. 97.a
De confirmationis ſacramento,verbo,elemento,effectu,& miniſtro eius. 102.a
De ſancto chriſmate. 103.a
De ſacramento pœnitentiæ. 108.a
De contritione,prima eius parte. 114.b
De confeſsione,& neceſsitate eius apud ſacerdotem edendæ cum diſtincta peccatorum enumeratione. 115.a
De abſolutione. 116.b
De ſatisfactione,tertia parte pœnitentiæ. 123.a
De excommunicatione. 128.a
De effectu,virtute,& miniſtro pœnitentiæ. 130.a
De hominis iuſtificatione. 130.b
De diſpenſatione, & myſterio aduentus Chriſti. 131.a
Qui per Chriſtum iuſtificentur. ibidem.
Deſcriptio iuſtificationis impij,& modus eius in ſtatu gratiæ. ibidem.
De neceſsitate præparationis ad iuſtificationem adultis,& vnde ſit. 131.a
De modo præparationis. 131.b
Quid ſit iuſtificatio impij, & quæ eius cauſæ. ibidem.b
Quomodo intelligatur,impium per fidem & gratis iuſtificari. 132.a
De acceptæ iuſtificationis incremento. 132.b
De obſeruatione mandatorum, déque illius neceſsitate & poſsibilitate. 133.a
Prædeſtinationis temerariam præſumptionem cauendam eſſe. 133.b
De perſeuerantiæ munere. ibidem.
De lapſis,& eorum reparatione. 134.a
Quolibet peccato mortali amitti gratiam, ſed non fidem. ibidem.
De merito bonorum operum,déque ipſius meriti ratione. 134.b.

De volun

De voluntatis noſtræ viribus. 135.a
De gratia Dei, operante & cooperante. 138.a
De prædeſtinatione & præſcientia Dei. 141.a
De rerum & actionum noſtrarum contingentia. 144.b
De prouidentia Dei particulari. 145.a
De ſacramento Euchariſtiæ. 148.
De præſentia corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia. 149.b
Quo pacto intelligenda ſint hæc Domini verba, Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus. 151.a
De tranſſubſtantiatione, ac confutatione argumentorum, quibus vtuntur qui eam reiiciunt. 162.a
Probatio tranſſubſtātiationis, per vniuerſalem ſanctorum cuiuſlibet ætatis doctorum conſenſum. ibidem.
Quid ſit conſecrare, quódque conſecratio ſine ſolenni & canonica prece non fiat. 176.b
Cur in hoc ſacramento aqua vino permiſceatur. 179.a
Quas ob cauſas ſub ſpeciebus panis & vini adminiſtretur. 180.a
Cur duplex adhibeatur ſignum, ac panis ſeorſum conſecretur in corpus, & vinum in ſanguinem. 180.a
De communione ſub vtraque, vel altera ſpecie tantū. 180.b
Quòd Chriſtus duplicem vſum commendauerit corporis & ſanguinis ſui. ibidem.
De gemina Chriſti oblatione, vel de duplici eius ſacrificio, cruento & incruento. 185.b. 189.a
Probatio externi ac ſenſibilis eccleſiæ ſacrificij per ſacram ſcripturam & doctores orthodoxos. 192.b
Solutio cauillationum, quibus ſubruere conantur hæretici hoc ſacrificium. 204.b
Quòd eccleſia catholica nūquam eos omneis, qui celebrationi huius ſacrificij interſunt, ad ſacramentum participandum coegerit. 220.a
De adoratione corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia. 221.a
De partibus celebrationis huius ſacrificij. 223.a
Explanatio ſacroſancti canonis. 228.b
De prima oblatione huius ſacrificij, quæ eſt panis & vini. 229.a

De oblatione gratiarum actionis. ibidem.
De oblatione corporis & ſanguinis Chriſti. 230.a
De memoria defunctorum in Chriſti fide, ac ſimul de purgatorio igne. 238.b
De quarta oblatione huius ſacrificij, qua tota eccleſia offertur Deo. 258.a
De ſignaculo crucis. 260.b
De forma celebrandi huius ſacrificij, quam ipſimet Apoſtoli obſeruarunt. 264.b
De applicatione huius ſacrificij. 267.b
De opere operato. 267.b
Cur huic ſacrificio miſſæ nomen inditum ſit. 269.a
Qua lingua celebrari debeat. 269.b
Quomodo ad ſacram menſam fidelis ſacramentum percepturus accedere debeat. 273.
Quòd corpus Chriſti in ſacramento etiam mali manducent. 274.
Quæ vis & efficacia ſit huius ſacramenti, ac de miniſtro ipſius. 276.b.& 278.a
De ordinis ſacramento. 278.b
De ſacramento extremæ vnctionis. 280.b
De virtute & miniſtro ipſius. 283.a
De ſacramento matrimonij, de ipſius virtute, & quæ in eo ſint ſpectanda. 283.a
De cruce toleranda, ſeu de afflictionibus. 286.b
De ieiunio Chriſtiano, & ciborum delectu. 290.b
De quadrageſima, & eius obſeruatione. 298.a
De cõſuetudinibus & conſtitutionibus eccleſiaſticis. 300.b

FINIS.

9-1-1